simile dictum habuit in moneta sua : Si Deus pro nobis, quis contra nos?

Lutheri : Viuit, scilicet Christus. Si non uiueret, uellem me non unam horam uiuere, & hæ literæ habent mysterium, quod Lutherus explicare noluit.

Noua moneta ciuitatis Tigurinæ : Conserua nos Domine in pace. Moneta ciuitatis Schaffhusensis: Deus spes nostra.

Symbolum Erdmanni Copernici.

Certa quidem spes est, quod vitam qui dedit, idem
Et velit. & possit suppeditare cibum.

ERAS-



ERASMI SYMBOLVM.
TERMINVS.

ὁρῶ τέλος μακροῦ βίου.

Mors vltima linea rerum.



Compa[illegible] f. 24 g.

polemi[illegible]
7.50.—

~~Mihi Adamo Albino Juniori~~, a Jo-
hanne Claus, + liber iste, dono datus e[st]
~~A[nn]o~~ salutiferæ de N[ost]ro d[omi]ni Incarnacionis
(1627.)

+ Von Auerßbach außm Vogtlande.

~~Sum ex libris~~ Jacobi [illegible]
[illegible] ~~Anno 1664.~~
D: 4 [illegible]

LOCORVM COMMVNIVM collectanea:

A IOHANNE MANLIO per multos annos, tum ex lectionibus D. PHILIPPI MELANCHTHONIS, tum ex aliorum doctissimorum virorum relationibus excerpta, & nuper in ordinem ab eodem redacta, iamq; postremum recognita.

IN QVIBVS VARIA NON solum vetera, sed inprimis recentia nostri temporis Exempla, Similitudines, Sententiæ, Consilia, Bellici apparatus, Stratagemata, Historiæ, Apologi, Allegoriæ, Sales, & id genus alia vtilissima continentur: non solum Theologis, Iurisperitis, Medicis, Studiosis artium, verumetiam Rempublicam bene & feliciter administraturis, cognitu cum primis necessaria.

Cum præfatione *D. SIMONIS SVLCERI.* Acad. Basilien. Rectoris: & Rerum atq; verborum Indice copioso.

ANNO

M. D. LXXIII.

Dono accepi hunc librum ... Christ. ... Zimmermanno ... Lentnero ... Anno 1665. d. 16 Junij.

SERENISSIMO

ET POTENTISSIMO PRINCI*pi ac Domino Dn.* MAXIMILIANO, *Regi Bohemiæ & Vngariæ: Archiduci Austriæ, Burgundiæ, Silesiæ, &c. Domino suo clementissimo.* S. D.

ADMONET me, Serenissime Rex hoc tempus, quo festum S. Michaëlis celebratur, vt de conditione, custodia, atque defensione castorum angelorum, per quos Deus cœtum suũ ab omnibus calamitatibus in hac vita tueri vult, pauca quædam dicere proposuerim. Quibus deinde addam, quo modo Sanctos quoque ad nos possimus angelos allicere, vt fidelem nostri curã gerant, ab omnibusque periculis tueantur, denique, qua id ratione fiat, vt boni sæpe custodis loco, malus homini adiungatur & attribuatur genius.

Initiò autem angelos esse, nemini pio sanæq; mentis dubium est. Id enim & sacra passim Scriptura nobis testatur: & etiam experientia, si rectè rem consideremus, verum esse demonstrat. Abrahamo namque & Lotho legimus angelos ante Sodomæ & reliquarũ circumiacentium vrbium euersionem apparuisse: vt est in Genes. cap. 28. vt 29. Et habemus inter cætera illustre sane pulcherrimumq; huius rei testimoniũ, Exod. 14. vbi angelus Domini eo ipso tempore, quo populũ Iudaicum hostiliter persequebatur Pharao, castra Israëlitica conspectus est præire. Iosuæ consimili ratione, cùm præliũ contra hostes ingrederetur, angelus in albenti præcessit equo: qui pro populo DEI strenuè pugnare visus est. Ita & in nouo testamento legitur, Iosepho apparuisse in somnis angelum: qui monebat eum, ne Mariam grauidã Spiritus sancti virtute factam desereret. Et cùm Herodes, crudelis ille tyrannus, pueri IESV vitæ insidiaretur: angeli solum commone-

monefactione ab imminente periculo Ioſeph cum puero IESV ac matre eſt conſeruatus. Præterea in actis Apoſtolicis hiſtoria memorabilis eſt de S. Petro, qui præter omnium expectationem mirabiliter angelica cura è carcere eductus, Eccleſiæ fidelium reſtituitur. Plura ſimilia paſsim exempla & Veteris & Noui Teſtamenti hiſtoriæ ſuppeditant, quibus idem probari poſſet; ſed hæc pauca, quæ adduximus, in præſentia ſufficiant.

Iam dicendum eſt, quales nos oporteat eſſe homines, ſi velimus vt angelici chori in ſuam nos tutelam ſuſcipiant, atque etiam retineant. Ac tametſi illud ſatis pro dignitate nullo modo facere poſſumus: tamen quantum in nobis diuini ſpiritus fauore atque gratia fieri poteſt, rem paucis adumbrare conabimur. Fiunt quidem boni angeli, noſtri quaſi familiares & miniſtri, vt loquitur epiſtola ad Hebræos; quando diligenter tractamus ſacram ſcripturam, verbumque DEI ſtudioſe audimus & meditamur:

mur: vitamq́ praecipue honestam iu-xta DEI voluntatem, quamdiu in hoc mundo sumus, degere conamur. Id si fecerimus, non tantum sancti angeli, verumetiam tota Diuinitas in nobis ha-bitare vult, & nostris corporibus tan-quam hospitio quondam vti, iuxta illud Christi Iohannis decimoquarto: Si quis diligit me, sermonem meum serua-bit, & pater meus diliget eum: & ad eum veniemus, & mansionē apud eum faciemus. Seruare autem sermonem DEI est, fide & bona conscientia ver-bo ipsius credere, quòd scilicet omnia peccata nobis remittātur propter Chri-stum, quantumuis magna & grauia sint: ac rogare praeterea, vt DEVS nos in il-lo proposito, modò nos vera poeniten-tia ducti ad CHRISTVM confugia-mus, vsq́ ad beatae vitae terminum cle-menter conseruare dignetur. At plura de hac re habet Paulus Corinth. 3. & 6. & praecipue inuitat nos illo dicto Col-loss. 3. Sermo DEI habitet in vobis o-pulenter. Haec si faciemus, contraq́

con-

conſcientiam nihil quicquam agemus: omnino nobis perſuadeamus, ſanctos angelos in omnibus vitæ noſtræ actionibus præſto nobis futuros, omniaq́ue pericula à nobis eſſe propulſuros.

Ex ſuperioribus quæ diximus, iam facilè aliquis colligere poterit, qui à ſpiritibus bonis regantur. Reſtat nunc vt oſtendamus, qui à malis agitentur genijs. In primis igitur omnes teneant hanc regulam, vnde ij qui à malo ſpiritu obſeſsi ſunt, iudicari poſſunt. Omnis qui facit ac docet contraria verbo DEI, quod in Veteri & Nouo teſtamento nobis proponitur, idq́ue pertinaciter defendit, is mali ſpiritus organum ac domicilium eſt. Hæc tamen Regula ſuas etiam admittit exceptiones. Aliud enim eſt, defendere contumaciter errorem contra verbum DEI: aliud verò, errare ex imbecillitate, aut ignorantia non affectata. Sic Iudas non ignarus, ſed deliberato prius conſilio, & diabolico furore incitatus, prodit innocentem CHRISTVM: ſicut de eo

Scriptura testatur, Sathanas intrauit in eum.

Quamobrem statuamus, omnes eos mancipia & domicilia diabolica esse, qui in peccatis contra legem DEI & agnitam veritatē studiosè perseuerant. Præterea, si quis odiose loquatur de aliorum factis, aut aliter interpretetur quàm ab altero sunt suscepta, tantum vt ipse aliquid esse videatur, proximusq; despiciatur: certò illum concludamus à dæmone agitari. Idem iudicium potest fieri de reliquis peccatis, quæ sunt contra singula Decalogi præcepta, quorum Paulus quædam in specie recenset, Gal. 5. 1. Cor. 5. 6. Ephes. 4.

At hoc in loco quærere aliquis posset, quæ sit caussa tanti odij, tantæq; inimicitiæ malorum spirituum contra Ecclesiam: & quare mali genij, non simili à DEO recipiantur modo, sicut homines? Ad hæc sic respondetur: Summus ille princeps malorum spirituum, cùm videret filium DEI coram cœlesti patre suo adeò se humiliare: sese supra

filium

filiũ DEI extulit, ipſumq́; contempſit, cuius rei cauſſa de cœlo deiectus, & omnibus donis, quibus eum DEVS in creatione ornauerat, eſt priuatus. Ex eo tempore quaſi naturali quodam odio ductus, cùm ſuum virus in DEVM effundere non poſſet, imbecillem ipſius naturam, hominem nimirum, ab amore & dilectione conditoris remouere, Deoque odioſam reddere totis viribus conatur. Id quod clarè teſtatur hiſtoria lapſus primorum parentum, Geneſis 3. Homo verò longe ſecus ac diabolus, non temere, ſed inſtinctu ipſius lapſus & à DEO auerſus eſt.

Quare etſi iuſticia DEI illam regulam perpetuò aliâs ſeruet, vt in omnibus creaturis peccatum puniat: & magis mirum videatur, quòd DEVS de ſua lege diſpenſet, quàm quòd mundũ condidit & conſeruat: tamen ſic diſpenſat de ſuo iure, vt filius ſuus vnigenitus fiat deprecator, & ſatis faciat Patri pro peccatis generis humani, quòd diaboli fraudibus in æternæ abiectionis miſe-

riam præcipitatum erat. Hoc autem solatij hominibus est reliquum, quòd quicunque apprehenderit filium DEI fide, eiusque beneficia sibi applicare potuerit, se nimirum sola ipsius obœdientia seruari: ille certò statuat se hæredem esse vitæ æternæ, iuxta dictũ Pauli ad Romanos 5. Iustificati fide pacem habemus apud DEVM. Et Romanos 8. Hæredes DEI, cohæredes autem CHRISTI. Quòd verò diabolus non recipiatur, caussa est hæc: quòd ipse non ex infirmitate, sed superbia ac fastu quodam, à DEO desciuit: in quo furore & odio sic iam confirmatus est, vt nihil aliud in votis habeat, quàm vt omnia in odium & contumeliam nominis diuini faciat, quare quantũ potest, nihil intentatum relinquit, quo primùm ostendat suũ iratum animũ erga DEVM, deinde, vt ipsum ad iram moueat, in eo quòd suam miseram creaturam ab eo seducit. His sceleribus maiorem ipse quoque diuinam erga se pœnam meretur & cumulat.

Hæc sunt quæ hic paucis de sanctis & malis angelis dicere volui, si qui forte mecum ad recordationem diuinorũ beneficiorum excitari per ea possent: quo sic instituamus omnes vitæ nostræ actiones, sicut Paulus iubet, piè, iustè, sobriè: ac preces nostras eò dirigamus, vt sancti angeli fiant custodes nostrorũ corporũ, & deductores animarum nostrarum: sicut de Lazaro in Luca disertè dicitur, quòd angeli ipsum in æternam vitam deduxerint. Idq; vt nobis omnibus fiat, æternum patrem Domini nostri IESV CHRISTI rogabimus: qui hęc ingentia beneficia quęrentibus in filio, & per eum promisit.

Nunc verò serenissime Rex MAXÆMILIANE, S. R. M. V. offero primitias huius mei laboris: quem ex prælectionib. PHILIPPI MELANCHTHONIS, aliisq; clarissimorũ virorum relationibus, non sine studio atq; labore per multos annos collegi, ac in hunc ordinem digessi. Eum quidem non ingratum futurum S. R. M. V. planè mihi

persuadeo.

persuadeo. Primum enim audio liberalia studia, eorumq; sectatores in tanto precio esse apud S. R. M. V. vt omnibus modis conseruare & promouere eos cupiat: & in primis eos complecti atq; fouere qui ad posteritatem propagare literas student. Quod si tale quiddam (vt nō diffido) in nostro hoc Opere inuenerit: id eo animo, quo ea offeruntur à me, vt accipiat, ac authoritate sua maleuolorum morsus à nobis repellat, etiam atq; etiam oro.

Quòd verò ausus fuerim S. R. M. V. hoc Opere adire adhortati sunt me, & approbarunt institutum meum multa præclara Reipub. literariæ lumina, & ciues S. R. M. V. regnorũ, qui spem mihi faciebant non dubiam, fore vt hęc animi mei significatio sereno vultu à S. R. M. V. susciperetur. Quod vt fiat, submissè oro. Deniq; me, & hunc meũ laborem, quàm humilimè S. R. M. V. commendo. Omnipotens DEVS & pater Domini nostri IESV CHRISTI, S. R. M. V. vnà cum generosissima

ſima coniuge, illuſtriſsimisq́ liberis, longæuam incolumitatem, tranquillam gubernationẽ, omniſq́ generis tam futuræ quàm huius vitæ bona concedat: vt vera fortitudine Samſonem, pietate Dauidem, ſapientia Salomonem exprimat. Auertat etiam miſericors DEVS à S. R. M. V. totoq́ eiuſdem Imperio per ſuos angelos, quicquid paci publicæ, veræq́ pietati aduerſatur: Amen. Datæ Baſileæ, in feſto Michaēlis Archangeli, anno reparatæ à CHRISTO ſalutis M. D. LXII.

S. R. M. V.

deditiſſimus

Johannes Manlius.

SIMON SVLCERVS Candido Lectori S.

VT VARIIS MODIS DEVS æternus pater Domini nostri IESV Christi, suam in hoc mundo Ecclesiam omnibus retrò seculis collegit, collectam suauiter fouit atq; defendit: ita vel maximè his in quæ incidimus, postremis temporibus, miranda dilectione & benignitate cœlestibus eandem thesauris perfundit, iuxta diuitias gratiæ suæ, de qua vbertim impartitur in omni sapientia & prudentia, & vt verus oriens Sol ex alto lucis suæ radios emittit, quò dispulsa magis magisq; ignorantia & cæcitate, in qua mundus per principem tenebrarum detinetur, verè contueri lætum Euangelij fulgorem, & frui die possit quem facit sol iusticiæ Christus. Quare par est, vt laudis sacrificium præstemus ei omnes pro beneficio tanto, quo sui in dilecto filio noticiam, quæ vera sapientia est, & radix immortalitatis, nobis misericorditer communicat. Deinde verò, vt sincero & ardenti pectore hæc ipsius dona amplectamur, & augescentes incremento Dei proficiamus constanter, ad perfectiora intenti: quandoquidem hic subsistere, deficere est. Postremò, quòd pietatis est, & candoris, reuerenter de ijs etiam sentiamus & loquamur, quorum opera, vigilantia, fide, emolumenta tam salutaria

taria

taria Dominus confert. Inter cæteros autem diuinæ lucis promos atq; ministros, non postremum locum tenere censendus est vir doctissimus atq; sanctissimus, PHILIPPVS MELANCHTHON: *cuius fama nominisq; celebritas ita doctis passim omnibus innotuit, vt operosa elogia haudquaquam requirat: neq; sit opus ceu è mortuis eum euocare ad cœtus hominum, cùm memoriam sui nunquam non refricet ipse lectoribus, illustribus vtilibusq; monumentis. Prodit enim ipse, dum doctrina ipsius, Dei beneficio, in Scholis per fideles interpretes sonat: vel bonorum virorum industria typis mandatur, nam cum innumeras, easq; graues meditationes de varijs doctrinæ Christianæ partibus, literis ipse mandarit: tum qua fuit ingenij felicitate, tota eius* ὁμιλία *qua nihil doctius ac pium magis, semper eos protulit fructus, qui hauriri ex ipso vel per occasionem ad illustres sapientiæ profectus possent, quos ipse siue in familiaribus colloquijs, siue in publicis prælectionibus ex diuitis pectoris penu deprompsit, vt omnes & actiones, & sermones, bono publico ædificationiq; seruierint. Magnum est, vnà cum doctrinæ vbertate & copia tantam esse sermonis moderationem, vt cum summa sapientia, singularis suauitas, perspicuitasq; coniuncta sit. Ac dici de hoc viro potuit illud Horatij:*

Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci.

Adeò vbiq; grauem comitatem, & comem grauitate

nitatem, pietatemq; vel familiares eius sermones retulerunt. Accedebat huc artificiosa industria, vt quaecunq; apud authores legisset, ad docendũ & oblectandum felicissimè accõmodaret. Hac re effecit, vt rebus obscurissimis lucem & perspicuitatem afferret, cuius fuit studiosissimus: sicut omnis sophistices osor atq; insectator. Non autem vulgaris est artificis, ex lectione varia animaduertere spiritum & genium authorum, sapientiaéq; humanae: quod plurimi scripta doctorum tantum animi gratia percurrunt: interea non maiorem inde fructum referentes, quàm solent aliquando trapezitae, qui plurimam pecuniam tractantes, ipsi nihilo euadunt locupletiores: aut quàm solent ij qui terras peregrinas labore, impendio, & periculis nonnunquam lustrant: qui vt maximè situm regionum, aedificiorum magnificentiam: fontium amoenitatem, cursus fluminum, moles montium, gentium mores & vident & commemorant, at quomodo haec referenda ad vsum sint ignorant: nihilo magis vel ad sacrarum literarum professionem, vel ad publicam administrationem idonei, quàm ij qui nunquam pedes patria extulerunt: & saepe cordatiores, prudentiaéq; & dicendi facultate plenius instructi cernuntur, qui apud suos solerter, cùm diligenti inspectione morum, & exemplorum illustrium, documenta in omnes vitae partes trahunt: tum obseruatione eorum, quae serio, iocô, lepidè, grauiter, modestè, facetè, vrbanè, salsè, dicuntur, intelligendi loquendiq; facultatem sibi pa-

rant: idq́; non ab ijs solùm qui sapientiæ nomine illustres habentur sed etiam a rudioribus: quando & olitor sæpè est oportuna locutus. Maximum quidẽ apud homines pondus ad persuadendum atq́; commouendos animos habent, quæ ab excellentibus viris prudenter & tempestiuè feruntur dicta. Salomon enim magni fieri testatur, si quid dicatur à potente: cũ submissè sonet pauperis sermo. Cui astipulatur illud Hecubæ apud Euripidem: λόγος γάρ ἐκ τ' ἀδοξούντων ἰὼν καὶ τῶν δοκούντων αὐτὸς, οὐ ταυτὸν σθένει. *Sed enim nec aliorum quoque minus clarorum dicta & facta, in vita nobis occurrentia, negligenter & sine obseruatione erunt prætereunda. Neq; enim defecerunt adeò nostris temporibus ingenia: neq; euanuit ita spiritus operatio in senescentis hoc mundi delirio, quin hodie audiantur apopthegmata, gnomæ, parœmiæ, quæ nec grauitate, nec acumine aut solertia priscis, quæ vetustatis nomine suscipimus, vllo modo cedunt. Quid, quod stultissimorum hominum inepti insulsiq; sermones, consilia, actus, vtiliter cognoscuntur: vt ex oppositis tenebris, lucis veræ puritatisq́; suauitas præstantiaq́; plenius elucescat. Ad eum modum in hoc vitæ theatro versatum PHILIPPVM pientissimæ memoriæ virum, apparet, vt oculis atq; auribus in omnia intentis, ex omnibus profectus occasionem hauserit, pectusq́; repleuerit, ceu apis generosa sedulaq́; ex omnigenis floribus, pulcherrimarũ rerum copia, veritate &*

omnigenis

omnigenis floribus, pulcherrimarũ rerum copia, varietate et suauitate: quibus prælectiones atq; scripta sua sic condire potuit, vt nemo non summa cũ voluptate attentioneq;, aut etiam familiariter colloquentem audiuerit: & ceu Ognius Hercules, catena quadam minime ingrata, ex remotissimis orbis Christiani plagis ad se pertraxerit discendi auidos, pertractosq; retinuerit citra fastidium: quod non dubitarent fructum se relaturos, si limen optimi & doctissimi viri tererent, vt Sapiens faciendum monet, & tantum abest vt familiaritate diminuta sit doctrina, & actus, quod plerisq; accidit: vt admiratio iudicij & virtutum magis creuerit, apud omnes qui optimi clarissimiq; viri consuetudine vterentur. Atque hæc cùm pridem solerter animaduertisset hic doctus & honestus vir M. IOANNES MANLIVS, in præceptore suo, seriò id per annos plurimos dedit operam, vt quæ ex ipso fidelissimus auscultator audiret, sic exciperet, literisq; custodibus fidelissimis mandaret, vt & sibi & alijs olim vsui esse possent: maximè cum animaduerteret, hæc lucubrationibus PHILIPPI non inseri, nec nisi à paucis fideliter teneri. Collegit ergo has veluti ex diuite mensa reliquias, vt quas non dubitaret & frugiferas, & gratas olim futuras esse, propter singularem gratiam, pondus, varietatem, & perspicuitatem: quæ ad ritè explicandam religionis & philosophiæ doctrinam, quantum valeant, norunt qui eas ritè in

professo habent. Hinc ergo factum, vt operam eius studium que docti passim non solum probarint: verum etiam, vt in publicum ederet, vrgere, postulare, flagitare non desierint. Quorum pia voluntati haud difficulter acquieuit, vt qui se suaque studia sanctificationi nominis Dei, iuuandaeque quantum in ipso est Ecclesia, bonisque studijs, pridem consecrasset. Caeterũ quo maiore fructu, molestiaque minore, his frui studiosi possent, syluam rerum confusam, in Classes certas, & locos redegit: quo & explicationi, Decalogi, alijsque capitibus doctrina Christianae accommopari possent, & ad quamcunque rem inde sibi ornamenta non iniucunda petere, Commendanda ergo diligentia est, quae documento studiosis discipulis omnibus esse debet, optimi uiri in auscultando, excipiendoque, tùm in elaborando disponendoque hoc opere: quod nec sine sumptibus, neque ἱδρῶτι mediocri, auxiliante Domino, tandem perfecit: vt si quibus parem occasionem facultatemque Dominus concesserit, pari fide & sedulitate, publicis adesse commodis proponant, Deinde vt pientissimos doctissimi optimique Manlij labores, quocunque possunt officio, fauore, gratiaque & studio prosequantur & complectantur: Deumque orent, vt Ecclesiam tot calamitatibus afflictam, benigne respiciat: & depulsis externis internisque tempestatibus, pacem in ea sanctam, ad gloriam nominis ipsius restituat. Bene vale: Basileae, pridie Cal. Octobr. Anno Domini 1562.

PAVLI

PAVLI CHERLERI ELSTERbergensis Elegia, in librum Joannis Manlij, ad Lectorem.

QVisquis amat varios rerũ cognoscere casus,
Quos hodie miri temporis ordo refert:
Historiasq; graues, & multo sparsa lepôre,
Dogmata, commixtis & pia dicta iocis:
Hunc legat, emissum nuper sub luminis auras,
Iudicio scriptas res moderante, librum.
Plurima cognoscet, cognoscet plurima passim,
Affectus animi quæ meditantis habent.
Nanq; vbi fortè leget, miseris mortalibus anni
Sæpius vt mira conditione cadant:
Hic velut ipse sibi mortem parit, alter vt illum
Tollit, & hunc rursum punit vt ipse Deus.
Huic bona ceu blando vultu fortuna iocatur,
Dum facit vt cedant omine cuncta bono:
Aspicit hinc alium duro velut inuida vultu,
Dum facit vt cedant omine cuncta malo.
Hæc vbi fortè leget: vel dulcia gaudia carpet,
Vel gemitus animo commiserante dabit.
Interdum tacitè dicet: Proh Iuppiter alme,
Quàm varijs isto ludis in orbe modis.
Sed neq; diuersi solùm sua pectora casus,
Quos legimus miros sæpe fuisse, trahent.
Doctrinis sed plena suis pulcherrima dicta,
Omnibus in primis commoda mille ferent.
Nã velut hortus alit varias amplissimus herbas
Vnde homini semper largior vsus abit:

Sic liber hic etiam tanquã pulcherrimus hortus,
Herbarum & florum ſuggerit omne genus.
Quot curis igitur gaudet ſua corda leuare,
Vt mœſtis veniat rebus amica quies:
Hunc animo interdũ vacuo ſpaciatur in hortũ,
Et flores aliquos ſedula carpat apis.
Inde ſibi poterit dulciſsima fingere mella,
Plurima quæ dubijs commoda rebus habent
Vos autẽ fucos procul hinc procul eſſe iubemus:
Nobis, non vobis hortulus ille ſacer.
Vos bene degeneres depingit aranea, quondam
Pallade quæ talis facta iubente fuit.
Illa etenim vt ſugit generoſo è flore venenum,
Vnde premit dulcis munera mellis apis:
Sic vobis facile eſt huius de floribus horti,
Pro dulci virus ducere melle nigrum.
Tum velut incautæ non parcit aranea muſcæ,
Cùm cadit in laxas præda petita plagas:
Sic vbi pauliſper vobis data cauſa nocendi est,
Omnia mordaci carpere dente iuuat.
Qui ſapit, & cuius mentẽ regit optima virtus,
Ingenijs iudex æquior eſſe ſolet.
Ille etiam, noſter quem nunc tibi Manlius edit,
Hunc animo librum candidiore leget:
Et memor authori grates, laudemq́ perennem,
Præmia ſuſcepto digna labore, feret.

Baſileæ anno Chriſti
M. D. LXII. Menſe Octobri.

SAMVEL HOLZACHIVS Basiliensis, ad Lectorem.

Integritate pia vir præstans, atq; labori
Socratico fausta sedulitate vacans,
Hæc partim scipsit magno dictante Philippo,
Et partim ex alijs audijt ipse viris:
Nomine quos celebri sapinntia rara beauit,
Quos cernet tacitè crescere longa dies.
Qui partim viuunt humanæ debita, partim
Naturæ fato persoluere suo.
Principiò triados loquitur mysteria summæ
Te genitor, Fili, Spiritus alme, colens:
Ex nihilo tua maiestas vt cuncta crearit,
Queis mundi constat machima vasta, docet.
Tempora continuo dicit labentia motu,
Teq; volans trini nuncia turba Dei.
Humanamq; dein tutantia ritè salutem,
Aetherei regis facta stupenda refert.
Attingit Stygij regnum ferale tyranni,
Nec, de portentis prodigijsq; tacens.
Res variæ, quas producit natura, sequuntur:
Est quæ mirandis ingeniosa modis.
Afferet obscuris hic codex lumina rebus,
Haud vnquam vulgò lumina visa prius.
In testamentis oracula sacra duobus
Edita, præcipuè respicit istud opus.

Quæ

At ꝗ; ita, ne rebus verba minora sient?
Artes namq; aliæ perituræ commoda vitæ
Spectant, vita quid hæc commoditatis habet?
Vita breuis, duri plenissima vita laboris,
Humanæ tolli qui nequit arte labor.
Vani (diuus ait Paulus) sapientia mundi
Omnis ab æterno est infatuata Deo.
Discere mortales, quæ sit via certa salutis,
E sacris libris, haud aliunde, queunt.
Felices animæ, quæ toto corde sequuntur,
Quæ sacer ille Dei spiritus ipse docet.
Corpera cùm fuerint algenti clausa sepulchro,
Gaudia vera illas, nec peritura manent.
Quin & post cineres specie fulgente redibunt
Corpora supremo clarificata die:
Amplius vt non sint funestæ debita morti,
Et cum mente pia cœlica templa petant.
Quis nisi mortali sit maior conditione,
Verba huius studij laudibus æqua fouet?

FINIS.

DE DEO, TRINITATE, ET TRIBVS IN *Diuinitate personis.*

Quæ de Trinitate cogitanda & dicenda.

PRincipium totius sacræ Scripturæ est: Ita omnino de Deo sentiendũ, loquendum & cogitandum est, ut ipse se patefecit claro uerbo, & minimè fallentibus testimonijs, ac editis miraculis Prophetarum, Christi & Apostolorum.

Huc accommodetur id quod Gratianus Imperator in epistola ad Ambrosium dicit: Loquimur de Deo, non quantum debemus, sed quantum possumus. Nemo sapientiam Dei immensam in omnem æternitatem exhauriet.

Quæ de Trinitate non cogitanda aut dicenda.

Augustinus à quodam interrogatus, quid Deus ante mundi conditionem fecisset? Respondit: Parauit infernum de his interrogantibus. Doctor Pontanus eadem de re interrogatus, Respondit: Sedit iuxta spinetum, & uirgas compegit talibus curiosis, de huiusmodi interrogantibus.

Humanæ cogitationes de DEO.

Homerus uolens exprimere humanas cogitationes de Deo, fingit Thetidem quærere Iouem in cœlo, nec

domi ipsum inuenire, ut qui esset adhuc in conuiuio Aethiopum. Hæ sunt humanæ de Deo cogitationes. Lucianus ille ἄθεος fingit cancellos in cœlo, per quos Iupiter certo tempore homines respiciat, quo solummodo tempore petentes exaudiantur: qui autem alieno tempore inuocant, eorum precationem esse inane murmur.

Humana ratio quò vsq; extra verbum perueniat.

Simonides interrogatus quid esset DEVS, petiuit sibi triduum ad cogitandum dari: triduo elapso, denuò sibi triduum concedi uoluit. Deniq; cum diu secum ea de re deliberasset, & iterum interrogaretur, respondit: Quo diutius mecum cogito, eo minus inuenio. Sic humana ratio sine uerbo Dei nihil de Trinitate affirmare potest.

Doctor Ioh. Bugenhagius Pomeranus.

Quemadmodum si quis audiat noctu in templo pastorem concionantem, scit eum adesse, sed non ipsum intuetur: sic genus humanum Deum contemplari non potest per densam caliginem, quæ propter originis peccatum accessit.

Circulus Trinitatis imago.

Non dubium est circulum esse imaginem Trinitatis. Ego sic accommodarem, alius aliter: Centrum est Pater, circumferentia est filius, area est Spiritus sanctus. Sicut centrum est principium circuli, sic DEVS est principium omnium rerum. Hæc ex lectione Euclidis sunt excerpta.

Dua

Duæ ſimilitudines à Sole ſumptæ, quibus veteres vtcunque Trinitatem in Vnitate illuſtrauerunt.

Sol habet tres res in una ſubſtantia: primum eſt in eo circulus: poſtea eſt aureus fulgor: deniq; calor uiuificans res naſcentes. Per circulũ Patrem intelligebant: per fulgorem aureum, filium Dei, qui eſt fulgor æterni Patris, ut ipſum nominat Epiſt. ad Hebræos: per calorem uiuificantem, Spiritum ſanctum, quo pater Filium, & Filius Patrem complectitur, & poſtea Pater & Filius totam Eccleſiam diligunt, & ſibi eam adiungunt.

Secunda parum diſsimilis à priore.

Anima hominis eſt typus proximus Dei, ſicut & Sol. In Sole ſunt tres res conſiderandæ, radius ipſe, lux, et uirtus ſeu calor uiuificans: quæ res non realiter, ſed tantum inuicem cogitatione diſcernantur. Radium Patrem eſſe aſſerunt: lucem, Filium ſicut ipſum ſymbolum nominat: Lumẽ de lumine, uel, ut ait Ioannes, Lux illa uenit in mundum. Virtus altiſsimi, uocatur Spiritus ſanctus in conceptione Chriſti ab angelo Gabriele.

Similitudo ſumpta ab homine, illuſtrans Trinitatem.

Tria ſunt præcipua in homine, mens, ſermo ſeu cogitatio, & ſpiritus, νοῦς, λόγος & πνεῦμα, quæ ſunt pulcherrima imago Trinitatis. νοῦς enim ſeu mens gignit cogitationem aut ſermonem, & habet ſe ut æternus Pater, qui ſeſe cogitans & intuens gignit Filium. λόγος habet ſe ut Filius, qui oſtendit Patrem, ſicut cogitatio uel ſermo mentem. πνεῦμα ſicut ſpiritus

ſanctus, qui commixtus noſtris ſpiritibus excitat in nobis tales motus, qualis eſt ipſe.

Trinitas ſecundum artes deſcripta, à Luthero.

Deus Pater in diuinis eſt Grammatica: dat enim uoces, eſtq́; fons ipſe. Filius eſt Dialectica: dat diſpoſitiones rerum, eſtq́; uerbum λόγος, & diſponit omnia. Spiritus ſanctus eſt Rhetorica: quia inſpirat & mouet uiuificando.

Confabulatio inter D. Martinū Lutherum & Philippum, quòd in creaturis reperiantur ſimilitudines de Trinitate.

In fluminibus, ſubſtantia, fluxus & potentia: ſic etiam in artibus. In Aſtronomia, motus, lumen & influentia. In Muſica, re, mi, fa. In Geometria, tres dimenſiones, linea, ſuperficies, corpus. In Grammatica, tres partes orationis. In Arithmetica, tres numeri. In Rhetorica, diſpoſitio, elocutio & actio ſeu geſtus. Inuentio non eſt artis, ſed naturæ. Sic quælibet res habet pondus, numerum & figuram.

ATTRIBVTA, ET proprietates Dei.

Deus ſolus perfectus.

Plato: μόνου θεοῦ γέρας ἐστὶν, εἶναι τετράγωνον: Solius Dei honos ſeu decus eſt, inquit, eſſe perfectum. Videtis præſtantes naturas ſubitò mutari. Igitur ſolius Dei decus eſt, quòd ſit in eo perfectio uirtutis. Humana omnia ſunt fragilia: ſicut uidetis in Alexandro

dro Magno, illam excellentem & præstantem naturam ita degenerasse à sese, & tam subitò sui factam esse dissimilem, ut mirum sit tantæ uirtutis, & tot honestarum actionum tam repentinam fieri posse mutationem.

Ex proprietatibus Dei, quæ vtilitas.

Mera est ignorantia Dei, nescire quòd Deus sit Deus uitæ & consolationis: id est, quòd Deus sit consolator afflictorum, lætitia & uita. Et econtrà uerissima Dei cognitio est, scire quòd Deus non sit Diabolus, sed simpliciter Deus. Est enim æquiuocum Deus, id quod Euangelista Matthæus cap. 4. indicat. Hic bene distingue Diabolum, qui se dominum omnium rerum uocat, ut à uero Deo discernatur, qui est huius uitæ sustentator.

Solus Deus sapiens.

Cum Mileti inuentam auream mensam Apollo iussisset sapientissimo dari, ciuitas eam Thaleti dandā esse decreuit. Is magnitudinem huius laudis sibi non competere agnoscens, & libenter alteri uel impertiens uel cedens, misit Soloni. Solon ad eundem modum Bianti. Cum per omnes septem Græciæ sapientes uagata mensa ad Thaletem rediisset, ait Thales: Nunc demum se oraculi sententiam intelligere, iussitq; mensam Apollini offerri, quòd Deus significasset hoc inuolucro, neminem mortalium, sed solum se sapientem esse.

An Deus sit alligatus caussis secundis.

Iupiter apud Homerum suspensus de catena dicitur. Expositum est ab Ethnicis, quòd Deus alligatus sit causis secundis. Imo credo potius uoluisse significare Homerum.

merum, illud numen æternum posse moderari causas secundas sua libertate.

PROVIDENTIA ET contingentia.

Est apud Claudianum in bello Ruffini, ubi dicit se sæpe disputasse secũ, an sit prouidentia: sed tamẽ se statuere, esse prouidentiã, postquam Ruffinus punitus sit.

Diogenes dicebat de Harpago, qui rapuerat magnam pecuniam ex thesauro Alexandri, cuius fuerat thesaurarius: Harpagus locuples affert uiuens testimonium contra Deos, cum sit homo omnium peßimus. Deniq; tamen Harpagus luit pœnas.

Tubingæ optimus uir Franciscus Stadianus, mihi admodum familiaris sæpius dicebat: Certißimè statuo, quod sit prouidentia & contingentia: sed quomodo illa fiant, planè ignoro.

DE IMAGINE DEI IN HOMINE.

Quare homo uocatur imago Dei? respondeo: Quia est in eo quiddam iudicans, quod est mens et uoluntas, ac libertas aliqua electionis propter mentem.

Ambrosius.

Non est imago Dei, in qua non habitat ipse Deus. Quod rectè dicitur de renouata imagine.

DE FILIO DEI.

DE DVABVS NATVRIS in Filio Dei.

Viola habet pulcherrimã allegoriam ad designandum Christum. Purpureus color significat humanam

naturam

naturam crucifixã: aureus significat diuinam in Christo. Item uiola significat concionatorem, seu pastorem Ecclesiæ. Purpureus color significat, crucem: aureus uerbum Dei & fidem. Odor ille fragrantißimus significat illam fragrantiam uerbi Dei, id est Euangelij.

Præcipuæ synodi in quibus refutati sunt, qui has duas in Christo naturas oppugnarunt.

Antiochena refutauit Samosatenum, qui affirmauit Christum tantum uulgarem hominẽ fuisse, & eum sicut alij homines, sapientia, gratia ac alijs donis profecisse. Nicæna condidit symbolum Nicænum, & illustrauit in primis articulum de duabus in Christo naturis. In Constantinopolitana quid actum sit, uide locum de Spiritu sancto. Ephesina damnauit Nestorium, qui extinxit hanc doctrinam: Non esse in Christo unitas duas naturas, sed λόγον aßistere Christo, sicut amicus amico adest, aut sicut apud poetas Pallas adest Vlyßi. Chalcedonensis damnauit Eutychem, qui confundebat naturas in Christo: & fingebat humanam conuersam esse in diuinam, ut cum ex aqua & melle facta est mulsa.

Dionysius Areopagita uidens eclipsin solis in passione Christi contra naturæ ordinem existere, dixit: aut Deum naturæ pati, aut totam mundi machinam interituram esse. Vnde satis clarè liquet, in Christo uerè Diuinam naturam fuisse.

DE OFFICIIS CHRISTI.

Augustinus de imagine Christi pendentis in cruce inquit: Inspice uulnera pendentis Christi, sanguinem

morientis, precium redimentis, cicatrices resurgentis. Caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertũ ad diligendum, manus extensas ad amplectendum, totum corpus expositum ad redimendum. Hæc quanta sint cogita, hæc in statera cordis tui perpende, ut totus figatur tibi in corde, qui totus pro te fixus fuit in crucem.

Naturale odium est inter serpentem & pellicanũ. Pellicanus cum auolat à suis pullis, quæsiturus eis cibum, interea irrepit in nidum ipsius serpens, & interficit pullos, super quibus mater reuertens, triduo lugere fertur. Deinde in pectore se uulnerans, conspergit eos proprio suo sanguine, & sic à mortuis pullos resuscitat. Sanguine effuso, debilitatur mater adeò, ut pulli cogantur exire & quærere sibi uictum, quorũ quidam naturali affectu matrẽ debilitatam pascunt, quidam uerò degeneres, matris nullam prorsus curam gerunt. Quòd mater animaduertens, receptis uiribus pullos se pascentes refouet: alios uerò ingratos à se reijcit, aut uiuere non permittit. Pulcherrima imago est, filium Dei saluatorem nostrum repræsentans. Diabolus naturali odio filium Dei, & eius pullos, id est credentes, prosequitur, & eis uitam tandem crudeliter eripit: Christus uerò, qui est uita & dator uitæ, nostra calamitate motus uulnerat se in pectore, et uitam suam pro nobis æterno Patri offert, suoq́; sanguine nos à serpentis ictibus in uitam æternam restituit. Sed quid fit? Quidam pulli illud beneficium amplectuntur, & sunt grati erga matrem Ecclesiam & Christum: quidam uerò degeneres negligunt beneficia, & erga matrem

Ecclesiam sunt ἄστοργοι, quos tandem filius Dei ex Ecclesia exterminabit, et in extremo iudicio iudicabit.

Cedrus est imago officiorum Christi. Quemadmodum enim cedrus apposita cadauera prohibet à putrefactione & arrosione uermium, nec uiuos patitur: sic Christus reddit mortuis uitam, uiuentibus adfert mortē.

Sicut adamas tanta duritie est, ut nulla ui poßit frangi nisi adhibito sanguine hircino: ita Diaboli potentia maior est, quam ut poßit ab ulla creatura debilitari: sed solo cruore filij Dei frangitur & debilitatur.

POENA CONTEMPTVS officiorum filij Dei.

Iulianus apostata cum bello Parthico abesset, Libanius impius sophista Antiochiæ ludimagistrum interrogat Christianam irridendo religionem: Nunc, inquit, fabri filium quid putas facere? At ludimagister Spiritus sancti instinctu prædixit, quod paulo pòst accidit. Respondit enim: O sophista, creator omnium rerum, quem tu fabri filium appellas, loculum Iuliano concinnat. Post paucos dies Iulianus telo (de quo incertus erat unde erat missum) traiectus interijt, ac loculo impositus Antiochiam est aduectus. Ita qui in cœlis est irridet eos, & uicißim subsannat hostes suos.

Cum ageretur in quodam celebri loco tragœdia de paßione & morte Domini nostri Iesu Christi, quidam agens personam pendentis in cruce Saluatoris nostri, accepto in corde lethali uulnere, ab alio petente uesicā cruore impletam, & lateri ipsius alligatam, mortuus

concidit: alium etiam, qui deflentis sub cruce persona repraesentabat, lapsu interemit, cuius mortem frater uindicans in eo, qui ipsum in ligno pendentem sauciuit, capitali supplicio affectus est. Ita quatuor occubuerunt non sine suspicione, quod homines in tam serijs rebus ludant: praesertim cúm id fieri non poßit sine offensione piorum hominū ac Deum timentium. Est etiam pœna, qua Deus iram suam uult ostendere aduersus contemptores paßionis Domini nostri IESV Christi quam amplius repraesentari non uelit.

DE SPIRITV SANCTO.

IN historia Ambrosij est, quòd quando enarrauerit haec uerba: Sicut ouis ducitur ad mactandum, tunc scriba eius uidit flammam ex ore ipsius erumpere, quae uerè fuit Spiritus sanctus. De Elia idem scriptum est ab Epiphanio in uitis Patrum, quòd quando solitus est infantulus lambere papillas matris, mater & alij uiderunt eum non trahere lac, sed flammam. Significatum est futurum eum plenum Spiritu sancto.

Quidam dicunt Spiritum sanctum dari non essentialiter, ignorantes quid dicant. Quando Spiritus sanctus mouet cor, mentem & brachia Dauidis in praelio, ipse Spiritus sanctus fuit in eo substantialiter, id est: non est eadem persona, sed est in eo tanquam in domicilio, & tanquam in templo separabiliter, ac tamen adest substantialiter, permiscetq; se ipsius spiritibus in cerebro & in corde, agitat, & eum mouet, quod est magnum Dei beneficium, quòd Diuinitas ita se nobis permiscet. Hoc quid sit, inde potest intelligi, quia in

Scriptura

Scriptura sæpè dicitur: Misit spiritum Filij sui in corda uestra.

Constantinopolitana synodus defendit hunc articulum, Spiritum sanctum esse personam procedentem à Patre & Filio.

DE CREATIONE.

DE MVNDO & TEMPORE.

QVidam scripsit mundum esse æternum, quia homines paulatim essent facti sapientiores: dicit etiam Homeri tempore non fuisse literas. Quanta stultitia est putare se sapientiorem esse quàm fuerunt illi præstantißimi uiri, Adam, Nohe, Abraham & alij.

De duratione Mundi dictum Prophetæ Eliæ, vel traditio domus Eliæ.

Sex millia annorũ mundus, & deinde conflagratio.

Duo millia inane.

Duo millia lex Moysi.

Duo millia dies Meßiah.

Et propter peccata nostra, quæ multa & magna sunt, deerunt anni ex his, qui deerunt.

Scriptum anno 1560. postquam natus est Christus ex uirgine: anno post creationem mundi 5522.

De duratione Mundi, dictum Irenæi martyris.

Quot diebus factus est hic mundus, tot & millenis annis consummetur, est enim dies Domini, quasi mille anni. In sex autẽ diebus cõsummata sunt quæ facta sunt: igitur cõsummatio eorũ septimus millesimus annus est.

Alia

Alia coniectura de duratione Mundi.

Ego *in antiquo codice scriptum legi:* Im 1580. Jar/geschicht nichts newes/so zergeht die Welt gar. Id est: *anno* 1580. *si nihil noui accidat, totus mundus peribit.* Habeo *etiam aliam coniecturam.* Nam *tempus constitutæ politiæ* Mosaicæ, *id est, ab exitu ex* Aegypto, *usq; ad eiusdem politiæ destructionē, cum duratione mundi planè congruere existimo.* Stetit *uero politia* Mosaica *annos* 1582. *usq; ad ultimā destructionem sub* Tito. Igitur, *mundum post destructionem illius politiæ ultra illos annos duraturum esse haud puto.*

De anno Clymacterico.

Clymactericus *annus facit mutationes in statu & conditionibus hominum.* Est *autem septimus annus, qui semper multiplicatur, ut* 14. 21. 28. 35. 42. 49. 56 &c. Ego *egregios & præstantes uiros noui, qui* 56. *anno ex hac uita decesserunt.* Iacobus Micyllus, *bonus & præstans uir* 56. *anno moriebatur: similiter* Durerus *excellens pictor* 56. *anno est mortuus, & alios multos possem nominare, temperanter etiam uiuentes, anno eodem mortuos.* Estq; *inprimis annus* Clymactericus, *quando septenarius cum nonario multiplicatur, ut: annus* 63. *ualde multos tollit, qui est annus mortis* Aristotelis, Virgilij *& ducis* Friderici Electoris Saxoniæ. Concurrunt *in illo anno hi duo numeri septimus & nonus.*

De anno Iubileo & eiusdem autore.

Leuitici *uigesimo quinto capite, constituitur lex de anno* Iubileo, *ut facultates ad priores suos dominos redeant.*

deant. Significauit uerò ille annus Iubileus populo Israelitico uniuersalem Euangelij prædicationem, & ueram remißionem omnium peccatorum, quæ est Ecclesiæ propria omnibus temporibus. Habuit etiam præter hanc significationem alias multas utilitates politicas & singulares. Voluit Deus facultates in illo populo manere, & apud illas familias, quibus lege Moysi à Iosua antea erant traditæ, sicut apud nos fit in feudis, quæ uasalli non possunt, nec debent sine consensu domini feudi alienare. Hæc ratio hanc ipsam ob causam in imperio Romano adhuc seruatur, ut maneant facultates apud suas familias. Occurrit etiam Deus de hac lege his utrisq; prodigis & auaris. Hi inhiant alienis facultatibus, & illas uarijs artibus ad se rapere conantur: illi uendunt suas paternas facultates, & inanibus sumptibus consumunt. Sed in magnis imperijs hæc consuetudo seruari non potest, ut cùm Romanum imperium crescebat, multi habuerunt prædia & facultates in Aphrica, Europa & Asia, quæ ad pristinos dominos propter multiplices possessores redire non potuerunt. Legimus de Seneca, habuisse eum pulcherrima & fertilißima prædia in Aphrica, quæ (ut de Aphricæ fertilitate constat) singulis annis centuplum proferrent, ita ut unus modius centum daret.

Sic ad imitationem huius legis Mosaicæ κακοζηλία quadam, Papa propter suum quæstum constituit annum Iubileum, quem nominat annum remißionis peccatorum, sumpta initiò occasione à relaxatione ueterum Canonum pœnitentialium, quibus ita uexabantur

turbo nimes, ut præ earum duritie uix seruari posse uiderentur. Itaq; quo illos Canones relaxaret, excogitauit idem illo anno singularem remißionem, ut quando quidam commiserat adulterium, septem annos ieiunare, & à coniugio abstinere oporteret: & similia multa monstra contra uerbum Diuinum introduxit, quæ adeò atrocia fuerunt, ut nihil mirum sit, si etiam bonorum hominum conscientias in desperationem & dubitationem uariam impulerint. Postea paulatim relaxarunt illos Canones pœnitentiales, accepta pecunia ab hominibus, quam remißionem uocarunt indulgentias. Dicunt Bonifacium Octauum autorem huius anni Iubilei fuisse, quo homines Romæ pecunia redimerent sua peccata, annunciata eis à Papa remißione peccatorum. Fertur sæpe tanta hominum frequentia Romæ fuisse, ut in illa hominum constipatione multi hac mutua collisione sint extincti. Illud pecuniæ aucupium ante nostra tempora adeò creuerat, ut Papa Cardinales in Germaniam uenditione harum indulgentiarum ad magnam summam pecuniæ colligendam mitteret. Eiusmodi annum Iubileum Papa 1550. anno iterum celebrauit Romæ. Habet autem nomen à buccina seu tuba, qua Iudæi in magnis solennitatibus & festis populum conuocabant, sicut nos campanis plebem ad conciones & alias res sacras peragendas, conuocare solemus.

Quæ ætas laboribus & quæ consilijs dedita esse oporteat.

Εργα

Ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μέσων, εὐχαὶ τε γερόντων. Siquidem si quis à trigesimo usq; ad sexagesimum annũ laboribus deditus atq; defatigatus fuerit, quietem meruisse uidetur, sicuti fuit ætas militaris Romæ, ubi militabant annis triginta: uidelicet à trigesimo usq; ad sexagesimum. Postea sexagenarij sunt idonei consilijs, secundum ueterem uersum, ἵππῳ γηράσκοντι τὰ μείονα κύκλ' ἐπίβαλλε, id est: Senescenti equo da mitiora cicela, hoc est frenos. Aetas uerò post septuagesimum annum iam est imbecillior.

Erasmus cùm ei semel scriberem, ut curaret, ut ipsius actus postremus esset congruens ipsius autoritati: respondit mihi, ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μέσων, εὐχαὶ τε γερόντων.

Aetates mundi.

Aetates mundi conueniunt cum potentijs animæ. In prima ætate floruit ἡγεμονικὸν: in secunda ætate regnauit θυμικὸν, id est, militares homines, gigantes, ueluti Samson, Dauid & Achilles, qui fuerunt coætanei. In illa ætate Iulium Cæsarem facio ultimum. ἐπιθυμητικὸν est tertia ætas, in qua nos indulgentes cibo & potui uiuimus. Nam nos non possumus ferre labores & molestias militares, quæ in secunda ætate existentes pertulerunt.

Qualis nostra ætas sit.

Astrologi dicunt, hanc nostram ætatem esse lunarem, regnareq; trigonum lunarem, qui habet insignes mutationes. Lunaris trigonus est piscium, cancri & scorpij, mixtus ex Marte, Venere & Luna: uidemus enim uariam huius seculi mutationẽ.

Dictum Iohannis Stigelij de humanæ naturæ fragilitate.

Natura hominis post lapsum est tanquam fractum horologium, in quo semper aliquid sarciendũ est, neq; unquam in hoc seculo perfectum fiet. Simile dictum reperitur in horologio summi templi Basiliensis.

Fert omnia tempus.

Der Welt anfang mittel vnd endt/
Muth/zeit/ stundt vnd tag verwendt.

DE ANGELIS, LIBERAtionibus & defensionibus Dei miraculosis.

Angelorum officium quod.

Angeli ideo creati sunt, ut defendant & tueantur nos homines, sunt enim λειτουργικὰ πνεύματα. Nisi enim adessent Angeli boni hominibus, una hora, imò momento, diabolus totum mundum inuerteret. Quia & diaboli & boni angeli prope homines sunt undicunq;, sed unus bonus angelus fortior est mille diabolis.

De Angelis facetè dictum.

Quidam pastor dixit: Est difficile de Angelis concionari, quia nullus scit quis sit uir, & quæ sit fœmina, Wer ein Sie oder ein Er ist.

Exempla vbi Deus suos miraculosè per Angelos defendit. De puero Cygneo.

Audiui à quodam graui uiro, & fide digno, se compertum habere, sibiq; de ueritate facti huius constare.

In

In quodam pago uicino urbi Cygneæ, mulier quædam iußit filium suum adducere boues, in proximo syluæ aditu pascentes, & cùm puer aliquanto diutius commoraretur, incidit magna nix, quæ totos illos montes obtegebat, nocte ingruente, nec poterat puer ex illis montibus egredi. Parentes postridie solliciti non amplius de bobus, sed de filij uita, expectabant aduentum filij, nec poterant de niuis altitudine egredi ad illos montes quæsitum filium. Tertio die egredientes, quærunt puerum, tandemq; inueniunt ipsum in aprico syluæ loco, ubi nulla nix erat, sedentem, & parentibus aduenientibus arridentem. Interrogatus autem puer, quare non rediret domum? respondit, se expectare donec adueniret uesper, nesciens iam diem præterijsse, nec ullam niuis molestiam aut tempestatem erat passus. Et cùm amplius interrogaretur, an etiam aliquid commedisset? dixit, aduenisse quendam uirum, qui porrexerit sibi panem cum caseo. Ita haud dubie per angelos seruatus est iste puer in media bruma: et sine dubio angelus fuit ille uir, qui puero panem cum caseo porrexit.

De Grynæo.

Cum essemus Spiræ in conuentu, concionabatur Faber, & multa dicebat tetra de transsubstantiatione, & adoratione panis consecrati. Quæ cum audiuisset Grynæus, finito sermone, hominem accedit, dicitq; se quandoquidem audiuerat ipsius concionem de Sacramento, cupere magnopere de eadem re priuatim cum ipso colloqui. Quod cum audiret Faber, humanißimis uerbis & uultu beneuolo respondebat, & ipsi

optatißimum fore istum diem, quo cum Grynæo esset collocuturus, præsertim de re tali, iubebatq; ipsum postridie ad suas ædes redire. Grynæus nihil mali suspicans, discedit: rediens ad nos, dicit, se cras disputaturum esse cum Fabro. Sed ille interea temporis Grynæo insidias struit, accedit quendam illustrem uirum, ac totum ipsi negotium exponit: ac tandem obtinet ut hic illustris uir in uincula per Senatum, Grynæum coniici mandet. Cùm prandium uix incohoassemus, uenit uir quidam senex in nostrum diuersorium, ac me à prandio ad se ante fores euocat, interrogans de Grynæo, an intus esset? cui respondi, esse, subijcit ipse, imminere ei periculum, quod si uitare uelit, quàm primùm fugiat. Quæ cum Grynæo nunciassem, suasi ei fugam: ille obtemperat. Surgimus à prandio ego, D. Crucigerus & ipse: nos procedebamus, ministri nostri sequebantur, in medio ibat Grynæus. Non transieramus quatuor aut quinq; domos, statim in hospitio aderant lictores, quærentes Grynæum, sed cùm non inuenissent eum in diuersorio, nihil ulterius fecerunt, uel iußi ut tantum ibi quærerent, uel personas nostras non agnoscentes, aut alioqui nihil crudele facere cupientes. Interrogaui multos, utrum hunc uirum nossent? uolens illi pro hoc beneficio gratias agere, sed nullus mihi indicare potuit, quis fuisset, neq; unquam amplius ipsum uidere potui. Hunc uirum omnino fuisse Angelum puto. Grynæus, cùm deduxissemus ipsum usq; ad Rhenũ, conscendit nauim, & traiecit nobis expectantibus, ac postea nostrum aduentum Heydelbergæ expectauit.

De

De M. Spangenbergio.

M. Spangenbergius pastor Northusanus, conferens se cum filijs suis in balneum, ibi aliquot horas lauando consumpsit. Egresso è balneo cum filijs, statim hypocaustum corruit. Testatus est pater cœlestis, nos illi curæ esse, & uerè Angelos esse custodes nostrorum liberorum, parentum, cognatorum: & omnes nostras facultates per suos ministros tueri & protegere.

De Canonico Borussiæ.

In Prussia accidit memorabile factum. Cum nasceretur quidam puer, statim accessit eũ genius (uel quidquid illud tandem fuerit, id iudicandum alijs relinquo) qui ita curam infantis habuit, ut ipsi non fuerit opus alterius ullius ministri, aut famulæ ministerio. Cum hic adolesceret, simili ratione curam ipsius egit, ut cum ipso Scholas uisitaret, ita tamen ut neq; ab ipso, neq; ullo alio conspiceretur, exuit caligas adolescentis, ut famulus. Et si quod immimere periculum adolescenti uideretur, uel spiritu claro prædixit: deinde facto adolescente Canonico, cum aliquando largius se ingurgitasset bibendo, exorto subito fragore, omnes sunt perterrefacti. Tunc ille adolescens, inquit: Nolite timere, mea res nunc agitur, altero die incidit in febrim, et totum triduum, donec abiret in suas ædes, eiulatus est auditus. Hic Canonicus Copernico Mathematico optimè fuit notus.

De duobus filijs doctoris medicinæ in Neccharo seruatis.

Heydelbergæ audiui à docto uiro, filio Doctoris Medicinæ, quòd is cùm esset puer exiuerit in hortum deambulatum cum fratre. Pueri ambo simul euntes, & tenentes se mutuis brachijs, insolentia quadam errauerunt in ponte, ut ambo de ponte in flumen delaberentur, qui tunc non erat munitus, sicut hic pons in Albi. Ego noui utrumq;, & iam sunt uiri, qui ad iustam ætatem peruenerunt. Ancilla uerò imperterrita quæ illos sequebatur, statim desilijt de ponte in flumen & apprehendit utrosq;, & sic eos seruauit. Si fuisset imbecillis naturæ, disputasset secum: Tu peribis, non poteris euadere incolumis: sed illa uincitur naturali obligatione.

De seruato infante.

Noui uirum nobilem in Oppido Creutzberg, qui adhuc uiuit, cuius filius decidit ex fenestra arcis in fossam aqueam circa arcem Ancilla cucurrit ad famulum, qui erat in inferiore ædium parte, & dicit puerum in aquas incidisse. Ibi accurrit seruus magnitudine animi fretus, dimisit se in fossam, & liberauit puerum adhuc incolumen: etsi aliqua mora intercessisset, tamen diuino auxilio puer seruatus est.

De Carolo V. Imperatore.

Imperator Carolus V. sæpè in magnis periculis quorum illud inter cætera non minimum fuit, cùm in expeditione Aphricana reliquas iuxta se naues mergi, sibiq; idem periculum instare uideret: tamen diuinitus ex hoc, sicut ex plurimis alijs, seruatus est: sicut dixit

ad me

ad me Granuelus, O malum hospitium, ô malum hospitium mare.

Pinxerunt quidam Imperatorem Carolum V. dormientem, & Christum abigentem illi muscas, quod fecerunt in ignominiam eorum qui imperatori struxerant insidias, quæ tamen diuinitus impediebantur.

De Duce Megapolensi.

Est in historia Megapolensium principum, quomodo aliquis ex ducibus in bello aduersus Turcas captus postea in Aegyptum ductus sit, ut ibi seruiret. Elapso aliquo tempore Liuoniensis quidam magister tormentorum, factus est Soldanus Aegypti. Hic cùm nouisset illum ducem, uocat eum ad se, dicens: Vetus fuit inter nos amicicia, et ego tecum sub patre tuo militaui, à quo plurima in me beneficia sunt collata, pro quibus meam erga te gratitudinem iterum declarabo. Memor igitur illius nostræ ueteris amiciciæ, & beneficiorum tui patris mittam te in patriam. Dux aliquandiu Soldano acquiescere noluit, dicens, se non ægrè ferre seruitutem, quam tamen, si ipse magis lenire uellet, sibi gratum fore: quod si faceret se non admodũ cupere in patriam reuerti, quòd uereretur nec suos ipsi fidem habituros esse, & arbitraturos quòd esset impostor. Adhortanti Soldano tandem acquiescit: is nauim ipsi prospicit, addito uiatico & mediocri comitatu. Ibi cum præternauigarent Macedoniam, rursus in mari à Piratis capitur, & in Aegyptum ad eundem Soldanum reducitur, cui dixit: Vides, Deum me redire in patriam non uelle, manebo potius hic. Sed Soldanus Ducem denuò

instructum uiatico, & maiore comitatu mittit in Cyprum, ubi inuenit (Dei prouidentia sic ordinante) suam coniugem, cum qua in patriam profectus est. Postea uerò per totam uitam ipse cum suis pro hac liberatione Deo gratias agere solitus est.

De Ludouico 12. Rege Galliæ.

Ludouicus duodecimus Rex Galliæ, qui proximus fuit ante Franciscum, postquam diu exul apud Imperatorem Maximilianum fuisset, uocatus est rursum ad regnum. Erat autem pulsus in exilium à Carolo Gibboso, & euaserat in habitu mulieris. Veniebat igitur ad Imperatorem Maximilianum, apud quem uiuebat, donec iterum in regnum Galliæ reuocaretur. Ita diuinitus est custoditus, & in regnum suum restitutus.

De ducibus Saxoniæ Friderico & Iohanne.

Duces Saxoniæ, Fridericus Elector & Iohannes, fratres, aliquando in Albi Torga Vuitebergam usq; nauigauerunt: cumq; recenter solutæ glaciei magna moles innataret, ita nauim utrinq; quassauit, ut cum Vitebergæ in ripam uicinam essent egreßi, carina nauis fissa, & asseres dissoluti diffluxerint. Intuentur igitur spectaculum principes, stantes in ripa, cum magna admiratione, cogitantes quanto in periculo fuerint: agnoscunt diuina ope nauim esse seruatam, donec ipsi egreßi essent: deniq; post longum silentium, inquit Dux Fridericus ad fratrem: Fatemur nos esse seruatos diuinitus, & grati beneficium Dei celebremus,

mus, qui nos in hoc periculo et in alijs protexit. Quod autem nobis egreßis nauis dilacerata sit, profecto metuo post nos nostræ nauis, id est, domus Saxoniæ dilacerationem portendere.

Liberatio cuiusdam præstantissimi Principis.

Cùm enim absens Imperator Carolus V. in Germania res nondum pacatas componeret, accersitus est quidam ingenio, prudentia, alijsq; multiplicibus uirtutibus excellentißimo princeps ad gubernationem Hispaniæ & uicinorum regnorum. Ibi dum uel animi causa, uel exercendi corporis gratia, uenationi ad Granatam uacaret, cumq; in ea uenatione cupiditate insequendi feram oblatam, longius à comitatu suo discederet, à suis relictus diu in densißimis syluis uagatus est, accedente iam nocte, solicitus (ut qui sibi à feris in illis locis immanißimis, & alijs noctis incommodis timeret) circumspectat, si quis sibi locus daretur, quo se in tutum reciperet. Itaq; procul conspecta pastoris casula, citato equo ad eam peruenit: rogatoq; pastore, ut sibi apud eum diuersari ea nocte liceret, is omnia benignè pollicitus, descendere de equo iubet, & tugurium ingredi. Erant porrò domi apud pastorem sex numero: utiq; præter illum, filius circiter uiginti annos natus, tum oppidò robustus, & ad quoduis facinus aggrediendum idoneus: præterea uxor cum paruula filia & nuru, quæ paulò antè noua nupta in familiam rustici concesserat. Princeps ubi ad terram equo desilijsset, cumq; tradidisset opilioni curandum, casum ingreditur, ac

dum tenuis cœnula sibi paratur, ad ignem aßidet, nihil quicquam suspicans mali. Interea quum ij, qui domi erant, hunc principem minimè nossent: neq; ipse, quisnam esset cuiquam apperuisset: illi tamen eum eleganter amictum, & præclaris alijs ornamentis corporis & animi ornatum uiderent, rati, eum esse magnum omnino aliquem, atq; opulentum uirum, optimæ inhiantes prædæ, fœda deterrimaq; de illo perdendo consilia ineunt. Itaq; cœnati, cubile (in perangusto cubiculo, quod quidem hostiolo uetustate putri, & cardinibus diluxatis, ac malè cohærentibus ægrè claudebatur) ei consternunt. Dumq; ea parantur, noua nupta filij, siue quod huiusce consilij ab initio particeps fuisset, factiq; conscia, cuius postmodum eam pœnituisset: siue (id quod credibilius est) non adhibita consilijs, tantum ex nutibus ipsorum & concursationibus rem persensisset: tandem uel atrocitati rei commota, uel egregij principis sibi ignoti uicem miserata, fidem ab eo stipulata, ne se proderet, illi perdita consilia detegit. Is licet facile potuisset, apertè fassus, quis nam esset, illud periculum declinare: maluit tamen uirtuti propriæ quàm fidei pastorum, et eorum præsertim quos semel infidos atq; impios expertus esset, sese committere. Itaq; magno & erecto animo statuit, ut periculum potius, quàm eorum perfidiam subiret. Quamobrem in cubiculum sibi ad insidias paratum, ab hospite perductus, haud grauatim se recipit: ibiq; occluso ostio, eoq; obiectu grauioris arcæ, bene oppilato: tum in manum sumpta bombarda ad omnes casus subeundos, parata,

rata, cœpit intrepidus obseruare quò res caderet. Pastor cùm illum de uenatione ac uia fessum uidisset, ubi somno pressum dormire credidit, suspenso gradu ad ostium accedit: ac manu prætentat, nihil ratus, fore, ut id clausum interius offenderet. Quod ubi præter spem illi accidisset, petit à Principe, ut sibi ostium aperiat: esse cur uelit, nescio quid straguli ex arca promere. Is uerò cum omnia persensisset, ut qui nihil dormiret: Apage te (inquit) cum tua ista importuna diligentia: ego iam in somno compositus, nihil est cur ostiū recludam. Tum ille primum indignari, clamare, quiritari, se perditum ac proditum prohiberi rebus suis: deinde ad arma currere, uim apertam parare; postremò palàm cædem quoq; minari, nisi domus sua tota sibi patêret, ac ille sese ipsi protinus dederet. Et iam pastores cœperant hostium amoliri, alius autem per fenestram cubiculi eò tentare irrumpere: eoq; obnixius rem cœptam perficere conabantur, quòd iam sua consilia detecta esse facilè intelligebant. At uerò hic Princeps magnanimus quum rem in iniquissimo loco sitam uideret, fortiter pugnandum ratus, intentatū ad fores bombardā displodit: quo glandis ictu ostium traiecit, pastorem prosternit, nec mora, dimota arca, patefactoq; hostio foras erumpit: pastoris filium obtruncat, opilionem ense stricto persequitur, inq; fugam uertit. Neq; tamen protinus omni periculo defungitur: nam & uociferationibus uxoris, & tumultu insueto exciti, qui circumaderant alij pastores, raptis undiq; telis concurrunt: domum ipsam armati circumsistunt: Iuuenem

principem ad cædem & supplicia deposcunt. Ille autem dum primo illo insano rusticorum furore (quo nihil iniquius est) sibi caueret, nihil præterea territus, ubi iam illucescente aurora, magnam rusticorum turbam illò confluxisse uidet: audacter, quisnam ipsius esset, aperit: atq; intrepidus, autoritate illa, quæ se digna erat, Hispaniarum sese præsidem ac moderatorem esse ostendit: extremum omnibus supplicium minatus, ni se omnes totis uiribus seruatum uellent. Si sibi parum fidei habendum putarent, à præsenti cæde abstinerent: sese cognitioni magistratus animaduersioniq; reseruarent, quod si id facere negligerent, id non sibi solum fraudi, uerumetiam ipsis excidio atq; internecioni futurum. Illi, tametsi & heroica præstantißimi iuuenis principis indole & constanti oratione permoti, facilè crederent illum ipsum esse, quem præ se ferret, à cæde quidem abstinent: cæterum ne ab ingenio suo rusticano discederent, eum comprehensum manibus uinciunt, itaq; colligatum, atq; obstrictum summo mane ad uicini oppidi præfectum perducunt. Iam eodem peruenerant ex principis satellitibus, eum quæritantes: quem quum ita uinctum, atq; indignißimis acceptum modis uiderent, parum abfuit, quin in turbam illam pastorum inconditam ac tumultuantem irruerent: sed ab ipso admoniti, ut à ui & armis temperarent, ægrè absistunt incœpto. Tum uerò horum aduentu re omni, ut erat, detecta, qui tanti sceleris fuerunt conscij, indignißimi facti pœnas dederunt. Opilio ad extremum supplicium pertractus: scelerata domus tam impij facinoris

cinoris

cinoris particeps flammis consumpta: noua nupta quæ indicium fecerat, multis & magnis muneribus affecta apud ipsum principem, suosq; in magno precio est habita. Sic princeps ille mirabili Dei bonitate in periculosissimo illo casu conseruatus, & ex illo liberatus est. Cæterùm, ut æternus pater Domini nostri IESV CHRISTI hunc præstantissimum & sapientissimum principem, unà cum suis à tragicis, et periculosis casibus Reipub. orbis Christiani diu incolumem conseruet & tueatur, mecum omnes precari uelint.

Lectori.

Cum in collectione horum locorum uersarer, candidissime Lector, inueni hanc historiolam prædictam aliter ab alijs recenseri. Ego tamen usus consilio doctorum uirorum, nolui eius fructu lectorem fraudare. Quamuis igitur eam diuersis circumstantijs ab alijs referri audiuissem, & meum quoq; exemplar iam conceptum nonnihil ab hoc uariaret, tamen cum inciderem in Ioan. Iustiniani Cretensis epistolas, ipse mihi autor dignissimus uidebatur, quem sequerer. Itaq; ad ipsius relationem & meum exemplar immutandum atq; conformandum duxi.

Liberatur D. Philippus Melanthon, & alij docti viri ex summo periculo.

Mihi aliquando diuertendum fortè fuit in quodam oppido Papistico, ubi quoq; hospicio erat exceptus sacerdos quidã Papisticus, cum certo numero satellitum.

Aderat

Aderat autẽ unà comes à Kónigstein, & alius quidam uir eruditus, qui à mea parte erat. Tum inter cœnandũ mihi unum atq; alterum uerbum excidit ex Homeri Odissea, quam fortè in manibus habebam. Ibi statim satellites cœperunt suspicari nos esse Lutheranos, & uitæ nostræ insidiabantur: & nisi comes à Kónigstein mandasset hospiti, ut nos occultaret in inferiore parte ædium, prope puteum per noctem, & summo mane nos dimitteret, certè actum fuisset de nobis. Sic nusquam non odium ueteris serpentis aduersus Christianos, & econtrà Dei clementißima defensio erga suos apparet.

Liberatur grauida nobilis mulier cum infante ex deliquio animæ.

Noui quendam pastorem in Thuringia non procul à Gotha, cuius mater matrona nobilis, uicina partui, cùm in festo assumptionis Mariæ, quando dedicabantur herbæ, staret ad aram in templo, & iam esset afflata illarum herbarum graui odore, incidit in lipothymiam tantam, ut in terram cadens existimaretur esse mortua. Postquam res perfertur ad maritum, hominem nobilem & ab ipso quæreretur, utrum uellet eam sic sepeliri, an uerò ipsi catenas aureas & similia ornamenta demi? Respondit, se eam sic remissuram esse Deo, sicut euocasset illam ex hac uita, nec uoluit illa ornamenta auferri. Ponitur in pheretrum, iacet sic in templo integro die. Noctu cùm quidam homo sceleratus accederet ad pheretrum, spoliaturus eam, & corpus attrectaret, incœpit ipsa se mouere: ille perterritus putat spectrum esse, & concitato cursu & clamore, fugit ex templo.

Mulier

Mulier autem paulatim sese colligens ex illo strepitu & clamore, uidet tandem quo in loco sit, incipit et ipsa uociferari: accurrunt uicini, & uident quid cum ipsa actum sit, deducuntq; eam rursum ad maritum in arcem, quæ non procul à templo aberat, ibi cum ipsa incaluisset in uaporario, incipit parturire. Maritus statim uotum facit se dedicaturum esse Deo quicquid peperisset. Postquam igitur peperisset masculum, eundem ubi paululum adoleuisset, monachum Franciscanum effecit: sed idem postea deposito errore & superstitione, factus est Pastor in quodam loco Thuringiæ. Ita clementer illam honestam matronam Deus cum infante diutius in uiuis retinuit.

DE MALIS SPIRITIBVS seu diabolis, & ipsorum operibus.

An sint Spectra.

Vidi Tubingæ ferè singulis noctibus aliquas flammas, quæ cum diu flagrarent, tandem in magnum & amplum fumum dissolutæ sunt, & ita euanuerunt. Similiter cùm uiuerem Heydelbergæ, apparuerunt spectra, quales sunt stellæ cadentes, quæ ueniebant singulis noctibus. Dormiui semel ad fenestram in lecto eiusdem cubiculi, in quo dormiebat alius qui sequenti die missam primam esset celebraturus, quò ueniebat spectrum ad fenestram, & conclaue ingrediens, libros in eo repositos aperiebat, uoluebat & uertebat folia, & uno libro deposito semper sumebat alterum, donec omnes euoluisset. Deniq; accedebat ad parietem

cum

cum strepitu, ut ab omnibus nobis audiretur, tandemq; euanescebat: id fiebat singulis noctibus: nec uni soli, sed omnibus in illo cubiculo dormientibus apparuit. Sic non est cogitandū, spectra nihil esse: sunt diaboli (non est dubium) qui semper inter homines uagentur, siue conspiciantur, siue non: non sunt animæ, aut aliæ res ex materia quadam conflatæ, sed prorsus diaboli.

Doctor Martinus Lutherus.

Similis Ratio est, cum Nixis in aquis habitantibus, & homines in aquas submergentibus, cum quibus aliquæ uirgines familiaritatem habent. Non diabolos contemnamus.

In Salinis Sueuicis quidam adolescens, filius, honesti & docti uiri, ac de multorum studijs benemeriti, suffocatus est in aquis, eo loco, ubi nocturnæ faces multis annis sunt conspectæ. Iudicant autem docti uiri, in illis profundis aquæ locis uersari malos spiritus, qui etiam bonis hominibus nocent.

Theodorus Gaza habuit prædiū in Campania, quod pertinebat ad sacerdotium, quo donatus erat à Nicolao pontifice. In illo prædio cùm colonus effodisset urnam, in qua fuerunt ossa cadaueris, apparet illi spectrum, iubens eum rursus sepelire urnam, in qua erant ossa, additis his uerbis: nisi iterum ossa conderet, fore ut filius ipsius moreretur. Fuit enim uetus consuetudo non tantum apud Gentes, sed etiam apud Iudæos, ut quilibet in suis prædijs sepelirentur. Inde conijci potest, illa ossa fuisse ex corpore coloni ante multos annos eo in loco habitantis, uel illud prædium poßidentis. Cum id colonus ne-

nus negligeret, eius filius paulo pòst noctu interficitur: sicut poßibile est diabolo hominē, præsertim à Deo derelictū, interficere. Post aliquot dierū interuallum reuertitur spectrū, indicans colono, se etiam alterū filium interfecturū, nisi ossa reponeret, & honestè sepeliret. Colonus admonitus priore damno, uidens etiam alterū filium ægrotare, rem Theodoro refert. Gaza proficiscitur cum eo in prædiū, & in eo loco ubi eruerat colonus urnam, rursus facto sepulchro, urnam cum oßibus sepeliunt. Repositis oßibus in priorem locū, statim filius coloni conualuit. Hanc Historiā Theodorus Gaza sæpius multis suis amicis narrauit, & addidit hunc uersum: *Sunt alquid manes, lethum nō omnia finit.* Poßem multa alia narrare, quæ mihi et alijs multis acciderūt.

Non crederem esse Satyros, nisi experientia compertum esset. Quando Sylla redijt ex bello Mithrydatico uersus Romam propter Mariū, qui optimates & præcipuos Romanos senatores interfecerat, ibi in itinere Satyrus utcunq; humana specie ad eum adducebatur, iussus est loqui, sed tantum edidit quoddam murmur stridens, quod non est ab ullo homine intellectum. Et credo illud spectrum fuisse diabolum: significauit enim quales ciues Sylla Romæ esset inuenturus.

Ita ante paucos annos dicunt quendam regem circumduxisse secum duos Satyros, pilosos homunculos, uel omnino similes hominibus, bestialem alioqui figuram, hominum uerò speciem imitantes, & solitos stridere obscurum quiddam, quod non intelligebatur. Isti haud dubiè aliquid portenderunt.

In historia sancti Ambrosij est, apparuisse ei Satyros: existimo fuisse Diabolos.

Ante paucos annos in Bohemia, cuidam dormienti spectrum apparet: Surge, inquit, & uade mecum. Ille confirmatus, respondit: Non ibo tecum. Secunda nocte redit, & sic quoq; tertia, inquiens: Surge, abeamus. Respondit ille: Non abibo. Tunc spectrum inquit: Nisi surrexeris, malè tecum agetur: ipse metuens sibi malum, surgit. Ductus est ab eo in apertum & planum campum, ubi cum esset, interrogat eum spectrum: Quid uides? Respondit: Video ab una parte ingentem exercitum, quasi Turcarum. Quid uides amplius? Ab altera parte exiguam quasi Christionorum turbam paratam ad prælium. Quid ulterius? Video uictoriam penes Christianos esse. Tunc ait spectrum: Hæc breui sic euenient, ut uidisti, & statim euanuit.

Athenæus dicit fuisse in Aphrica tale animal, quod cùm homines aspicerent, obstupescebant, & id multis militibus in exercitu Marij accidisse. Marius dolum sentiens, unicuilibet militi speculum curat, ibi animal ex suo contuitu interficitur. Existimo illud spectrum fuisse diabolum.

Quidam docti uiri in consilio Basiliensi in quo doctißimi & excellentes uiri ferè omnes eo tempore existentes congregati fuerunt, recreationis causa extra urbem, ad quandam syluulam se contulerunt, ut amicè de controuersijs illius temporis conferrent: inter eundum fortè auiculam in modum luscimiæ dulcißimè canentem audiunt, admirantur initio dulcedinem uocis, &

eis, & dubitant cuius auis sit cantus: cum non poßint ipsum ab aliarum auium cantu discernere. Ingredientes porrò syluulam, ueniunt ad arborem, in qua sedebat auicula. Deliberant communi consensu, ut eam adirent. Tunc is qui cæteris cordatior uideri uolebat, alloquitur his uerbis auiculam: Ego adiuro te in nomine Iesu Christi, ut nobis indices, quis sis? Respondit eis, se esse unam ex damnatis animabus, & destinatam esse ad eum locum usq; ad diem nouißimum, & tunc supplicium æternum subeundum esse: neq; ullam sibi liberationem restare. His dictis auolauit ex arbore, clamitans: O ewig / ô ewig / wie ist das ein lange zeit, id est: ô quàm diuturna & immensa est æternitas. Iudico fuisse Diabolum in illo loco habitantem. Omnes uerò qui huic adiurationi interfuerunt, uehementer ægrotare incæperunt, & paulo pòst mortui sunt.

Quidam monachus Erphordiæ in monasterio Sebaldi, homo doctus, & in lingua Græca exercitatus, qui cognito uerbo Dei, cùm papistas reliquisset, & puram iam Euangelij doctrinam amplecteretur, uocatus est à Vinariensibus senatoribus Vinariam, ut ibi Euangelium concionaretur. Cum igitur suggestum ascendisset, & locum quendam tractandum & interpretandum sumpsisset, uisa est auis in eius capite per totam concionem ipso nesciente sedere. Quanquam multi homines uidebant, tamen ne fortè tumultus excitaretur inter concionandum, nullum uerbum de hac re dicere uoluerunt. Finita uerò concione, cum ex sug-

gesto abiret, auis etiam euanuit. Ibi uarij sermones sparsi sunt: quidam mortem concionatoris significari dixerunt, quod & factum est, nam post triduum optimus uir moriebatur.

In quodam loco fuit quidam Doctor medicinæ, magna cum felicitate morbos curans, eum aliqua ignorare pudebat. Confugit igitur ad Diabolum, quem in uitrum inclusum de rebus dubijs consulebat, qua impietate sua, magnas filijs suis facultates reliquit, ita ut supra 26000. florinos patre mortuo ex hæreditate consequerentur. Voluit ante agonem pœnitentiam agere, at instar Aiacis furere cœpit, & semper istum suum consiliarium uocauit, horribilesq; blasphemias contra Spiritum sanctum protulit, in quo furore deniq; ex hac uita discessit.

Fuit alius quidam multas à Diabolo tentationes patiens, qui dixit, Diabolum in forma muscæ aut crabronis suis genis & oculis cum magna grauitate inhærere, ut uix gestari posset.

Erphordiæ quidam miser homo, cùm esset in magna inopia, sollicitus fuit de uictu & de uitæ instituendæ ratione, in tali dolore animi inuitauit ad se Diabolum, qui statim aduenit, dicens: Si uis te mihi addicere, docebo te artem ex qua significabitur, quo res furto, uel alijs modis ablatæ peruenerint. Miser conditiones accepit: Diabolus etiam se monstratorem rerum ablatarum fore pollicetur. Cùm ergo hanc artem diu professus esset, factus est ad eum magnus hominum concursus, ita ut multi eum consulerent: sed tandem

Diabo-

Diabolus destituit eum, & cum multos honestos & innocentes homines falso furti argueret, à Senatu captus, ac statim confessus est, se cum Diabolo pactum habuisse. Multum negocij fecit pastoribus eum consolantibus, quia contendebat se non posse conuerti: sed tamen conuersus est, & accepit consolationem, cùm concionatores dicerent, eum quidem impiè fecisse, sed esse mandatum Dei ut omnes peccatores ad filium Dei generis humani saluatorem confugerent, & omnes ad ipsum conuersos, & ipsius auxilium implorantes contra Sathanam fuisse exauditos, & quamuis se illi addixisset, tamen tale pactum fore irritum, quia nemo posset alteri polliceri aliquid, quod non esset in sua potestate.

Similis historia accidit anno 1558. in pago, uix dimidium miliare ab oppido Ibena distante. Quidā magus uarijs indicatis à diabolo herbis, ægrotos non paucos sanitati restituit: tandem inter ipsum & eius uicinum fabrū lignarium rixæ sunt ortæ, sic ut faber scommatibus aliquibus acerbioribus in ipsum inueheret, unde magi animum sauciauit. Elapsis iam aliquot mensibus, faber in morbum periculosum incidit. Mittit igitur ad magum, ut ipsi iniuriam aliquando in ipsum illatam condonet, & sibi in hoc periculoso morbo subueniat & opituletur: Magus uerò, sicut callidus & uersutus, etsi fabro illius delicti remißionem promittat, tamen iniurias ipsi illatas ulciscitur, hoc modo: Iubet fabrum uti radice in potione, cui à uerre nomen est inditum, cum alijs uenenatis herbis, qua potione

ad se sumpta, ingentes corporis cruciatus sensit, quibus indies magis magisq; crescentibus, deniq; in eis moritur. Mulier uerò fabri cum eius agnatis, accusant magum homicidij. Delata itaq; caussa ad Senatum Ibenensem, qui, sicut honestos uiros decet, magum in uincula conijci curant. Cùm uerò magus in tortura de suis sceleribus peractis examinaretur, totum negocium confessus est, in primisq; quòd interfecisset illum fabrum, qui semel ipsum læserat, & quòd magiam suam à quadam uetula in uicinia Harciniæ syluæ habitante didicerat. Item semper ipsi affuisse diabolum, de hominibus ad ipsum aduenientibus commonefacientem, & inspirantem sibi, quid præsentibus & absentibus, ipsumq; consulentibus largiri deberet. His itaq; compertis palo infixus, & combustus est.

Anno 53. captæ sunt Berlinæ duæ incantatrices mulieres, quæ glaciem ad perdendas fruges perficere conatæ sunt. Eæq; mulieres rapuerunt furto alterius uicinæ mulieris infantulum, & ipso dissecto coxerunt. Factum est diuinitus, ut mater quærens infantem interueniret, ibiq; in ollam imposita amißi infantis membra uideret. Captis itaq; mulieribus, & in tortura examinatis, dixerunt, si proceßisset coctio, tunc futura fuisset ingens glacies, ita ut omnes fruges perderentur.

Cardinalis quidam hospitibus inuitatis spectaculum exhibuit, in quod produxit mulieres magicas, quæ fecerunt tempestatem: repressa autem tempestate euanuerunt.

Heydelbergæ minister Doctoris Theologiæ, bonus homo, & non alienus à nostra doctrina, aliquando profectus in patriam, cùm rediret, & non procul abesset Heydelberga, ibi eques quidam arduo equo uectus se demittit, & ipsum nihil tale uolentem equo imponit: ille uerò cùm uellet apprehendere sessorem in equo, ut se teneret, sensit eum euanuisse, ipse solo equo in altum tanta celeritate uectus est, ut penè sit extinctus. Cum igitur uenit propè urbem Heydelbergam, abijcitur iuxta pontē, ubi iacet per aliquot horas attonitus, quasi mortuus: reuersus ad se ac circumspiciens, uidit se esse Heydelbergæ, ingressusq; domum ægrotat per dimidium annum. Hæc ipse nobis narrauit.

In Italia leuiter curant doctrinam Astronomicam, sed excellentes sunt in arte magica. Papa Paulus eruditißimus in omnibus doctrinis, erat etiam studiosus artis magicæ, huius igitur artis prouidentia ductus, quondam Aloisio filio suo scripsit, ut illum diem caueret, quo illum interficiendum præuiderat Hic autem cauit quidem, nec tota die uoluit egredi ex sua arce seu palatio. Sed cùm iam accesßisset uespera, & sperasset iam perfunctum periculo, iußit se gestari in aggerem ad inspiciendas ædificationes: egrediuntur cum eo coniurati, & regrediuntur. Cum igitur ille collocaretur in suo cubiculo, isti ingrediuntur, interficiunt eum, suspenduntq; ipsum pudendis è fenestra: fuerat enim homo libidinosus. Hoc non potest dici Astronomia.

Abbas Trittenhemius seu Spanheimensis fuit magnus Magus, in quodam forte itinere (sicut mihi Pirchaimerus narrauit) cum uenisset in diuersorium non bene instructum, quidam per iocum dixerunt: Domine Abbas, cura nobis bonum ferculum piscium, iste tantum pulsauit fenestram, ac statim uenit quidam portans lanceam instructam lucijs coctis.

Noui quendam nomine Faustum de Kundling, quod est paruum oppidum, patriæ meæ uicinum. Hic cum esset Scholasticus Cracouiensis, ibi magiam didicerat, sicut ibi olim fuit eius magnus usus, & ibidem fuerunt publicæ eiusdem artis professiones. Vagabatur paßim, dicebat arcana multa. Ille Venetijs cùm uellet ostendere spectaculum, dixit se uolaturum in cœlum. Diabolus igitur subuexit eum, & afflixit adeò, ut allisus humi penè exanimatus esset: sed tamen non est mortuus.

Ante paucos annos idem Iohannes Faustus, postremo die sedit admodum mœstus in quodam pago ducatus Vuirtenbergensis. Hospes ipsum alloquitur, cur mœstus esset præter morem & consuetudinem (erat alioqui turpißimus nebulo, inquinatißimæ uitæ, ita ut semel atq; iterum penè interfectus sit propter libidines) ibi dixit hospiti in illo pago: Ne perterrefias hac nocte. Media nocte domus quassata est. Mane cum Faustus non surgeret, & iam esset ferè meridies, hospes adhibitis alijs, ingressus est in eius conclaue, inuenitq; eum iacentem prope lectum inuersa facie, sic à Diabolo interfectus est. Viuens adhuc, habebat secum canem,

canem, qui erat Diabolus, sicut iste nebulo, qui scripsit De uanitate artium, etiam habebat canem, secum currentem, qui erat Diabolus. Hic Faustus in hoc oppido Vuitenberga euasit, cùm optimus princeps dux Ioannes dedisset mandata de illo capiendo. Sic Norimbergæ etiam euasit, cùm iam inciperet prandere, æstuauit, surgitq́; statim, soluens quod hospiti debebat, uix autem uenerat ante portam, ibi ueniunt lictores, & de eo inquirunt.

Idem Faustus magus, turpißima bestia, & cloaca multorum diabolorũ, uanè gloriebatur de se omnes uictorias, quas habuerunt Cæsariani exercitus in Italia, esse partas per ipsum sua magia. Idq́; fuit mendacium uanißimum. Id enim dico propter iuuentutem, ne statim talibus uanis hominibus assentiantur.

In Liuonia Moscouitæ exercent horribilem crudelitatem, suspendunt paruos pueros, & dissecant mulieres grauidas, ac ex pueris eximunt corda ad incantationes: ducunt secum milites multa millia mulierum, quarũ plurimæ sunt ueneficæ: harũ consilijs pugnant: castra metantur, quæ ad suas incantationes utuntur corculis puerorum. Cum magia etiam semper fuerunt coniuncta infanticidia.

Marius quando duxit exercitum contra Cymbros, habuit secum Iudaicam mulierem in castris uatidicam, ex cuius prædictionibus multa constituit. Nominata est Martha: de qua plura in Plutarcho.

Reperiuntur quidã præstigiatores in Asia, circumeuntes per totas Insulas, & gerentes serpentes, quibus

ſaliantibus exiſtimatur purgari domus, quòd nihil poſſit nocere illi domui uel familiæ, in qua ſuam artem exercuerint. Geſtant in uaſe cupreo unum atq; alterum ſerpentem: uenientes uerò in domum aliquam, incipiunt ludere timpanis: ad quem ſtrepitum paulatim aſſurgit ſerpens, & aperit rictum, ac caput promit. Illo ludente ſaltat, tandem decidit ſerpens, quaſi exanimis: quia diabolus cruciat eum.

Nos meminimus Francofordiæ ad Oderam puellam fuiſſe, quæ quicquid manibus arriperet uertebat in argentum, quod comedebat. Aliquando abreptum eſt ex eius manibus, & miſſum ad principem, et ad nos etiam.

Viennæ fuerunt duo magi, quorum alter deuorauit alterum, id eſt: diabolus abduxit alterum in ſpecum, in quo triduo latuit, deinde reuerſus eſt.

In Italia fuit quædam uirgo à diabolo obſeſſa, etſi ea ignorabat Latinè loqui, tamen interrogata à Lazaro Bonamico, profeſſore Bononiæ, quis eſſet optimus uerſus in Virgilio? Quod ſciuit diabolus, & reſpondit per eam:

Diſcite iuſticiam moniti, & non temnere diuos.

Ante paucos annos fuit ſimilis mulier in ducatu Luneburgenſi, ignara aliàs latinæ et grecæ linguæ: tamē obſeſſa à diabolo, perfectè latinè & græcè loquebatur.

N. Retulit Philippus Melanthon, ſe audiuiſſe ex fide dignis uiris Chriſtophoro Groß & Sigiſmundo Galenio, de quadam uirgine Bononica, quæ biennium poſt mortem inter homines eſt uerſata: inuitata uero ad conuiuia, parum cibi deguſtare uiſa eſt. Cum autem

aliquan-

aliquando inter alias uirgines in choreis incederet, fortè adest alius magus, ad astantes inquiens: Hæc uirgo pallida, est mortua. Quomodo, respondent ei, est mortua, cùm eam incedere uideas? Videte, inquit, monstrabo uobis: accedens ad eam, submouet sub dextro humero fascinũ, quo sublato concidit, & ut cadauer mansit. Illud fascinum ab alio mago erat impositum, ita diabolus hoc corpus toto tempore circumgestauit.

Quidam habitu & uestitu precioso indutus, cum tibicine & fidicine prope Rotenburgam ad Thubaram boni uiri ædes sæpius acceßit, ac in eis conuiuia & choreas instituit, prætextu ducendi illius patrisfamiliâs honestam filiam: affirmauit etiam se esse natum ex nobili stirpe, atq; in longinquis terris plurimas arces, prædia, oppidula, aliaq; eiusmodi habere, sibiq; deesse nihil quod in hoc mundo ab ullo homine desiderari poßit, nisi uxor excellentibus moribus prædita. Displicuit patrifamiliâs hospitis cum suis socijs importunitas, & ipsi suam filiam, quæ esset ignobilis, recusauit, ac redire prohibuit. At hospes cum suis duobus socijs adeò fuit molestus patrifamiliâs, ut circa uesperam ornatus suis ornamentis aliquoties rediret, suumq; negocium institutum perficere conaretur. Postremò uerò ex multis coniecturis dolum ac fraudem paterfamiliâs olfaciens, inuitauit ad se illius loci uerbi Diuini ministrum, cum quo præsente illo peregrino hospite de uarijs sacræ Scripturæ locis confert, quæ colloquia hospes & duo eius socij ægrè ferentes, dixerunt, esse multas alias facetias & sales quibus conuiuæ potius quàm sacræ

 Scriptu-

Scripturæ interprætatione exhilarari possent, rogareq; ne essent eis ulterius molesti sacra Scriptura. Ad quæ paterfamiliâs iam satis confirmatus contra Sathanæ insidias, respondit, & his uerbis eos interpellat: Abite uos nebulones, insidiatores nostræ uitæ, nec quicquam negocij mecum, neq; cum meis mihi à Deo concessis habete: nos enim baptizati & redempti sumus precioso sanguine Domini nostri Iesu Christi, qui nos contra insidias & astutias uestras diabolicas defendere & tueri uult. Postquam hæc dixisset, nequam ille cum suis socijs magno strepitu, relinquens post se intolerabilem fœtorem, & trium hominum suspensorum cadauera in hypocausto, euanuit. Sic ille bonus paterfamiliâs cum suis liberatus & defensus est.

Ibenæ ueniebat ad me homo, qui querebatur, quòd spectrum quoddam se à genis suis suspenderet, & esset ei molestißimum, iubens ut se interficeret. Petebat à me consilium, quid sibi faciendum esset. Respondi: Hoc genus dæmoniorum non expellitur, nisi precationibus & ieiunijs. Dixit mihi etiam, qua occasione primùm ipsi hoc acciderit.

Cum Coburgi subsisteret Doctor Martinus in eremo, quater accidit, ut semper post apparitiones nocturnarum facium ipse graui capitis morbo agitaretur. Accidit autem, ut cùm præcedente nocte tres eiusmodi uolantes faces uidisset, ferè incidisset in syncopen Doctor. Præsentiens autem morbum, ministrum suum uocabat, is Amygdalinum oleum instillabat in aurem, item oleum nucis muscatæ, & subinde pedes

fricbaat

fricabat calefactis linteis. Tandem iussus minister legere epistolam Pauli ad Galatas, sic ei somnus conciliabatur. Cùm iam euasisset periculum, dicebat Doctor: Venite in contemptum Diaboli, Psalmum De profundis quatuor uocibus cantemus.

DE SIGNIS, PORTENtis ac prodigijs

EST *mirabilis, & pulcherrima dispositio ortus & occasus stellarum, quæ adferunt rebus nascentibus conuenientes serenitates & pluuias, præsertim quando anni sunt regulares. Sed turbantur sæpè tempestates anni uel propter hominum peccata, uel positum stellarum, ut hoc tempore (erat enim in principio noui anni) uidetis, quantum sit pluuiarum, quia Saturnus est in tauro, accedens iam ad hyades, quæ natura sunt humidæ, & humiditates adferunt, & Iupiter in piscibus: illæ stellæ augent humidas tempestates. Verum dicamus de annis regularibus. In Vere seu Aprili Sol accedit ad Pleiades, ibi res nascentes indigent humiditate. Postea ad geminos, ibi aura uel aêr est temperatior. Item quando Sol uenit ad cancrum, & ad præsepe, iterum opus est pluuijs. Postea opus est æstu & siccitate, ut fruges possint maturescere. Vbi accedit ad leonem & syrium, tunc fiunt æstus, & est tempus siccum propter frugum maturationē. Deinde rursus est opus humiditate in satione, uidelicet quando Sol uenit ad scorpium. Deniq; sequuntur frigora, quando uenit Orion oppositus Soli, tunc rursum multum tempestatum humidarum habetis.*

Fuit quidam Doctor, qui contra rerum naturalium inquisitionem & Astronomiam sic garriebat: Ho, mei rustici non indigent Calendario, quia bene norunt, quando sit hyems aut æstas: similiter quando meridies aut uespera. Doctor Martinus me intuebatur, metuens ne quid ei durius responderem. Nihil ei aliud respondebam, quàm: Hæc oratio non Doctori conuenit, Es ist ein vndoctorliche rede. Veniebant quidem mihi duriora in mentem, sed me repreßi. Hæc responsio Doctori Ionæ & Doctori Martino, & multis alijs doctis uiris per totam cœnam iocus fuit.

Ante expeditionem nostri Imperatoris Caroli V. in Galliam Narbonensem, insolitis motibus Alpes tremuerunt, & ex altißimis montibus & pluribus locis erupit aqua, ita ut esset admirationi multis hominibus. Sed habet physicas caussas. Nam ubicunq; in cauernis terræ sunt halitus, ibi sunt etiam aquæ, quæ apertis cauernis erumpunt, & collapsis cauernis mutantur cursus fluminum. Ita etiam erumpunt salinæ, quando terramotu concutitur, quia in eo loco sunt salinæ: in quo per longum tractum sunt cauernæ sicut cellæ: quando uerò decidunt illi specus, tunc necesse est aquam alibi erumpere. Sunt magnum beneficium Dei salinæ neq; sunt durabiles.

Anno 54. à Mansfeld usq; Misniam fuerunt tanti terræmotus, ut tota Misnia ferè sit quassata, sed nos nihil in hac ripa Albis animaduertimus.

Quando noster Imperator Carolus V. anno 32. ascendit ad conuentũ Ratisbonensem, fuit hospes princi-

pis

pis Palatini prope Heydelbergam. Ibi cum in uenatione instituta uideret ceruum, eumq́; insequeretur, occurrit ei lupus: ille relicto ceruo adoritur lupum. Intereaq́; ex equi lapsu fregit crus, quod non posse uidebatur sanari, nisi pes abscinderetur. Cùm itaq́; iam Chirurgi adferrent instrumenta, & se appararent ad abscindendum pedem, interuenit rex Ferdinandus, seuerißimè prohibens, minitansq́; se uelle omnes suspendere, qui sectioni interessent, eamq́; adiuuarent. Quibus perterriti Chirurgi abstinuerunt. Deinde consuluit Rex Ferdinandus, ut Imperator Carolus V. proficisceretur ad uicinas thermas, quibus sanatum est crus. Hoc casu fortasse postrema ipsius ætas significata est.

Cercopithecus me aliquando ferè interfecisset, nisi comes, ad cuius mensam aßidebam, auulsisset. Quòd fuit signum multorum meorum præsentium & futurorum cercopithecorum morsuum.

Conspectus est in aëre ante quendam conuentum Schmalcaldensem in Thuringia exercitus equitũ: deinde numerus quidam rusticorũ: tertio draco magnus. Per exercitum puto significari primum bellum principum: per rusticos, motum rusticanum: per draconem, hoc præsens bellum intricatum, & alia bella secutura.

Bambergæ est sepulchrum Heinrici Imperatoris, in quod est incisa Iusticia, tenens libram in manu. Iam libra ita est facta, ut lingula bilancis non sit in trutina, sed declinet paulullum ad alteram partem. De hoc ue-

tus

tus apud ipsos sermo spargitur: quando lingula in trutinam redierit, tunc adfuturum esse exitium urbis.

Hic annus 56. tristißimus erit, quod significant multa horribilia signa. Recens fuit terræmotus Egræ, alio loco pluit sanguinem, cometa flagrat, erit etiam deterrima coniunctio Saturni & Martis, quæ magnas siccitates significat, fortaßis etiam sterilitates. Hæc non tantum in hoc anno, sed etiam in sequentibus suas efficacias ostendent. Oremus ut Deus leniat imminentia pericula. Nunc simul congregati sunt legati Turcici, Papæ, Regis Galliæ, &c. Qui certè aliquid noui concludent, nisi Deus probibeat, ita ut metuenda sint tristißima pericula Germaniæ: sicut uenient maximi tumultus paulo ante diem extremi iudicij.

In mundo sunt duo lumina, Oeconomia & Politia. In cœlo quoq; duo, Sol & Luna. Sol politiam designat ac magistratus. Luna Oeconomiam seu uulgus. Si Sol eclipsin patitur, minatur imperantibus. Si Luna, uulgò & subditis. Sic anno 25. seditionem rusticanam præceßit eclipsis Lunæ. Christianis illa signa nihil minantur. Sunt enim supra Solem & Lunam, & mortui ubi resurrexerint, clarius lucebunt quàm Sol & Luna.

Audiui ex uentis facillimè posse de euentu prælij iudicari. Quando ante annos quinquaginta aut circiter Rex Scoticus est captus, illo tempore quidam in Anglia captiuus tenebatur, cui cùm custos carceris commissum esse prælium significaret: Si (inquit captiuus) eo die pugnarint, tunc scio quis uicerit, noster Rex uicit Scoticum.

ticum. Interrogatus, unde cognouisset? Respondit, ex uentis se coniecisse: nam uentos fuisse Scotis eo die ualde contrarios.

Quando habetis flatus in peregrinatione aduersos, tunc uestra negotia difficulter perficietis. Quia boni Angeli & Diaboli inter se dimicant: quod existimo uniuersaliter uerum esse.

In propinquo oppido Locha erat ceruus, qui singulis annis in mense Septembri, die Egidij muros transiliebat, & in syluam ad ἐποχὴν, id est, ad admißionem currebat, & in mense Octobri reuertebatur, idq́; per multos annos faciebat. Sed ultimo anno, quo Dux Fridericus mortuus est, non est reuersus, quia ad nouum dominum redire noluit.

Duo principes in conuentu Francofordiensi ante uiginti annos aut circiter habito, deambulatum extra portam urbis iuerunt, ibi falconibus uolantibus forte immiscet se pica, super quo falcones ita se collidunt, ut decidant, & ambo moriantur, pica manente incolumi: quæ tamen attonita decidens, antequàm auolare posset, à cane deuoratur. Sic arbitror idem nobiscum fore: illi duo perierunt, nos per Turcam, aut alio modo peribimus.

Cùm Dux Fridericus cum episcopo Moguntinensi eodem tempore quo mortuus est Imperator Maximilianus, in arce Locha recreationis caussa extra fenestram prospicerent, de suis negotijs & Repub. colloquentes, tunc subitò regulus inuolauit fenestram, ubi semel atque iterum circumuolitans decidit mortuus.

Quò

Quò proculdubio significata est Cæsaris Maximiliani mors.

Memini in quodam Monasterio ante mutationem, quæ secuta est, ursum, qui ibi alebatur, erupisse ex sua cauerna, & uenisse in medium chorum stantibus & canentibus Monachis. Aliqui fugiebant, pauci stabant corripientes cuspides quibus occurrerent urso, eumq; repellerent: inter quos noui quendam cuius tanta fortitudo erat, ut in primis correpto cuspide repulerit ursum. Hoc fuit signum mutationis paulo pòst secutæ.

Absq; dubio magni uiri certis ac proprijs signis de rerum mutatione admoneri solent. Videte quale signum habuerit Hannibal? ille uidit in somno ingentem draconem uagari per Italiã, & facere uastationem totius Italiæ, ille ipse fuit. Item quando Iulius Cæsar ante pugnam Pharsalicam uesperi circumiuit in castris, inspecturus excubias, ibi ardere uisa est galea, quæ flamma ardens aliquandiu supra galeam est conspecta, fuit singulare signum.

In Franconia, ante bellum ad Ingolstadinm, nascebatur puer, cui ex uentre erupit culter. Significauit autem Diabolus in Germannia fore bellum ciuile. Non enim culter in uentre creuit aut ortus est, sed Diaboli præstigijs effectum est, ut ex eo prodire uisus sit.

Cùm aliqua mulier in oppido Newmarck infantem lauans, audiret alterum cultro se læsisse, & tanquam moribundum uocare matrem, ipsaq; ad puerum intrepidè accurreret, non habita ratione infantis, qui in labro

bro abeunte ipsa suffocaretur: tum huic spectaculo maritus interueniens (arbitratus est matris socordia perijsse infantem) statim conspectam coniugem pugione confodit. Audiens postea caussam coniugis abitus, seipsum strangulauit. Illud factum portendit alias calamitates Germaniæ, quarum aliquas uidimus, & reliquas ulterius uidebimus.

In Marchia nequã quidam interfecit mulierem grauidam, cui execuit infantem, ac præcidens ei manum, quam uoluit afferre latronibus ad incantationes magicas. Credo non esse tam crimen quàm portentum.

Xanthi pependit mulier habens suspensum filium de collo suo, et facem in manu, qua incenderet domum. Illud portentum obsidente Bruto Philosopho accidit.

Ante aliquot annos magnis agminibus in Germania cicadæ uolarunt, erat talis figura corporis, quæ imitabatur Turcicum pileum, & Turcicam uestem. Significauit aduentum Turcarum, uel peregrinarum nationum.

Magdeburgi ante bellum Smalcaldicum in templo audiebantur sonitus, tanquam collisorum asserum fragor: ego ipse audiui, nam illo tempore non procul habitabam à templo. Porro Doctor Huldrichus Sizinger similiter accedens propius ad templum, audiuit. Item ante obsidionem oppidi Vittenbergensis in templo arcis, similes tumultus auditi sunt, quos audiuit pius senex Doctor Melchior Fendius. Item ante seditionem rusticanam in templo Bambergensi multi magni sonitus auditi sunt.

Octo uel decem menses ferè ante obsidionem oppidi, Vuitebergæ conspecti sunt in loco uicino cœmiterij crebri ignes multis noctibus: alij manebant in uno loco, alij uerò discurrebant. Hinc Ioannes Vuick ciuis huius oppidi, peritus rei militaris, colligebat, fore ut oppidum cingeretur, sed non caperetur. Illud poterat iudicare ex ignibus durantibus, et non citò pereuntibus, quod etiam factum est.

In proxima oppugnatione Rhodi, mulier stetit cum duobus filijs in muro, defenditq; illā mœniorum partem quam diu potuit, & cum non posset sese diutius defendere, interfecit filios spectantib. Turcis, deinde sibi ipsi consciuit mortem. Est res ualde horrenda, & terribilis, quæ significauit Turcos urbe Rhodiana esse potituros.

Albis est inuidum et insidiosum flumen: in quo cum aliqui perituri fuerint, plerunq; ignes seu faculæ super aquas saltantes conspiciuntur. Quotiescunq; autem huiusmodi signa conspecta fuerunt uniuersali experientia compertum est, omino aliquos perire.

Ante pugnam Electoris Iohannis Friderici ducis Saxoniæ, solis ferruginem uidimus. Item ante pugnam proximam Saxonicam pridie eius diei, quo pugna commissa est, etiam Solis ferrugo conspiciebatur.

Initio belli Peloponnesiaci tanta eclipsis Solis conspecta est, ut in die perinde ac in nocte stellæ lucerent. Item auiculæ consternatæ inusitata caligine in terram prolapsæ sunt. Sic etiam in Synodo Constantiensi similis eclipsis conspecta est. Constat magnas mutationes accidisse in Græcia tempore belli Peloponnesiaci.

Post

Post tempora item Ioannis Huß, Constantiæ propter doctrinæ Christianæ ueritatem combusti, quantæ mutationes sint secutæ, nemo ignorat.

Ante obsidionem oppidi Curiensis, & arcis Blassenburgensis, anno 1552. fuit magnus terræmotus in ditione Marchionis Alberti circa urbem Curiensem, ut quidam homines mundi interitum expectarent. Iudicatur iam ex euentu illum terræmotum fuisse signum sequentis belli. Alij quoq; plurima exempla, quæ nostro tempore facta sunt, scimus.

HISTORIA DE CLADE ACcepta in Pannonia ad Mogacium, & Ludouici regis interitu, luculenter à Ioachimo Camerario descripta.

Multis magnisq; rebus gestis, & elatus successibus Turcarum rex Solymanus, bellum intulit Pannoniæ, potiente regno illo Ludouico filio Ladislai, cum quo nupta fuit Maria Imperatoris Maximiliani neptis. Huic puero conciliante matrimonium Maximiliano desponsata illa, adhuc & ipsa parua uirguncula fuerat, cum Viennæ ad Danubium Imperator & Pannoniæ ac Sarmatiæ reges congreßi fuissent. Sed Ludouicum editum in lucem accepimus, nullam partem corporis cute integente, quæ tamen inunctionibus medicis postea producta fuit. Voluerat Ladislaus pater nomen filio indere Iulij: sed mater obtinuit, ut suæ gentis (erat enim Gallica) nomine potius appellaretur. Hæc animaduertentibus quibusdam ominosa

statim uisa. Nam & nudum pelle corpus, nudationem: & omissum nomen fundatoris maximi imperij, deminutionem regni portendere credidere. Agebatur iam annus post salutiferum Christi partum, M. D. XXVI. & conuentum procerum Germaniæ Spiræ habebat fratris Caroli Imperatoris loco Dux Ferdinandus. At infelix Pannoniæ Rex implorare auxilium atque opem Christianitatis, crebrosq; Spiram legatos mittere, qui & expeditionem Turcarum metuendam ac terribilem, & quàm ipse ab omnibus rebus ad bellum cùm parandum tùm gerendum necessarijs esset imparatus, conuentui demonstrarent, & ab illis peterent, ut sibi subuenire, & regnum suum Christiano nomini conseruare uellent: neu committerent, ut per suam oppreßionem aditus ad ipsos Tyranno crudelißimo & infestißimo hosti aperiretur. Satis iam illum, ac nimis longè, cum miseranda pernicie & ingenti calamitate populi Christiani progressum. Nec se tantum petere, sed quærere uiam per regnum suum, qua liberè inuehi in Christianitatem, & pro arbitrio grassari posset. Ferdinandi autem misericordiam & fidem, ut decuit imprimis implorare, cuius secum soror nupta esset: obsecrare, illam ut tueri, si negligendus ipse uideretur, non omitteret. His & similibus ad conuentum allatis credere quidam, & terreri animis, & censere quàm primum copias comparandas, quæ in Pannoniam mitterentur. Quidam negocium esse magnum dicere, & deliberandum diutius. Non etiam nulli totam rem eludere, & uanum metum affirmare fingi à Pannonibus.

nonibus, qui cum scirent neminem facile è Germania ad sese usque perductum iri, pecunias auferri posse confiderent. Erant enim plerorumq; inter se dubij animi & incerti, neq; quisquam fere alteri admodum fidebat. Itaq; hoc modo actum est, ut legatio decerneretur ad inspiciendum res Panoonicas. Sed Turca interea omnibus uiribus instare bello, & urgere expeditionem, accersereq; cùm Epiroticas & Græcas, tum Asiaticas copias, quarum illis Abraimum, his Becranum ducem præfecit. Cumq; Taururum, Albam Græcam nunc uocant, uenisset, præmisit Balibeio duce equites, qui quàm longe lateq; possent, excurrendo hostium agros popularentur. Rex tum Budæ erat, & uel deserendum regnum, uel asserendum manu uidebat. Itaq; quas potuit copias coëgit: sed & Boemi & Germani aliquot, pontificis Romani (ut ferebatur) pecunia conducti aduenere. Verum omnium numerus XXIIII. millia excesisse negatur. Duces fortesq; uiri in illis fuere plurimi, ut hæc clades multo maior quàm in speciem appareat, acceptam esse, qui considerare uolet, facile sit intellecturus. Erant ex Pannonicis cum rege inter alios duces, & Gregorius Zepusius, frater Ioannis præsidis eius regionis, quam olim Iazigas incoluisse perhibent, nunc Septemcastrensis nominatur: qui ipse cum magna & ualida manu indies expectabatur. Et præsides multi, interq; illos unus præcipua audacia P. Tomereus Colocensis familiæ Franciscanæ, homo imperitus & temerarius, sed et manu promptus, & animo imperterrito. Is quia

semel atq; iterum inconsultè euagatas turmas paueulas prædonum uicinorũ retuderat, & quia strenuum olim egerat militem, ducis etiam opinionem conceperat. Cui laudi inhians, regem impellere, atq; penè cogere, ut hosti obuiam iret. Ergo infelix rex ætate penè adhuc puer, destitutus & prudentum uirorum consilijs, & fortium atq; bellatorum copijs, etiam ut aliqui tradidere, & multa suspicari permittunt: circumdatus fraude & insidijs suorum, Buda egreditur ut hosti occurrat, alacris & exultans, neq; formidinis aut timiditatis ullam significationem præbens, relicta Maria uxore ad Bresburgum. Et ad Mogacium, quod intra Budam & Taururum situm est castra posuit. Balibeius, quem cũ equitibus ad uastandam Pannoniam præmissum suprà diximus, omißis agris, exercitum Regium obseruare & carpere, & à pabulatione atq; aquatione prohibere, diuisisq; suis equitibus quos habebat secum ad M. XX. in partes quatuor, ita infestis excursionibus premebat regios, ut cum una pars de diei quadrante fessa reciperet se, altera mox succederet, atq; huic deinde tertia, & isti postremò quarta, totus dies, perpetua insectatione & uexatione hostium consumeretur. Exercitus Regius sese intra castra obiectis carris atq; plaustris continere primum: deinde cum usque adeò in angustum redigeretur, ut iam ad fluuium nemo auderet accedere, cogerenturq; intra castra puteis effoßis aquam quærere, placuit Pannonibus, autore Tomoreq & Gregorio Zepusio, fortunam prælij experiri, minimè probantibus ac potius uehementißimè dissuadentibus

tibus Germanis & Boëmis ducibus, qui censerent Ioannem Zepusium saltem operiendum, is enim aduentare iam nunciabatur. Conuenerant autē uniuersæ Turcicæ copiæ, ipseq́; Solymanus aderat, neq́; pauciores habuit, ut certò cognitum est, ducentis millibus bellatorum. Sed urgentibus suis, Rex hoc modo dixisse fertur, se non esse timidum, neq́; ignauißimum futurū, cupere ut quisq; uir fortis esse uelit, se suæ uitæ ac sanguini non decreuisse parcere. Ita productus exercitus regius, & instructa acies fuit à Tomoreo, permistis inter se equitibus ac peditibus, quo ordines dilatarentur: id quod ad ingentem hostium multitudinem, ne includi sui atq; cingi possent, excogitauerat. Regē ego accepi in prima acie ita fuisse collocatum, ut ante eum uix esset duobus illa densior, & ipse cum tertijs inueheretur, inq́; conflictu & impetu pugnæ ad primos protrusum. Alij tradidere, separatim cum mille equitib. post aciem constitisse, quod exitus rei uidetur refellere. Bellicis machinis abundabant, ut solent, Turcæ: illisq́; globis contra Regium exercitum directe immißi, sed sine detrimento: sublimius enim lati illi, hastas modò quorundam perculere. Regiæ machinæ et paucæ et futiles non multum hostibus nocere potuerunt. Sed Turcæ tanto maiore numerosioreq́; multitudine undiq; exercitum regium non solum sepsere, sed etiam implicuerunt: neq; solum repugnantes profligare, sed etiam castra iam oppugnare, ad quæ ipsa quoq; cum Regij duces respicerent, et defendere cuperent, diminuti pugnatores, & ordines distracti fuere. Itaq; celeriter fuga orta, duci-

bus plerisq; uiris strenuis, & qui suorum cladi superesse nollent, interfectis. Præsules multi cæsi: interq; illos Tomoreus, magis intrepidus miles, quàm consultus dux, fortißimè dimicans cecidit. Capti pauci, Zepusius dum in nauem cum citato equo insilere nititur, neque illam potest attingere, Danubij aquis, delapsus in fluuium, obruitur. Rex fuga cum in equo uasto, ipseq; grauibus armis onustus, ad non magnum amnem uenisset, uno modo comitatus, qui ante eum, ut postea narrasse fertur, in ulteriorem ripam euaserat, transiturus & ipse præcipitato equo, in aqua & limo suffocatur. Putabatur, amnis uadum à fugientibus quasi cauato alueo corruptum fuisse, ut minus iam peruium esset. Sunt qui tradiderint appetentem equum ripam, retro actum super regem incidisse, itaq; illum oppressum. In illo non magno quidem neque celebri amne perijsse nobilißimum regem, & eximium adolescentem illius uerbis, qui unus comitatus eum esset, creditum: & corpus exanimum non procul ab indicato ab eodem loco paulo inferius postea repertum, sepulturæ mandatum est. Hoc prelium, quo anno diximus, IIII. Calend. Septembris commissum. Solymannus autem uictoria metuendus & ferox, derisa hostium temeritate & imprudentia, usuq; fortunæ prosperitate, Budam statim occupat, arcemq; in deditionem præsidio accepto spoliat, atq; diripit. Fuerat antè illa studio quodam singulari regis Matthiæ, & operibus & instructione admirabili exculta, signisq; ac tabulis exornata: inprimis autem omni genere liberorum diues.

Nam

Nam Matthias, ut ueræ uirtutis amator, doctrinam & artes sapientiæ incredibili fauore atq; studio prosecutus fuit. Hac igitur, ut dixi, direpta ac spoliata, quia iam hyems propè erat, re melius quàm sperare auderet gesta, in Thraciam reduxit copias Turca, & uictoriam maxima festiuitate celebrauit. At Maria regina tandem post longam dißimulationẽ nunciorum, casu mariti, quem unicè dilexerat, & à quo maximo fuerat amore comprehensa, cognito, lamentis & uociferatione omnia loca complere, neq; de se aut regno solicitari, sed solius mariti interitum ante oculos habere, illum deplorare, illum requirere, sine illo recusare uiuere, &c.

In Vngaria antequam periebat iam nominatus rex Ludouicus, tam magni terræmotus fuerunt, ut inde domus corruerent. Non multo antè fuerunt apud Belgas, & in Italia plurimi terræmotus. Qui tumultus illos secuti sint, audiuistis.

Ante seditionem rusticanam Fridericus Marchio Brandenburgensis, & præpositus Herbipolensis, cum quodam suo fratre in ludo equestri congressus est, cui thorax in illo uehementißimo concursu aperiebatur, ita ut pectus ipsi nudaretur. Id quidam docti interpretantur significasse tragicam calamitatem, in quam postea in obsidione arcis Herbipolensis incidit: nam erat in eadem à rusticis obsidione cinctus.

Habui caniculam, quæ edidit fœtus in ipsa eclipsi, qui omnes mala morte perierunt. Doctor Milichius habebat unum, qui ab alijs canibus laceratus est, alter perijt incendio.

Minantur nobis eclipses, prodigia & positus stellarum his annis elapsis, ostensa, uarios bellorum apparatus, & mirabilia consilia contra pios instrui, & fuisse instructa: contra quæ omnia tamen Deus suam Ecclesiam, donec ipsi placuerit, seruabit, sicut mater in Nebra, Franconiæ *oppido, est seruata: etiamsi ambusta, & infantulus necatus est.* Sic *etsi quidam ex membris* Ecclesiæ *pereant, corpus tamen* Ecclesiæ *saluum manebit* Die 26. *Iunij, anno* 1555. *in oppido* Nebra, *mulier honesta, magna difficultate peperit filiam, quæ edita, mox flamma ex matris aluo erupit cum sonitu, qualis fit emisso globo ex bombarda.* Flamma *uerò etsi matrem aliquantulum combusserit ac læserit, tamen non est extincta, sed recenter natam filiam circumdedit & necauit.*

Statua Iulij Cæsaris *in insula* Tyberina *posita, miro prodigio est conuersa.* Nam *latus quod erat uersus occidentem conuertit se uersus orientem.* Eo *prodigio significata est* Cæsaris *aduersus* Pompeium *uictoria.*

Est pagus non procul à Görlitz *situs, nomine* Hirschdorf, *ibi rusticus quidam uir fide dignus, cùm in agrum suum iuisset ad colligendas segetes, quas paulo antè demessuerat, uidet ex stipulis copiosum sanguinem manantem, ita ut ducenti ferè manipuli sanguine contaminarentur.* Rusticus *uerò hoc prodigio perterritus, hoc alijs statim indicat: fit multorum hominum concursus, qui admirati sunt hanc prodigiosam rem.*

Scripsit etiam huc Doctor Malderus *in ducatu* Brunsuicensi, *è terra erupisse sanguinem, ceu fontis*

ſcaturiginem, ulnæ altitudine, & diu fluxiſſe. Nec uerò dubium eſt hæc ſigna nobis minari bella, quia multi euentus teſtantur talia prodigia non eſſe inania. Nos uerò orabimus Deum, quem ſcimus miſericordem eſſe, & precibus piorum moueri, ut imminentes pœnas leniat, & ut diuinæ ſuæ miſericordiæ meminiſſe uelit.

DE VARIIS ET MIRANDIS naturæ operibus.

In canibus exiguam quandam humani intellectus imaginem ineſſe, exemplis conſtare poteſt. In mea patria erat canis iuxta aliquod ſacellum, qui omnes peregrinos illum locum prætereuntes cum rabie quadam allatrabat, nec ullum oppidanum: ſed ab illis ſe attingi & contrectari patiebatur.

Dicunt in Inſula Rhodo fuiſſe canes, qui uidentes urbem Rhodianam à Turcis eſſe occupatam, continuò in illos irruerunt, & quorumcunq; eis copia dabatur, ipſos dilaniauerunt: Chriſtianis occurrentibus etiam ignotis blanditi ſunt.

Faciens aliquando iter, de uia dubitabam: cumq; ſcirem equum eandem uiam ſæpenumero perambulaſſe, reliqui ei frenum, & rectè me uexit. Equus habet quandam memoriam: uerum illa ſunt umbræ, & ſimulachra habituum.

Equus Alexandri Magni Bucephalus, neminem eſt paſſus aſſeſſorem, niſi ipſum Alexandrum, & quidem cataphractum. Idem dicunt de equo Iulij Cæſaris. Et Plinius narrat exemplum cuiuſdam Germanici Principis, habentis egregium equum. Principe

autem in prælio occiſo uictor uolens equum conſcendere, ibi ab equo correptus, & dilaceratus eſt.

Baſilius diligentiſsimè deſcripſit multa animantia. Baſilium deinde ſecutus Ambroſius, eorundem animantium hiſtoriam in enarratione operum ſex dierum penè ad uerbum recenſet: docetq; in illis propoſita nobis eſſe à Deo tanquam picta plurimarum uirtutum ſimulacbra, quæ nos officij noſtri admoneant.

Plutarchus ait, ex tauris putrefactis naſci apes, ut et Vergilius in Georgicis ſcripſit, ex equis, crabrones, ex aſinis, ſcarabeos, ex hominibus ſerpentes. Typus uerò harum rerum hic eſt. Tauri erant uictimæ. Sic igitur ex Chriſto uictima, mel & apes, id eſt, Euangelium & Eccleſia oriuntur. Equi, id eſt equites degenerantes gignunt crabrones. Aſini procreant plebeios homines, qui ſunt ſcarabei, id eſt, quatenus non regantur à magiſtratu, fiunt ſeditioſi, & inimici gubernatoribus ac legitimis imperijs. Ex homine uerò hanc ob cauſam naſcuntur ſerpentes, quia ſerpens, id eſt diabolus, initiò uirus ſuum in hominem infudit. Quo admonemur, hominem poſt lapſum in morte & contagione peccati manentem, ſua natura ſerpenti diabolo non eſſe diſsimilem.

Hippocrates diſsimilitudinem non ſolum regionum, ſed etiam ingeniorum ac morum in diuerſis regionibus docet oriri à cœleſtibus cauſis.

Ptolemæus ait: Sapiens anima adiuuat cœleſtem operationem, quemadmodum optimus agricola arando, expurgandoq; adiuuat naturam.

Ouidius

Ouidius: Est Deus in nobis agitante calescimus illo. Vult significare Poeta, quòd habitus fiant excellentiores, quando adiuuantur diuinitus. Quemadmodum noster Imperator Carolus V. diuina prouidentia factus est excellens Imperator.

De Alexandro dicitur, quòd habuerit apud se comicum Poetam, comœdias bellas facientem, de animalium inter se concertationibus & pugnis propter amores ac libidines. Quæ tamen comœdiæ Alexandro non placuerunt. Poeta ægrè ferens inquit: Rex, tu tragica facis, non comica, ideo ista tibi non placent.

Fabula est apud Lucianum de quodam uolenti regi Ptolemæo exhibere mirabile spectaculum. Docuerat simias representare comœdias, quas introduxit, & regi comœdias agentes exhibuit. Alius uolens illum eludere, eiusdemq; ineptias reprehendere, obiecit simijs nuces. Ibi simiæ relicta omni actione collegerunt nuces. Inde dicitur in uulgari prouerbio: Simia manet simia, etiamsi sit purpura induta.

Artaxerxes Longimanus sit dictus, quia dextera longior fuit sinistra. Noster Imperator Carolus V. habebat pulcherrimos digitos. Recti digiti mediocri longitudine, significant magnitudinem animi, & beneficentiam: curti uerò significant astutam naturam. Pulchros etiam digitos habebat Heinricus dux Saxoniæ & Misniæ.

Indicæ conchæ sunt omnium generosißimæ, sicut ibi plurimum generosißimarum rerum nascitur. Fit mentio in Biblijs auri Ophir. Inde est aurum Obryzum.

zum, quod est præstantißimum. Crescunt deinde in India generosa aromata. Disputaui aliquando in conuentu Vuormatiensi cum Pistorio sene, præstantißimo medico ducis Friderici & Caroli V. Imperatoris, qui tunc laborabat. Ibi eidem Pistorio propter suum consilium, quod sequebantur cæteri medici donauit Imperator 1000. coronatos. Interrogabam eum, quibus rebus peregrinis non poßimus carere, cùm & nos habeamus pulcherrimas & generosißimas plantas: Dicebat multis audientibus. Saccharo non possumus omnino carere.

Turca habet iam optimum aurum. Nam Aegyptiæ præfectus Bascha, quando mittit munera Turcico Imperatori, tunc mittit ipsi aliquas massas Arabici auri, quod est ualde generosum, ut est aurum Turcicum.

Vuitenbergense solum est arenosum cum terreo mixtum. Quando multum terræ est admixtum pauxillo arenæ, facilè quidem colitur, sed non est fœcunda. Circa Bambergam & Heydelbergam etiam est arenosum solum, sed ibi est felicior cultura, quàm hic Vitenbergæ. Illa terra est optima, quæ est pinguis, halituosa, et dulcis. Nullum est dubium, quin corpora cum naturis terrarum conueniant, sicut corpora in Thuringia sunt grandiora quàm hîc. Quia hîc sunt tenues, salsi & amari halitus, sicut etiam terra est: ideoq; corpora sunt rarefacta, marcida & tenuia. Quando scrobem in solo Lipsico aut Vuitenbergensi effoditis, tunc non potestis rursus implere foueam terra effosa, quod est signnm raræ terræ. In Thuringia autem impleta fossa,

terra

terra etiam est reliqua, quod significat terram densiorem & pleniorem. Item frumenta & uina degenerant, in aliam speciem propter terræ diuersitatem, ut quando seritis hic in arena triticum, tunc tertio anno fit robus. Quando seritis in Thuringia robum, tunc tertio anno fit triticum. Ita uina in alio solo degenerant. Credo etiam ingenia & corpora hominum in alijs locis degenerare: sicut illa pars Italiæ quæ dicitur Longobardia, habet robusta & procera corpora: quia Longobardi hauddubiè sunt Saxones.

Alphonsus rex Neapolitanus indigens pecunia, quia susceperat bellum, Id consilij, aliquorū hominum sapientum persuasu, capiebat, ut sumeret plumbeum tectum, & illud plumbum coqueret, unde ingentem massam auri inuenit.

Dicunt hunc Turcicum Imperatorem nulla alia re magis delectari, quàm gemmis: ideoq; misisse Venetias optimas & pulcherrimas gemmas, ex quibus curauerit sibi fieri coronam, cùm ibi sint præstantißimi artifices. Sed Venetos postea addidisse unam gemmam, quæ pulchritudine & magnitudine superauerit reliquas omnes. Quo sanè munere nihil gratius Turcico Imperatori fuit.

DE EVANGELIO & Religione.

NIHIL habetur de sancto Bartholomæo, nisi unicum dictum, quod in Dionysio reperitur: Euangelium est longum & breue. Est breue scilicet, quod ad summas Dialecticas attinet: & longum,

quando,

quando explicantur illæ summæ, traduntur definitiones & diuisiones.

Quidam medicus uir doctus, dicebat nobis, se ualde fuisse familiarem alteri cuidam medico Italo, benefico uiro (sicut sunt Itali qui sunt eruditi) qui receperat ipsum ad se propter Græcam linguam. Volebat enim discere græcè, ut melius intelligeret Galenum. Cùm apud eum biennium fuisset, & ipsi ualde familiaris esset, cœpit ei concionari de doctrina Ecclesiæ. Ibi dicebat, audiuit me satis humaniter, cum autem multa dixissem de Euangelio & alijs articulis Christianæ doctrinæ, tandem gemens, inquit: Ah quàm pœnitet me mei de te iudicij? Putaui te eruditum uirum esse: nunc audio te adhuc delectari istis fabulis. Sic est humana ratio deprauata iuxta Psalmi dictum: Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.

Nazianzenus, contra hæreticos uolentes probare Euangelium turbare politias, imò inquit: Euangelium ita munit & ornat magistratum, ut nulla uox unquam magis ornauerit in cœlo aut in terra.

Christus confert Euangelium margaritæ, quia Euangelium in corde accipitur tanquam ros cœlestis, id est, nouitas accipitur in corde à rore cœlesti, & fit generosißima gemma, quando tempestatibus turbatur quàm plurimis, id est, quando Ecclesia est subiecta cruci, aut quando Christus pendet in cruce, illa etiam gemma liquescit in aceto, quòd fit cùm Euangelium corrumpatur doctrina legis, & sapientia humana. CHRISTVS ipse pro sua persona est purißima gemma, id

ma, id est, sine peccato, & tota massa generis humani plena est roris cœlestis, sic ut λόγος luceat in tota massa generis humani & est amarißima gemma, id est, nemo sustinet tantos dolores, quantos ipse sustinuit. Sic Euangelium est purißima gemma, quæ uiuificat & lætificat. Sed & amara est, id est, crux comitatur doctrinam.

Audiui sæpè ex uiro præstante Doct. Hieronymo Schurpfio, se existimare primam perniciem Euangelij & originem corruptelarum fuisse puræ doctrinæ, quòd doctores Ecclesiæ fastidiuissent usitatas Ecclesiæ formulas loquendi sæpius repetere, & populo eadem dicta inculcare: ideoq; quæsitas esse nouas & inusitatas formas loquendi: quia homines sunt ἀψίκοροι & φιλόκαινοι.

Prætor cuiusdam celebris urbis honestiß. uir non iniquus doctrinæ nostræ, cum peterent Theologi illius loci institui inquisitionem (cui multi boni uiri sunt aduersati) interrogauit Theologum quendam: Num sitis sanguinem aut pecuniam? At superior dominus eiusdem loci cùm rescisceret, probibuit fieri inquisitionem.

Quando Lipsiæ reformatio facta est Franciscanorum ante annos non multos, ibi fuit quidam Franciscanus inimicus superstitionibus: cum abijssent illinc reformatores, ipse cum esset concionator, dixit: Boni auditores, uos miramini quid agant nostri fratres: siquidem cupitis scire, qualis sit nostra reformatio, dicam uobis. Prius in monasterio nostro comedebamus

assata intus & foris: bene sapiebat. Nunc est mandatum, ut fruamur assatis foris: etiam benè sapit. Prius bibebamus uinum ex cantharis, nunc est mandatum ut ex urceis bibamus, etiam benè sapit. Prius fuit mandatum ut incumberemus literis, & disceremus: nunc est mandatum, ut nihil discamus, quod non est bonum. Et ita conclusit. Fuit nominatus Fleck, Voitlandus, mortuus est non procul à Bitterfeldt, cum captiuus teneretur in monasterio. Cùm enim essent æditæ propositiones Lutheri de indulgentijs, & ipse legisset, dixit: Iam aduenit monachus ille, qui uestros errores patefaciet. Vaticinatus est de mutatione illarum hypocrisium.

Doctor quidam cum moriturus esset, & uenisset ad eum concionator Lipsicus nomine Morus, qui stans ad lectum hortabatur eum, ut se commendaret filio Dei, ille sustulit oculos, & dixit: Creditis uos ista? Quasi diceret, Quid mihi molesti estis istis fabellis?

Bernhardus: homo semper proficit aut deficit, uerum est, natura nunquam manet in eodem statu, aut enim deficimus in cognitione uerbi diuini, aut proficimus.

Quidam Monachus Franciscanus in urbe Isennaca (quæ sita est in Thuringia) nomine Iohannes Hilden, bonus et doctus uir, qui obijt ibidem in carcere, scripsit multos bonos libros, inter quos etiam commentaria in Danielem: & prædixit multa quæ sua manu scripta extant quæ euenerunt. In urbe Gotha scripsit propria manu, anno 1516. futurum esse mutationem

tionem doctrinæ religionis, & doctrinam priorem abrogatum iri.

Quidam monachus Spiræ toto tempore conuentus ita procedebat in suis concionibus, ut non attingeret religionis controuersias, cum tamen haberet auditorium frequens, quia mediocriter concionabatur. Tandem uerò dixit: Ego scio uos desiderare, ut uobis indicem huius temporis controuersias, at certo consilio hactenus distuli. Attamen, ut satisfaciam uestræ expectationi, promitto me proxima Dominica de illis aliquid dicturum. Conuenit igitur tunc ingens multitudo. Ille uero pertexit suam concionem usitato more ut antea, & nihil meminit in concione controuersiarum, tandem ferè in fine concionis dixit: Penè eram oblitus proximæ meæ promißionis, reprehendo in hac re meam negligentiam: tamen aliquid dicam: Videtis esse magnam controuersiam. Vocantur in odium status Ecclesiastici, & status Laicorum: & sic dixit quædam generalia. Vos Laici accusatis clericos, & nos clerici uos accusamus. Postea in fine subiecit: Kher ein ieglicher fur seiner thür, so wirdt es vberal rein, id est: multi reformant alios, se ipsos uerò negligunt, interimq; stabiliunt tetros errores. Simile noster Imperator Carolus V. in comitijs Ratisbonesibus dixit: Nos omnes indigemus reformatione.

Capita Christianæ Doctrinæ sine singulari inuocatione intelligi non poßunt. Sicut dixit ad me Aegidius concionator in conuentu Augustano: Vos habetis ualde difficilem Theologiam, oportet

aliquem multum orare, antequam eam intelligat. Verè dixit.

Religiones sunt corruptæ iuxta diuersas naturas gentium. Aegyptiaca & Syriaca natio fuit superstitiosa. Græca fuit acuta & ingeniosa, quæ genuit multas subtiles hæreses & alligorias. Italica uerò non genuit tales disputationes; sed mutauit religiones in regnum politicum: quia gens Italica est cupida dominationis. Germani sunt amantes libertatis, igitur iam uertunt religionem in libertatem, & securitatem carnalem.

Existimo nostros homines, ideo in has terras uersus septentrionem uenisse, ut effugerent tyrannidem Persarum, uel credo à Iudæis ductos esse nostros homines in has terras religionis causa. Quia tunc multi fuerunt Iudæi in his regionibus, & plures quàm alioqui in toto orbe terrarum.

Alexatus dixit ad Claudium Beutler: uos Germani non retinebitis Euangelij doctrinam. Galli enim non possunt recipere, quia sunt oppreßi seruitute: Itali nostri sunt impij & nimis obstinati. Sic dedit testimoniũ ueritati, quia sic fit in mundo: sapientes persequuntur ueritatem, & ideo data est nobis barbaris.

Fuit hic Doctor Iuris, optimus uir, qui uolebat Euangelij doctrinam & Legum conciliare. Cùm uerò iam aliquot menses in ea re frustra consumpsisset, & res non succederet, atq; ob id ualde animo angeretur, sederetq; aliquando ualde sollicitus, edens mirabiles gestus, puer paruulus, qui post fornacem dormiebat, exper-

expergefactus, uidens hoc, dixit: Qualis senex fatuus: Ibi respondit doctor ille: Rectè dicis, & abiecto libro, monitus ab illo puero, propositum suum mutauit.

In Belgico quidam monachus dixit populo, se in sequenti concione de ueritate utriusq; doctrinæ, Euangelicæ & Papisticæ, dicturum esse. Cùm ergo finijsset concionem, ita dixit: Ecce penè oblitus eram me promisisse de ueritate ueræ religionis iudicium. Quare id iam paucis exponam: Veritas similis est aquæ lustrali, cui cum pistillum intingimus, quo homines conspergamus, unusquisq; ab eam refugit. Eodem modo ueritas ita se habet, ut omnes eam fugiant.

Dux Fridericus Elector, Coloniæ ad se accersiuit Erasmum Roterodamum, in eo conuentu, quem habuit Carolus V. Imperator post coronationem, eumq; amanter orauit, ut libere diceret, num erraret Lutherus in ijs controuersijs, de quibus præcipuè disseruisset. Ibi Erasmus planè dixit, rectè sentire Lutherũ. Interrogauit ulterius Princeps inter cætera, dicens: Domine Erasme, quid tandẽ peccauit ille miser meus monachus, quod ipsi tam infesti sint omnes, & sic eum persequantur: Respondet Erasmus: O clementißime Princeps, duo maxima peccata commisit, abstulit coronam Papæ, & episcopis, ac uentrem monachis.

Ante annos 500. multi homines fuerunt in his terris Saxonicis, nondum conuersi ad agnitionem nominis Christi, uel qualemcunq; doctrinam de Christo. Inter illos fuit etiam quædam nobilis domina nupta Principi uiro ethnico, quæ obsequijs suis conuertit eum ad ue-

ram religionem. Historiographus uerò nomine Theodoricus, episcopus Mersburgensis, consiliarius Henrici Bambergensis Imperatoris, fundator episcopatus Libustensis prope Francfordiam, O inquit, illa neglexit sua ieiunia, nec seruauit illa discrimina ciborum: instituens longam disputationem, num rectè fecerit quòd non seruasset illas traditiones: & post longam disputationem, ita concludit: Sed ex illo facto multum boni secutum est, conuersio uidelicet uiri. Et ita excusat illam, quod uiolauerit istas traditiones: Credo uerò illã mulierem maiorem habuisse cognitionem doctrinæ Christianæ, quàm ipsum Episcopum.

Polyphemus Erasmi minister (sic enim nominatur) solebat acriter cum alijs disputare de controuersijs Euangelij, & defendere ueram doctrinam. Tandem cùm contenderet cum eo quidam tumultuosior, quem non poterat refutare argumentis, percutit eum libro noui Testamenti, quem tenebat in manibus. Erasmus aspiciens, iocose dixit: Hoc mihi mirum uidetur, Euangelium sic Euangelio defendi.

Doctor Aurbachius optimus uir, dicebat, instaurationem Euangelij fuisse detrimentosam omnibus artificibus, exceptis medicis. Omnes enim pictores, statuarij, aurifices conqueruntur se ualde esurire: Medicis uerò prodest, quia postquam sancti desierunt curare morbos, iterum ad medicos homines confugiunt.

Doctor Marthinus Lutherus.

Hæc tria deuastabunt religionem Christianam: Primùm, obliuio beneficiorum, quæ accepimus ab

Euangelio. Secundò, securitas, quæ iam ubiq; regnat. Postremò, sapientia mundi, quæ omnia certo ordine uult comprehendere, & pacem communem consilijs impijs iuuare. Igitur sedulò oremus, ut Deus nos, & posteros nostros in agnitione Euangelij sui retineat, ut id semper in Ecclesijs nostris cum fructu doceatur.

Audiui potentem uirum dicentem: necesse est ociosos esse homines, qui ista negocia religionis curant. Alius quidam interrogatus de quadam sententia sacræ Scripturæ, dicebat ad Ducem Iohannem Fridericum: Illustrißime D. Princeps, quid interrogas me de quinque libris Moysi? quin potius interroga me de quinq; pagis curandis, ibi respondebo melius.

In Ecclesijs benedicite Deo, Domino de fontibus Israel. Psal. 68.

Fontes Israel significant doctrinam cœlestem, patefactam diuinitus, & traditam per Patres, Prophetas, Apostolos, & ipsum filium Dei in populo Israel. Ad hos fontes constitutæ & collectæ sunt Ecclesiæ inde usq; ab initio mundi: ex his fontibus doctrinæ in populo Israel propagatæ sunt etiam Ecclesiæ in gentes, quæ ab Apostolis & Prophetis accipiunt doctrinam, & ab his testibus institutæ confirmantur, & etiam sciunt se ueros cultus Deo præstare, fide, inuocatione, & reliqua obedientia iuxta doctrinam Euangelij.

DE IVSTIFICATIONE.

CVM essemus Augustæ, ubi & multa exempla confeßionum à pluribus exhiberentur, ibi inter cæteros aliquis bonus sodalis offerebat etiam suam senten-

sententiam, quod essemus iusti fide: dicebatq; hanc propositionem probari posse ex Platone, & Catone. Allegabat autem ex Catone dictum:

Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi præcipuè sit pura mente colendus.

Sed nihil ad propositum est. Docet enim tantum particulam legis Cato, & nihil scit de iusticia Euangelij, quæ in Christo nobis ostenditur. Congruit cum Iuliano dicente, Phocylidem opponendum esse Salomoni, quia in Phocylide eadem præcepta contineri, quæ in Salomone affirmat.

Interfui semel in luctu grauißimo D. Martini Lutheri, aderant etiam Spalatinus & Doct. Hieronymus Schurpfius, qui eiusdem rei testes mecum esse possunt. Ibi nulla alia consolatione Doct. Martinus sustentabat se in grauißima tentatione, nisi creberrima repetitione dicti Paulini: Conclusit Deus omnes sub peccato, ut omnium misereatur.

Noui quendam Iudæum Francofordiensem ante multos annos, admodum senem & uirum sapientem, cùm aliquando conueniremus, loquebamur de uarijs rebus, & dicebam ad illum: quòd uoluisset nos ante multos annos damnare. Ille respondit: Nos non damnamus uos, sed concedimus quicquid credatis, quod, sicut Paulus inquit, iustus sua fide uicturus sit. At dicebam: Hæc non serio dicis, scio. Tandem ille fatebatur, & dicebat, oportere ipsos sic loqui, ne à nobis occiderentur. Ita uidetis, quomodo laceretur Scriptura, & quomodo

uocabula

uocabula gratia, fides, iustificatio, &c. uarijs sophismatibus corrumpantur.

Doctoris Pomerani similitudo.

Annulum amamus propter gemmam, & magnificimus. Sic fide iustificamur, non propter ipsum annulum, id est, qualitatem, sed quòd fide accipiamus hanc gemmam, id est, filium DEI *mediatorem. Item simile argumentum: Sponsus accipit annulum à Sponsa, non quòd amet annulum, sed quia est pignus & arrabo copulationis.*

Solus Psalmus 51. Miserere mei, &c. *multis morituris aperuit cœlum. Scio, multos eundem Psalmum præsenti mortis periculo orasse, quibus etiam in ipso papatu, regnum* DEI *aperuit: præcipuè cùm hunc uersum meditarentur: Cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Sancti Bernhardi ultima uox in agone mortis hæc fuit:* Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Cor contritū & humiliatum non despicies. *Non dixit sua merita & monachatum, Deo esse sacrificium.*

Imperator Fridericus secundus fecit monetam coreaceam: ille coreaceus nummus ualet imputatione, aureus uerò nummus ualet per se reipsa. Sic nos non habemus aureum nummum, id est, perfectam qualitatem, sed coreaceum nummum, id est, imputatiuam & inchoatiuam iusticiam.

Doctor Hieronymus Schurfius dixit ad principes, cùm ipsi apologiam offerrent; iustificamur non pro-

pter nostrum credere, sed propter filium Dei, & in quem credimus. Ita ille loquebatur.

Legatus quidam Parisiensis à Rege huc missus, cùm eadem de re inter nos sermo esset, loquens de dicto Pauli, inquit: Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iusticiam: Non, inquit, propter qualitatem, sed propter obiectum.

D. Martinus Lutherus.

Audiui D. Lutherum inter concionandum sic templum Hierosolymitanum depingere: Primum occurrebat atrium, ubi mactabantur pecora: deinde altare ubi sacerdotes sacrificabant. Cæterùm in intimo aditu situm erat Sanctum sanctorum, cuius effigiem quandam refert quòd nos chorum appellamus, in quod introibat summus sacerdos semel in anno. Sic dicebat triplicem esse iusticiam. Atrium significat ceremonialem iusticiam: Altare iusticiam moralem: Sanctum sanctorum, iusticiam fidei. Imago est bona.

Disputaui semel cum quodam Iudæo ex capite 53. Esaiæ, qui uoluit defendere illa dicta esse scripta de Ezechia: cum uerò uinceretur, clausit librum, & aufugit.

Audiui admodum adhuc puer patrem meum (quia amisi eum adhuc puer: sed memini adhuc multos eius sermones. Erat enim illi consuetudo cum doctis uiris, & exercitatis in doctrina conferre) cùm colloqueretur cum doctis de remißione peccatorum & pœnitentia, dicere sæpe ad eos: Quare uos docetis me, quòd debeam dubitare de remißione peccatorum & iustificatione

ficatione, cùm me symbolum Apostolorum iubeat dicere: Credo remißionem peccatorum. Ad quæ illi non potuerunt respondere. Mortuus est autem ante annos quinquaginta.

Audiui adolescens Stœflerum & Capnionem de doctrina nostra disputantes, & dixerunt ad quendam Scotisticum doctorem: Cum nos legimus in nostris Biblijs, inuenimus longè aliam Theologiam ac sententiam de iustificatione, quàm uos in uestris Gloßis.

Cardinalis Anglicus Eboracensis legens nostram apologiam confeßionis Augustanæ tunc recens editam, dixit, nostram causam De iusticia fidei esse firmiorem in confirmatione, quam in confutatione, quod uerum est: quia facilius est construere in sophisticis, quàm destruere. Facilius uerò est destruere, quàm construere, in Physicis. Sic sapienter & uerißimè iudicabat. Multa illustria testimonia sacræ Scripturæ habemus ad confirmandam ueritatem. At quædam speciosa argumenta, ab aduersarijs nostris nobis opponuntur, quæ diluere difficile est. Verùm præstat nos melius munitos esse ad retinendam ueræ doctrinæ sententiam, quàm sic munitos esse, ut omnibus cauillationibus satisfacere poßimus. Sicut olim maiori ignominia notabatur, qui scutum amiserat, quàm qui gladium: quorum huius ad infligenda uulnera, illius ad defendenda corpora usus erat.

Fuit mihi aliquando disputatio cum quodam collega nostro de illa sententia Paulina: Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iusticiam. Hanc

senten-

tentiam dicebat non esse rectè accommodatam à Paulo, & sic inferebat: Moyses loquitur de fide Abrahæ expectante magnam posteritatem, & non de fide expectante remißionem peccatorum: ita ab exemplo uolebat argumentari: Sicut Abraham credidit in suo promisso negocio, ita unumquenquam oportet credere in suo promisso negocio. Non intellexit quid diceret, Hæc erat ipsius concio uel potius delirium, qua Moysen & Paulum conciliare uolebat.

Quidam medicus inter cætera capita, de quibus rixabatur, cum Doctore Fuchsio etiam hanc disputationem immiscebat, uolens esse arbiter & conciliator doctrinæ de fide & iustificatione coram Deo, & ita scribebat, non esse realem controuersiam, Lutherum enim loqui de habitu, alios de actionibus, id est, operibus, ita congruere omnium sententias. Quia quod tribuitur habitibus, id etiam tribuitur efficaciæ uel actionibus, & ita non esse controuersiam. Sic suis concordantijs uolebat quemlibet in sua fide saluari, si seruaret legem naturæ.

Alius quidam homo facetus in conuiuio dixit, inanes esse disputationes de iustificatione, quia neminem esse iustum testimonio Psalmi: *Non vidi iustum in terra.* Ibi alter aßidens increpat eum, inquiens: Tu asine, non legisti Psalmum? Sic enim habet textus: *Non vidi iustum in terra derelictum*, quod uocabulum tu omittis. Fuit calumnia, quia citauit textum mutilatum.

Sententia

Sententia Doctoris Pomerani.

Quando tu disputas de nostrorum meritorum dignitate, tunc dic : Etiamsi non sum dignus, nihilominus tamen sum indigens.

In historijs Eremitarum scribitur de S. Antonio, quod ualde duriter se exercuerit in eremo. Cùm autem in oratione sua optasset cognoscere quantus esset futurus, aut cui comparandus in regno cœlorum, in uisione ostensum ipsi fuit, se fore similem coriario cuidam uicino portæ Alexandrinæ, quem ipse optimè norat. Expergefactus uerò, ingreditur ciuitatem, ac interrogat illum coriarium, qualia ipse haberet pietatis exercitia? Respondit ipse, nulla, nisi quod sua domestica opera faceret, & cum alijs in congregatione Ecclesiæ oraret. Ibi ille cogitauit de discrimine fidei, & aliorum operum, & fiduciam in filium Dei unicam esse ancoram consequendi uitam æternam : reliqua uero opera non mereri remißionem peccatorum, aut satisfacere legi diuinæ.

Cochleus scribebat contra Doctorem Martinum Lutherum, dicens : Quid dicis, Fide tantum iustificamur? tamen etiam DEVS iustificat, Spiritus sanctus iustificat, & multa similia ita coaceruabat, non intelligens quid diceret. DEVS est caussa efficiens iustificationis : meritum filij DEI, est caussa impulsiua. illa caussa apprehenditur aliquo instrumento, quod est fides.

S. Bern-

S. Bernhardus.

Quisquis pro peccatis compunctus esurit & sitit iusticiam, credit in te, qui iustificas impium, is per solam fidem iustificatus, pacem habebit apud Deum.

Basilius quomodo particula Sola fide vsus sit concione de humilitate.

Qui gloriatur, in Domino glorietur, quod Christus nobis factus sit sapientia à Deo, iusticia, sanctificatio, & redemptio, sicut scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Hæc enim perfecta & integra gloriatio à Deo, quando neq; propter iusticiam suam quisquis effertur, sed agnoscit se indigere uera iusticia, fide autem sola in Christum iustificari. Horum dictorum meminerimus propter aduersarios, quia obijciunt nobis, quòd nusquam ueteres scriptores usi sint particula illa Sola.

DE VETERI ET NOVO Testamento.

AVdiui Anabaptistam, qui postea cum alijs est decollatus, cum quo necesse erat disputare, dicentem: Si omnia Biblia in toto mundo hîc essent posita, non emerē uno nummo. Scimus esse figuras literarum: sed tamen Deus per uerbum externum est efficax.

Lectio noui & veteris Testamenti quotidiana, omnibus hominibus necessaria.

Sæpe uos hortamur & obtestamur, ut propter uestram salutem faciatis uobis textus Bibliorum familiares

liares. Quando mane surgitis, recitatis precibus uestris, legite unum caput in ueteri Testamento, cum aliquo Psalmo, uesperi unum ex nouo, siue intelligatis siue non: tamen aliquid inde discetis, & proderit uobis illa lectio. Accenditur hac lectione inuocatio, est ualde magna bestialis uita & barbaries, surgere & ire cubitum sine cogitatione rerum diuinarum. Videtis puniri mundum propter carnalem securitatem, & uerbi Dei contemptum, & nos omnes sentire pœnas, quas ut leniat filius Dei toto pectore oremus.

Breuis veteris & noui Testamenti summa.

Moyses initiò loquitur de essentia Dei, secundò de creatione, tertiò de hominis formatione, quartò de peccato & lapsu hominis, & de edita promissione, per quam homo destitutus est, & cœpit rursus Ecclesiam condere. Postea sequuntur illustriores promissiones. Deinde in Exodo promulgatur lex, quæ est perpetua uox Dei, postulans obedientiam, & inobedientes damnans. In libris Regum proponuntur exempla obedientiæ & inobedientiæ: Dauid recipitur, postea renouatur promissio: deniq; magis magisq; Prophetæ eadem illustrant. In nouo Testamento expresse illustrantur singuli articuli Christianæ doctrinæ.

Fructus lectionis crebræ Psalmorum.

Vtilitates lectionũ Psalmorũ multiplices sane sunt: primò enim diligens eorum lectio format iudiciũ: deinde accenditur per eam pietas: tertiò Grãmatica exercetur in huiusmodi exercitijs.

Prophetæ Danielis Summa.

Daniel debet nobis esse notus propter multiplicem doctrinam: multa enim præclara in eo continentur. Præcipuæ uerò & ualde insignes materiæ in Daniele sunt: Prima, historia de conuersione Nabuchodonosor, quàm gratum exemplum est, quòd Nabuchodonosor tantus tyrannus & idolatra recipiatur & conuertatur. Ibi debetis in memoriam reuocare seriem totius historiæ, & conciones singulas Danielis, ut: Redime peccata tua eleemosinis. Adhibete etiam curam, ut rectè intelligatis illas sententias. Item postea sunt duæ prædictiones: una de quatuor monarchijs, de statua Nabuchodonosor: altera uero uisio de illis horribilibus bestijs, & de hominis figura, postea de leonis figura, item pardi figura, etiam de Romana lupa, quomodo sit pingenda, quam ipse præ admiratione non satis ex sententia depingere potest. Item prædicit mortem CHRISTI, *& tempus eius aduentus: etiam excidium seu euersionem totius Politiæ, quòd illa politia sit destitura. Item prædicit postremi mundi calamitates.*

Ethnicum iudicium de Psalterio.

Lazarus Bonamicus uir doctus, cum esset interrogatus, quomodo ei placeret Psalterium, Respondit, placere sibi: recitari enim ibi egregias sententias de prouidentia: sed tamen nihilo melius esse, quàm Pindari poëma, quod falsum est. Nam Pindarus etsi habet egregias sententias de prouidentia (nam totus fere Pindarus con-

rus consumitur in testimonijs de prouidentia) tamen Pindarica sunt Idolatrica. Deinde sunt tantum legalia in Pindaro. Dauid uerò in Psalterio habet promißionem gratiæ.

DE SACRAMENTIS.

MAximilianus Imperator, quando oppugnaturus erat postridie ciuitatem in Belgico, inuitauit pridie capitaneos suos ad cœnam, inter quos erat Comes quidam, qui cùm reliqui conuiuæ se hilares præberent, ipse solus tristis in mensa sedit. Interrogatus ergo à Maximiliano: Domine comes, quare tu tristaris, cùm cras tibi pugnandum sit? Respondit, se si uerum fateatur, tristem esse. Maximilianus dicit ei: Indica mihi caussam tuæ tristitiæ, si mea maiestas poterit tibi opitulari, faciet. Potest, inquit Comes. Tandem Imperator ab eo requirit, quid nam sit, quòd tristis sit Comes. Respondit: Quoniam mihi cras præliandum est, & euentus belli sunt incerti, cogito etiam de animæ meæ salute. Præcipuè autem doleo, inquit, quòd debeam tria millia aureorum, quos exposui in multiplices usus rei militaris, de quibus non queo maiestati tuæ rationem reddere, &, ut maiestas tua hanc ingentem pecuniæ summam clementer remittere uelit, oro. Imperator primùm admiratus illam magnam pecuniæ summam, tandem dixit, se libenter ei remittere debitum, modò crastino die se fortem & strenuum uirum in prælio præberet. Comes ut esset certus de remisso debito, dixit: Domine Imperator Maiestas tua mihi præbibat,

ut sim certior de clementi illa remißione huius debiti. At Imperator, Age, ne de mea erga te beneuolentia dubites, & me ex animo tibi remittere scias, præbibo tibi bonum haustum: & sic eum absoluit. Quod Sacramenti signum non fuit obscurum. Deinde fuit hilaris, & fortiter se postero die geßit.

Memini Maximilianum Imperatorem, & regem Galliæ, cùm mutuum inter se fœdus ferirent, ambos simul acceßisse ad cœnæ Dominicæ communionē, unamque hostiam in signum firmißimæ beneuolentiæ diuisam & distributam esse inter eos. Illud fuit signum mutui fœderis, & mutuæ amicitiæ inter Maximilianum & regem Galliæ.

DE BAPTISMO.

SCribunt in India adhuc retineri circumcisionē, Baptismum, Sabbatum, & diem Domincum: & dicunt, quod etiam ibi fœmellæ circumcidantur.

Herodotus scribit, se in tribus locis inuenisse Circumcisionem in Aegypto, quia multi ibi exulabant ex posteris Iacob & filij Esau retinebant Circumcisionem in Arabia, nam Turci adhuc hodie eam quoq; retinent ab eisdem populis acceptam. Deinde in Syria: postea in Colchica propter exulantes decem tribus, quæ inde uenerunt in Europam, & multi Iudæi fuerunt in Germania, & uicinis locis ante natum Christum.

Papistæ mouerunt hanc quæstionem: an asinus bibens ex baptismo bibat aquam baptismi, & sic asinus dicendus sit baptizatus? Est quæstio digna asinis. Non intelligunt asini isti, quid sit baptismus, quod inde ipsis

acci-

accidit, quia ordinem prædicamentorum non didicerunt, nec animaduertunt.

In Borußia ſacerdos parum doctus, cùm aliquando delatus eſſet apud Epiſcopum, quòd non iuxta ritum Eccleſiæ baptizaret infantes: Epiſcopus uolens experiri hanc rem, accuſat ſacerdotem de hoc negotio. Sacerdos negabat, dicens, ſe retinere communem morem baptizandi infantes. Vt autem certus de hac re eſſet Epiſcopus, ſic explorauit. Cùm nullus infans baptizandus eſſet, ſubornat quoſdam componentes κῶφον πρόσωπον *(ut dicunt) ex ſtramine, quem faſcijs inuolui iußit, & ſic inſcio ſacerdote ad baptizandum adferri. Cumq; iam ad baptiſmum aſtaret Epiſcopus & alij, ſacerdos fraudem ſubolens, dixit: Baptizo te in nomine Epiſcopi, in nomine meo, & in nomine compatrum: Epiſcopus ſtatim erupit in hæc uerba: Domine, an hæc eſt forma baptizandi in Eccleſia? Reſpondit Sacerdos: Qualis eſt puer, talis etiam eſt baptiſmus.*

Torgæ erat aurifaber anabaptiſta, qui hanc habebat opinionem, quòd infantes naſcerentur ſine peccato originali. Ratio erat hæc: quia parentes eorum eſſent baptizati. Igitur in illis non eſſe amplius peccatum originale, qui ex parentibus ſanctis naſcerentur. Ibi doctor Martinus reſpondit ei hac ſimilitudine: Neſcis ex quo culmen, & frumentum in agro naſcatur? Proijcitur ſeu ſeminatur granum, quod iam non habet calamum, ſed antea quidem habuit, cum adhuc ſtaret in agro. Attamen ex hoc nudo grano poſtea naſcitur ſeges, quæ & granum & culmum habeat.

Conſilium de baptizanda Iudæa.

Primò nomen ipſi imponendum eſt, quod tamen ipſa elegerit.

Secundò, interroganda eſt, an teneat Decalogum, eumq́; recitet.

Deinde quærendum: Credis ne te etiam eſſe peccatricem, in peccatis natam, egentemq́; filio Dei Meßia ſaluante à peccatis, à morte & poteſtate Diaboli redimente nos.

Quartò: Credis ne etiam quòd dominus noſter Ieſus Chriſtus ſit ille ipſe Meßias, per Prophetas paßim promiſſus ex ſemine Abrahæ, & ex Dauidis progenie, natus ex pudica uirgine Maria, & uerus Deus & homo, nobis in hoc à Deo patre datus, ut pro noſtris peccatis pateretur, crucifigeretur, ac mortem tandem obiret, rurſusq́; ex morte reſurgeret, ut nos à peccatis redemptos in æternum iuſtos ac uiuos redderet per Spiritum ſanctum, quem nobis abſq́; omni merito & dignitate noſtra à Patre impetrauit atq́; donauit? Hicq́; iubeatur ſymbolum Apoſtolicum recitare.

Quintò: Quandoquidē hæc fides, & talis ſpiritus, unum Deum ſicut liberi parentem inuocant, iuxta dictum Ioelis: Omnis quicunq́; inuocauerit nomen Domini ſaluus erit: itaq́; recita orationem Dominicam.

Concluſio fiat cum adhortatione in hunc modum: Iam in poſterum certa ſis, nec ulla dubitatio oboriatur, quin peccata tua tibi ſint remiſſa, & uocaberis ac eris filia Dei per Ieſum Chriſtum unigenitum eius filium,

in

in quem uerè credis. Gratia & Pax Dei ſit tecum. Et dicat Baptizatus homo: Amen.

DE COENA DOMINI.

Ad quæſtionem Vigilij, Doctoris Theologiæ.

CErtum eſt DEVM non eſſe alligandum ad ullam rem, ad quam ſe ipſe non alligat ſuo uerbo. Sicut peccant omnes, qui Deũ magis ad hanc ſtatuam, quàm ad aliam exaudire imaginantur: & ex tali imaginatione omnes idolomaniæ ortæ ſunt.

Non eſt igitur Deus ad panem & uinum extra uſum inſtitutum alligandus. Et merus furor eſt, fingere quòd dictis uerbis à conſecrante ſic immigret corpus Chriſti in panem, ut ibi ſemper manere cogatur, ſicut infuſum uinum in cantharum manet, etſi rurſus effundatur. Sed ſacramenta ſunt pacta & exhibitiones, & cùm ſumuntur illæ res, ſimul adeſt Chriſtus & eſt efficax. Hæc ſacramentalis præſentia eſt uoluntaria, non eſt incluſio Geometrica uel magica, quòd Chriſtus cogatur manere in pane.

Cùm babtizatur homo, in ipſa actione uerè adeſt Spiritus ſanctus, non manet in aqua extra actionem. Sunt igitur abominandæ illæ quæſtiones, an mus, rodens panem conſecratum, comedat corpus Chriſti? Et abominandus eſt mos circumferendi panem in ſpectaculis. Quare eæ, quæ poſt communionem reliquiæ ſunt de pane & uino, quæ non manducantur ab ijs quorum ſit intentio uti cœna Domini, non ſunt Sacramenta:

quia actio tota est Sacramentum. Sed propter imperitos reuerentiam consulo, ut reliquum in poculo ebibat ultimus communicans, uel unus uel plures.

Philippus Melanchthon.

Venerabili viro, egregia virtute & sana doctrina prædito, D. Iohanni Turbidini, pastori ecclesiæ Gottensis, amico suo.

Etsi multa sint disputata à multis de eleuatione Sacramenti, tamen in Ecclesijs nostris placuit eum morem imitari, quòd allegata hac eleuatione, aliqui confirmabant morem circumferendi & adorandi Panem. Hanc autem circumgestationem constat extra rationē sacramenti esse, ut si aqua gestatur sumpta ex ceremonijs Baptismi. Sunt enim Sacramenta actiones à Deo institutæ. Aqua non est Sacramentum, sed ipsa baptisatio, sonante simul uerbo Dei. Sic de cœna Domini sentiatur. Panis & uinum ordinata sunt ad sumptionem, sed circumferantur, tanquam spectaculum, in circumgestatione nequaquam est Sacramentum. Non enim alligatus est Deus ad aliquam creaturam sine suo expresso uerbo. Post hæc horribilis error est, quod sacrificulus offerat in hoc ministerio Filium Dei pro uiuis & mortuis, & quidem quòd addunt id opus ualere ex opere operato, id est (ut ipsi loquuntur) sine bono motu utentis: ad hanc persuasionem oblationem retinent. Cùm error iste damnabilis sit, aboleri uinculum erroris utile est, & prorsus homines de uero usu sacramenti, de confirmatione fidei, & gratiarum actione, docendi sunt. 18. Ianuarij, Anno 44.

In

In quodam regno aliquis phantasticus homo uiuit, qui non uult celebrari cœnā Domini nisi uesperi, quanquam non refert, siue manè, siue uesperi sumatur: tamen turbat Ecclesias. Potestas seu magistratus debebat huiusmodi stultum carceribus coercere, donec animum mutaret. Vesperi ideo Christus dedit cœnam, quia illæ gentes tantum cœnabant, & non prandebant.

Anno post natum Christum 1510. die 10. Iulij, combusti sunt in Marchia Brandeburgensi 38. Iudæi, qui sacramentalem hostiam à sacrilego quodam emptam, pugionibus & cultellis in ipsius CHRISTI & Ecclesiæ Christianæ, ignominiam impiè confoderant, adiectis blasphemijs, quòd Christianorum Deus nullum haberet sanguinem, qui tamen miraculose promanauit, adeò ut celari nullo modo potuerit. Quare comprehensi scelerati, omnes uiui sunt exusti, exceptis paucis, qui sacro baptismate conspersi, postridie capitis supplicio sunt affecti. Sacrilegus uerò iste, qui uendiderat, candentibus primum forcipibus dilaceratus: uiuus etiam deinde combustus est.

Cùm quidam iuuenis audiret papistam concionantem de dicto, Bibite ex hoc omnes, & monachus disputaret particulam omnes, restringendā esse ad solos Sacerdotes, obiecit monacho: Si hæc uera sunt, tunc in hac sententia, Beati omnes, qui confidunt in eo, uocabulum omnes, etiam de solis Sacerdotibus intelligendum esset. Ita ille eruditus iuuenis confutauit papistam.

Stuggardiæ fuit consuetudo, ut pastor Ecclesiæ quotannis à Capitulo Constantiensi peteret potestatem

sacramenta administrandi, sed quia magni sunt reditus (habet enim pastor quotannis circiter 800. florenos) Princeps parochiam adolescenti cuidam nobili commendauit. (Antea autem docti uiri, ut Nauclerus, & alij, habuerunt illos reditus, & Brentius habet nunc eosdem) Sed nobilis ille uenabatur, nec Ecclesiam curabat, atq; ita neglexit morem petendi administrationem Sacramentorum. Orta est igitur quæstio inter Theologos, an illi, qui interea temporis, dum fuit mos neglectus, usi fuerant Sacramento, rectè cœnam Domini sumpsissent? Ibi aliqui indocti disputauerunt, quòd non uero Sacramento usi fuissent, sed doctiores, ut Capnio & alij quidam, dixerunt: Quamuis consuetudo petendi, ac ius porrigendi sacramenta neglecta fuisset, nihilominus ueram administrationem factam fuisse. Nam ea, quæ sunt iuris diuini, non mutantur, etiamsi aliqua traditio humana negligatur, præsertim quæ non facta est ex contemptu.

Quidam insignis monarcha comiti Vuilhelmo de Nassau, disputanti cum eo de multis Papisticæ doctrinæ erroribus, qui irrepserunt in Ecclesia, cum diù de multis tacuisset, & familiariter Comitem loquentem audiuisset, tandemq; uentum esset ad reprehensionem Missæ, dixit: Vuilhelme, Missam mihi relinquas oportet: ea enim mihi, perinde atq; cor meum, chara est.

Episcopus quidam Moguntinus ceperat quosdam, qui sub utraq; specie usi erant Eucharistia, eosq; iußit coniici in carcerem, uolens ipsos fame necare.

Quare

Quare mandauit procul illis ostendi panem & uinum, additis his uerbis: Accipite, comedite: accipite, bibite.

Habebamus Tubingæ Doctorem Theologiæ uirum senem, qui pingebat nobis transsubstantiationem. Si tantùm adpinxisset aures asininas: rectè fecisset.

Quando Papa est in magna pompa, præcedit ipsum equus gestans panē consecratū in arcula, ἐν κιβωτίῳ, *in der Monstrantzen, ut ipse adoretur cum illo pane. Pompa illa à Persis sumpta est.*

Cum essemus in conuentu Ratisbonensi, & hanc assereremus propositionem: Nihil habere rationem sacramenti extra usum à Deo institutum. Ibi Eccius ualde acerbè & acriter contra me disputabat. Postea cum firmißimis argumentis esset conuictus, nec posset amplius aliquid contradicere, ad tantam iram est adductus, ut supplosione pedum, & concußione manuum uideretur rem defensurus esse, et tandem uerò astantibus Granuelo & Electore Friderico ad Rhenum, alijsq; non infimæ authoritatis uiris, dixit: Ego tamen tecum disputabo usq; ad ignem. Ita ira incensus, acceßit ad Mundinensem, qui nunc est Cardinalis, tunc erat Episcopus Mundinæ, qui habebat optima uina Italica, apud quem largißimè bibit. Altero die dicebatur esse mortuus, cum tantum decubuisset in acerrimo paroxismo, ita ut postea non potuerit recuperare ualetudinem, donec paulo pòst moreretur.

Anno 1553. fuit minister cuiſtam ſartoris Lipſiæ, qui cùm antea cœna Domini uſus eſſet utraq; ſpecie, poſtea perſuaſus ſub Papatu una ſpecie ſumpſerat. Deinceps uerò Lipſiæ rurſus admonitus à ſuo ſartore, ut ad ſacram σύναξιν accederet, diu nihil reſpondit: tandem uerò cum ingenti & horribili boatu exclamat: O, ô, ego ſum perpetuum diaboli mancipium, & cum impetu ſe per feneſtram præcipitauit, ita ut omnia ſua uiſcera interiora effunderet. Sic horribili morte eſt extinctus.

Quidā in Italia ut gratificaretur epiſcopo, ſumpſit unicam ſpeciem cœna Domini (& uſus eſt manca & mutila cœna, qualem aduerſarij noſtri ſolent populo diſtribuere) qui aliàs de reliqua doctrina Christiana non male ſentiebat. Mox ubi rediјt domum, incidit in grauiſsimum morbum. & cùm decumberet in lecto, repetiuit ſæpè hanc uocem: Ah, inquit, fieri non poteſt, ut remiſsionem peccatorum conſequar: quia filius Dei factus eſt mihi aduerſarius, & aduerſa fronte mihi repugnat, accuſans me coram æterno patre periurij & defectionis, quoniam ipſum negaui. Et cùm ipſe mihi hoſtili animo repugnet, quæ poteſt eſſe ſpes reconciliationis? Si Chriſtus pro me intercederet apud Deum, ſicut pro alijs peccatoribus intercedit, & fungeretur officio Mediatoris & deprecatoris, bonam ſpem conciperem, fore, ut Deus mihi reconciliaretur, placatus precibus Filij. Sed cùm hic hoſtilem impreſsionem in me facit, cogor omnem ſpem ſalutis abijcere.

Has

Hac uoce subinde repetita, tandem miserabiliter extinctus est.

In bello Neapolitano, quod fuit ante quadraginta annos (in quo fuit ille senex, honestus ciuis, Roslerus) in castris magna fuit penuria aquæ. Milites dederunt panem consecratum asino, præcipitaueruntq; ipsum in mare, ut cieret aquas. Is in mare delapsus ciuit tantas tempestates, ut omnes perituros esse cogitauerint. Postea semper superfluam aquam habuerunt. Ita uidetis quid superstitio hominum efficiat.

DE SACRIFICIIS.

Omnes gentes mactauerunt humanas hostias. Huiusmodi horrenda commiserunt per κακοζηλίαν, ubi homines sine mandato & absq; ratione imitati sunt Patrum exempla: sicut iam multi imitantur exemplũ Lutheri. Quidam putant se similes esse Prophetis, quando omnibus maledicunt, ignorantes interim quid dicant.

Audiui Albertum Durerum narrantem, Hieronymum Hirß fuisse in insula quadam, ubi quotannis solebant fieri humanæ hostiæ, & diabolus clara uoce unũ deposcebat.

Sextus Pompeius, cum hostem quendam suum in littore nauali uicisset, mersit in mari quinquaginta candidos equos, quos ita Neptuno sacrificare uoluit.

In Hungaria magnum habebant quæstum ex sacris funeribus. Interdum Parochi uno anno centum tauros accipiebant, & singulos quatuor aut quinq;

aureis

aureis uendebant. Apud nos etiam cum celebrarent κενετάφια, homines multum panis, uini & carnis offerebant. In summa, illa iusta & sacra fuerunt quaestuosa sacrificulis.

Cùm dicerem in lectione de ἐπιείκεια, ubi Paulus dicit de sacrificijs familiarum, quae est satis larga, quam nunc nemo concederet, etiam quatumuis diues, & indulgens: interrogaui cordatum, an ipse quoq; talia concederet? At ille: Non certè facerem.

Eccius in conuentu Augustano, in consessu principum, obiecit mihi argumentum tale ex Iesu Syrach, capite quinto: Non sis securus de propitiato peccato. Ergo semper de gratia dubitandum est. Respondi illi: Securitas opponitur duobus: scilicet dolori & dubitationi. Hîc apponitur dolori. Non sis securus de propitaito peccato, id est, semper maneat in te dolor admißi peccati. Hanc solutionem dedi in consessu principum, cui ipse acquieuit. Sed est responsio ad hominem, non est realis. Vera solutio est, quod textus loquitur de sacrificijs, id est, non consequeris externis sacrificijs, aut operibus sine fiducia mediatoris remissionem peccatorum, iusticiam & uitam aeternam. Et saepe sic necesse est dare solutiones ad homines, ubi non occurrunt, reales, ut litigiosis & loquacibus imponatur silentium.

Magnates huius mundi plerunq; sacrificia in pompam quandam & ostentationem conuertunt: Romanus quidam Imperator olim simul eodem tempore obtulit & mactauit mille tauros, mille leones, & mille aqui-

aquilas. Hoc *putarunt esse acceptißimum* Deo *sacrificium, & conuenientem & laudabilem tali imperio pompam & magnificentiam: cum interim ipsi astarent cum suis amasijs, nihil minus quàm diuinam gloriam quærentes.* Ita *paßim apud plerosq; ceremoniæ uertuntur in pompam.*

Quidam Rex, *profecturus ad bellum Anglicum, & moturus castra, in principio itineris cremauit hominem propter religionem & confeßionem ueræ doctrinæ, tanquam uictimam, ut felicius iter succederet.*

Quædam gentes in quodam loco Germaniæ suos parentes senes ante 300. annos, tanquam inutilia terræ pondera iudicantes, sacrificarunt. Fertur *enim, de quadam comitissa ibidem in quadam sylua iter faciente, talem parricidam deprehendisse, & parentem ab eo liberasse.*

Eiusdem rei exemplum nostro tempore factum.

Leuin de Schulenburg *ueteris* Marchiæ *capitaneo cum inter* Luneburgenses Vandalos *iter aliquando faceret, quidam obuiam uenerunt cum sene lachrimante, quos interrogat, quonam hunc senem deducere uelint?* Respondent *ipsi:* Zu Gott, Zu Gott, *hoc est,* Deo *ipsum mactemus, nam uictum quærere laborando ulterius nequit.* Quo *intellecto, depulit hic magnanimus uir cum suis hos mactatores ab hoc sene, quem secum deinde sumebat, ac custodiam portæ mandabat.* In *quo officio huic capitaneo post hanc liberationem*

tionem uiginti adhuc annos mediocri ualetudine inſeruiuit, & poſtea placidè obijt.

DE CONFESSIONE & Abſolutione.

DOmino Doctore Luthero Erphordiæ confeſſore exiſtente, quædam puella ex honeſta familia & pudica, ſeruiuit cuidam mulieri diuiti uiduæ, cuius filius adoleſcens, captus forma & amore puellæ ſolicitauit eam ad concubitum. Indignum facinus auerſans puella (ſicut honeſtam decet) aliquoties à ſe repulit furioſum adoleſcentem. Deinde cùm quotidie magis magiſq; inſtaret, & in illicito propoſito perſeueraret, puella rei indignitate impulſa, ut famæ conſuleret, & ſuam pudicitiam à ſumma infamia uindicaret, matri adoleſcentis rem ordine narrat, monetq; ut filio inſidias ſtruenti frenum inijciat. Mater, re deliberata, iniuit rationem cum puella, & iubet eam in filij amorem conſentire, ac certam horam noctis præſcribere, ut hac occaſione filium tam indigna conantem reprimeret. Conſilium probat puella, inijtq; pactum ſimulatum cum filio. Filius, hora noctis conſtituta, ſe contulit ad locum propoſitum. Mater, quæ antea filij furores hac arte cohibere ac frenari ſecum conſtituerat, uicta libidine & inſtinctu diaboli, filio corpus proſtituit. Naſcitur ex indigno inceſtu fœmella, quam expoſitam, & alio loco clàm educatam mater tandem ad ſe recipit. Idem filius omniũ

harum

harum rerum ignarus, & hanc amare incipit, ducens eam in uxorem. Mater dubia & deſperabunda in agone mortis, ſentiens etiam conſcientiæ morſum, peccata confitetur. Res igitur ad collegium Theologorum defertur. Cumq; diu de matre ambigeretur, ut in caſu non uſitato, tandem lata eſt ſententia, ut afflictæ conſcientiæ matris conſuleretur, communi conſenſu totius collegij Theologici Erphordienſis. Mater itaq; cum adhortatione ad pœnitentiam & fidem abſoluta eſt. Deinde ſtatutum eſt, ut filio etiam matrimonium, iam diu ſponſalium ſolennitatibus, copulaq; carnali confirmatum, concederetur. Probauerunt docti uiri ſententiam & deciſionem Theologorum. Portam enim gratiæ ſeu abſolutionis, ut nunc uocant, nunquam clauſam debere eſſe peccatoribus, quibuſcunq; peccatis ſint contaminati, aut qualiacunq; peccata unquam perpetrauerint. Laudauerunt etiam, rem occultè inter Theologos tranſactam.

Age tantum humaniſſime uir & candidiſſime amice, habes quod pollicitus ſum, de Theologorum cautelis, ſed propter temporis penuriam ad pauca redigo, & primùm hiſtoriam recito. (hîc ſuperior hiſtoria annexa erat) His poſtea adiecit Lutherus adhortationem, admonuitq; Theologos iuniores, qui fungerentur, uel aliquando functuri eſſent miniſterio uerbi, ut cautè agerent cum perturbatis conſcientijs, ne confitentibus peccata laqueum inijcerent, neq; afflictionem afflictis adderent. Viſus eſt autem Lutherus hac ipſa hiſtoria reprehendere cuiuſdam Theologi iniquam petulan-

petulantiam in diuerſo caſu, quem etiam breuibus recito. Paſtor *quendam adulterum ad magiſtratum detulit.* Senatus *illius loci, non habita ratione ulla circumſtantiarum, apud iudices* Lipſenſes *quærit de iure.* Lipſenſes, *caſu nudo intellecto, ferunt ſententiam iudicij capitalis.* Eam *exequitur ille ſenatus, decollans miſerum.* Breui, *ubi patefactum eſt, hunc proditum à paſtore, iudices* Lipſenſes *palinodiam cecinerunt, & decollato factam iniuriam affirmant.* Non *enim iudicium criminis reum agere aliquem poſſe, qui à ſacerdote apud magiſtratum ſit delatus ex confeßione, ubi ſola remißio peccatorum impertitur: non igitur miniſterium eſſe gladij.* Vide *de eo in* Decretali*bus c. Si ſacerd. extra. de officio iudicis ordinarij. uerba eius capitis hæc ſunt: Si ſacerdos ſciat pro certo, aliquem eſſe rerum alicuius criminis, uel ſi confeſſus fuerit, & emendare noluerit (niſi iudiciario ordine quis probare poßit) non debet eum arguere nominatim, ſed indeterminatè: ſicut* Chriſtus *inquit:* Vnus *ueſtrum me proditurus eſt. Sed ſi ille cui damnum illatum eſt petiuerit iuſticiam, poteris excommunicare authorem damni, licet etiam ei confeſſus ſit: ſed non nominatim poteſt eum remouere à communione, licet ſciat eum eſſe reum: quia non ut iudex ſcit, ſed ut* Deus: *uerùm debet eum admonere, ne ſe ingerat, quia nec* Chriſtus Iudam *à communione remouit.* Hæc *tibi ſimpliciter narranda magis, quàm declaranda exiſtimaui.* Quàm *autem fuerit neceſſaria admonitio, ex rei magnitudine intelligi poteſt.* Quare *eam tibi cogitandam*

relinquo.

relinquo. Vale feliciter. Vuitebergæ pridie idus Martij anno 1544.

Quidam nos erant calumniati apud Marchionem Ioannem, bonum & ingeniosum principem, quòd doceremus reos manifestorum scelerum non esse absoluendos, antequam rediissent in gratiam cum suo pastore, & dixerant hoc esse papisticum. Quod cum ipse princeps mihi narraret, dicebam: Illustrißime princeps, qui perseuerant in sceleribus contra conscientiam, donec non abijciunt propositum peccandi, non possunt absolui. Vt cùm aliquis offendit alium, & indicit ei bellum non necessarium, & hostiliter ipsum persequitur, donec retinet illud propositum, non est absoluendus. Ita docemus, & rectè. Ibi princeps respondit: Iam satis intelligo, hæc non iniquè aut falsè doceri.

Tecelius monachus, qui huc attulit indulgentias à Papa, ualde multa imprudenter dixit, & non procul hinc rursus pulchrè à quodam est illusus, qui interrogauit ipsum, num haberet potestatem absoluendi à futuris delictis? & promisit ei decem thaleros. Ille respondit, esse rem ualde difficilem: sed tamen sibi datam esse plenam potestatem à Pontifice, nec possè hanc absolutionem tam parua pecunia emi. Quare ita acta res est, ut numeratis uiginti aut triginta thaleris, ille per literas absolueretur à peccato commitendo. Postea idem eques monacho in itinere struxit insidias, & omnem pecuniam, quàm collegerat ex oppido, eripuit. Tecelius rediit in oppidum ad magistratum,

& accusauit prædonem: qui proferens has literas, excusauit factum, quòd sibi ab ipso hoc factum esset concessum. Hoc modo ille euasit, & alter commonefactus est ut ageret prudentius.

Origenes cùm fortè in Ecclesia lectionem inchoaturus esset, sedit diu gemens & lachrymans, ac tandem exclamat: Peccatori autem dixit Deus, quare enarras iusticias meas? Hanc uocem sæpe repetens, quæstus est, se multa inconsideratè disputasse: ac ueniam erratorum non solum à Deo, sed etiam ab Ecclesia petiuit, quæ assidens seni, lachrymis declarabat, se luctu ipsius misericordia affici. Non enim alius dolor, in bona mente acrior existere potest, quàm quæ oritur ex conscientia contemptæ cœlestis doctrinæ.

DE SATISFACTIONE.

FVit Canonicus, qui locauit multũ pecuniæ duobus scholasticis, ut pro eo recitarent horas Canonicas tempore morbi, quo morbo moriebatur. Heydelbergæ Doctor Theologiæ recitabat quotidie horas Canonicas sæpe incumbens in aliam cogitationem, sicut erat occupatus negocijs publicis, cùm interrogaretur ubi esset? interdum animaduertebat, interdum non.

Politianus Canonicus Florentinus interrogatus, an legisset horas Canonicas? dixit: semel perlegi istum librum, & nunquam peius collocaui tempus.

Habui amitam honestam matronam Heydelbergæ, quæ narrabat nobis, se post mortem mariti grauidam sedisse ad focum solam, ubi cùm sederet mœsta, descendit per gradus longus & procerus monachus Franciscanus,

ciscamus, unaq; cum eo maritus, qui simul conuenerunt ad focum. Maritus uxorem salutauit, iußitq; monachum ingredi in hypocaustum, se enim habere multa colloquenda cum coniuge. Ingresso monacho, cœpit loqui de restitutione alicuius debiti, & alijs rebus. Cùm diu protraxisset sermonem, iußit uxorem sibi porrigere manum. Illa metuens, noluit primò porrigere, sed tandem persuasa, porrigit ei manum, quam ille apprehensam ita combußit, ut ipsa fieret sicut carbo: & sic disceßit ab ipsa. Hæc ipsa nobis sæpe narrauit: Ego & multi alij, adhuc uiuentes in patria mea, uidimus manum sic adustam.

Habui olim præceptorem quendam, bonum & doctum uirum, multis notum, qui fuit concionator in Pfortzeim, & mortuus est non ante multos annos. Hic narrauit mihi, ad se (cùm habuisset suam primam missam) dormientem solum in cubiculo, uenisse aliquoties spectrum, uoluisse paßim in libris chartas, sæpe etiam attraxisse lectum, adeoq; ipsum uexasse, ut non amplius solus dormire ausus fuerit, sed orauerit alium ex uicinis, ut apud se dormiret. Sequenti nocte iterum uenit illud spectrum ante lectum, & satis diu uexauit ambos. Et quia uerò paulò antè mortuus erat quidam ex suis cognatis, concepit opinionem, oportere pro ipso missam celebrari. Habita pro eo missa, spectrum ipsum dereliquit, & non amplius est reuersum. Sunt diaboli tentationes & illusiones, quibus superstitiones & idolomaniam apud homines stabiliat.

Veteres distribuerunt horas Canonicas in Psalmum

mum beati immaculati. Fuit bonum institutum. Spiræ in conuentu habebamus hospitium apud Sacrificulum, qui norat meos parentes & maiores. Quia manè surgebam meo more, ille etiam surgebat ad recitationem horarum Canonicarum. Aßidebam illi malè crucianti suum Psalterium, tandemq; dicebam: Domine Petre (sic erat ei nomen) tu habes tres paßiones: primò crucias Deum: secundò Dauidem: tertiò teipsum. Scio, inquit, ista, non itaq; debes mihi exprobrare: sed oportet me illas preces legere. Dicebam ipsi: Tu es iam senex, non deberes mane surgere, sed prolixè dormire. Quia matutinus somnus ualde prodest, præsertim senibus. Postea quando surrexeris, repete orationem Dominicam, Symbolum: & lege unum caput in Biblijs, uel Psalmum Miserere, seu De profundis. Et dum ego hic adsum, prælegam tibi epistolam Pauli ad Timotheum. Ipse obtemperauit mihi ac dormiebat diutius. Cùm surrexisset, finitis precibus, exponebã ei discrimen Machometicæ doctrinæ & Christianæ. Cùm ita docerem illum, penè ut puerum: Ah bone Deus, inquit, nunquam credidissem tam bona fuisse in Paulo, quæ plane non intellexi: acquiescam igitur tibi. Sic mihi postea obtemperauit.

Non ante multos annos quidam mortuus eſt Brandeburgi, qui post mortem uenit semel in foro ad suam coniugem, & iußit pro se canere Missas. Illa inquit: Vade tu non es meus uir, sed es diabolus. Quo audito, ille ita euanuit.

Doctor Martinus Lutherus in principio suarum dispu-

disputationum (cùm esset oneratus multiplicibus lectionibus, responsionibus & prædicationibus, & non posset recitare quotidie suas horas Canonicas) die Sabbathi quando erat ei ocium à lectionibus septies adhuc recitabat horas istas Canonicas. Surgebat enim mane hora secunda, & ut poterat, celeriter pronunciabat, continuabat recitationem usq; ad horam quartam uespertinam. Nos mirabamur laborem, quem nullus nostrum potuisset perferre. Ambsdorfius ad eum dicebat: Quid est D. Doctor, quòd ita istas horas recitas? Quia si peccasti omißione, iam non potest corrigi peccatum per recitationem: rectè argumentabatur. Et dixi ipse ad eum, me quidem non irasci labori, sed pertinaciæ, quòd immoraretur stulto isti labori. Tunc respondit iocans: Profectò pulchre me laudas, cum tribuis mihi pertinaciam. Sic tamen admonitus, destitit tandem à tam inutili labore, cum alijs necessarijs negocijs occuparetur.

Sacrificulus quidam, cùm in lecto iaceret potus, cœpit recitare horas suas, ut uocant, Canonicas, & interim uomens, uentris crepitum edidit. Ibi diabolus arridens, dixit: Qualis est oratio, tale etiam est thus.

Mihi fuit acerrima contentio cum quodam Gardiano, qui dixit, sacerdotem debere tot horas Canonicas legere, quot haberet sacerdotia. Imò ne ipse quidem Canon illud præcipit.

Quidam Sacrificulus, cùm legendæ essent horæ Canonicæ, nihil aliud egit, quàm ut recitaret Alphabetum

betum. Interrogatus, cur non horas Canonicas recitaret? Respondit, non intelligo eas. Quid ergo faciam? Ego, inquit, semper mane recito Alphabetum, & dico: O Domine Deus, accipe tibi has literas, & fac tibi ex his horas Canonicas.

Quidam solitus est cucullam circum gestare in diebus quadragesimæ. Non secus factum uidetur, ac si quis lupo cucullam indueret. Hac enim ratione pro suis peccatis uoluit satisfacere.

Audiui adolescens hominis satis ingeniosi concionem. Is cum deberet concionari de indulgentijs, & declamaret quid essent indulgentiæ, dicebat: Sicut in scholis sunt antepraedicamenta, ita in Ecclesia sunt antesacramenta, ut illæ preces ante Baptismum: uera autem sacramentra, ut ipse baptismus. Sed satisfactio est postsacramentum, & huius postsacramenti postsacramentum sunt indulgentiæ.

Est enim indulgentia relaxatio ueterum canonum pœnitentialium. Vt si cui pœnitentiæ nomine iniunctum esset, ut sex hebdomadas ieiunaret: id Episcopus relaxabat accepta pecunia. Hæ indulgentiæ seu remissiones canonum pœnitentialium uocabantur satisfactiones: quæ paulatim in Ecclesia ita creuerunt, ut sine modo cumularentur.

Eccius concionatus est Lipsiæ de indulgentijs, dixit: Non sunt magnificiendæ, & tamen non sunt contemnendæ. Ista fuit summa suæ conclusionis.

Princeps quidam adulter, pro satisfactione suorum delictorum die Parasceues, quo paßionis Christi memoria

moria solet celebrari, bibebat cereuisiam absynthiacam. Ita illo cruciatu uolebat sua peccata abluere, etiamsi aliâs sibi nimium indulgeret.

Alloquebar fortè monialem; Cur, inquiens, recitatis preces, et cantilenas canitis non intellectas? Respondit illa: Ey, Deus noster bene intelligit. Sic uolebat phantasias ex satisfactione pro peccatis ortas eludere.

Domina quædam ante annos 30. in conuentu Augustano ordinauit, ut per totum annum corpus conseruaretur (sicut illi habent unguenta & aromata, quæ prohibent putrefactionem) & in monasterium monialium gestaretur in templũ, ac ad singulas horas Canonicas proponeretur ei cibus & potus, ut infimis monialibus. Habebat enim hanc imaginationem, quòd obseruatione talium rituum satisfactura esset pro suis peccatis, & etiam melius habitura in altera uita. Quod decretum Imperator resciscens, statim aboleuit, et eam sepelire curauit.

Hodie est consuetudo sacerdotum Turcicorum, ut se uulnerent & lacerent. Qua satisfactione existimant se præstare Deo cultum ex opere operato.

DE PRAEDESTINATIONE.

SVNT pauci anni, quando dominus pastor & ego habebamus literas, à quodam, qui querebatur se toties relabi in idem uitium adulterij, ut inciperet desperare de electione Dei, cum quo nobis multum erat negocij. Scribebamus esse iudicandum ex uerbo Dei. DEVM uerò omnes agentes pœnitentiam, credentes & confugientes ad filium DEI, & promissiones

nes diuinas uniuersales fide apprehendentes, recipere. Respondebat: Hæc esset res mirabilis, quòd Deus non haberet potestatem recipiendi & condemnandi quemcunq; uelit. Verùm Deus non est mendax, neq; Tyrannus. Nos debemus de Deo sentire sicut se patefecit in uerbo suo. In huiusmodi tentationibus pulchrè etiam consulit Basilius in concione de filio prodigo: Tantùm uelis, & Deus tibi præoccurret.

Prædestinatio est secreta sententia, qua Deus eligit aliquos ad uitam æternam.

Causa efficiens, est æterna Dei uoluntas, ordinans Christum, ut sit uictima pro saluandis, & propter Christum eligens aliquos gratuita misericordia.

Materia circa quã, sunt angeli, & homines electi. Non est autem electio uniuersalis, iuxta illud: Multi sunt uocati, pauci uerò electi.

Causa uerò discriminis cur aliqui eligantur, aliqui uerò improbentur, non est ex uoluntate Dei prorsus, quia promißio est uniuersalis quoad ad uoluntatem Dei attinet. Deus uult omnes homines saluos fieri: sed aliquo modo (loquor de nostro iudicio ex uerbo) causa discriminis & reprobationis, in nobis hominibus est, cùm repugnamus uerbo Dei. Electionis causa est, cùm non repugnamus uerbo, sed assentimur & promißionem fide accipimus. Ita necesse est scire, quòd promißio sit uniuersalis: hoc nisi retineatur, non potest effici fides: quia hanc oportet effici per uerbum.

Formalis est cogitatio in Deo seu Dei propositum.

Finalis est salutatio, & sicut is finis est prædestinationis

tionis, ita idem finis est uocationis, & iustificationis. Nemo saluatur, nisi prius uocatus & prædestinatus.

Effectus, est uocatio per uerbum, iustificatio, donatio Spiritus sancti, renouatio & glorificatio.

D. Martinus Lutherus.

Non sis solicitus de Dei prædestinatione, neq; curiosè in hoc Dei sacrarium erumpas. Non enim poteris pro hebetudine oculorum tuorum tam alta mysteria tuo ingenio penetrare: sed audi Christum, in quo pater secretam suæ prædestinationis sententiam aperuit, in quo reuelatum diu latuerat. Nam per Christum certi facti sumus, omnem credentem à Patre esse prædestinatum. Quem enim prædestinauit, eum & uocauit per Euangelium, ut credat, & per fidem iustificetur. Proinde noli curare, an sis prædestinatus: cura potius ut credas in Christum, & per eum iustificeris, & hinc certus eris, te per DEVM esse electum & prædestinatum. Pater non iudicat quenquam, inquit Christus apud Ioannem. Proinde, cùm animi anguntur, & turbantur cura prædestinationis, ex hoc loco conscientiæ suæ pacem & solatium petant. Nam uerum est, Deum aliquos ex hominibus alias reiectis ad uitam æternam elegisse & destinasse antequam iacerentur fundamenta mundi: sed quia Deus in abscondito habitat, & iudicia eius occulta sunt, nec licet nobis tantam profunditatem assequi, itaque ad Christum est discedendum, cui Pater omne iudicium dedit, & in quo nobis reuelauit occultam prædestinationis suæ sententiam. Iam si te in Christo per

fidem inueneris, in Christo electus es: sed si persequeris uerbum, & Christum contemnas aut ignores, scias te reiectum esse. Ne qualem te in Christo inueneris, talis es in Deo: quia Pater omne iudicium dedit Filio. Hoc est autem iudicium in Christo reuelatum, credentes saluari, incredulos autem condemnari. Nam uide quid illud sit, quod in Psalmo canitur: Cúm peruerso peruersus eris, & cum electo electus eris. Cæterùm si diuino captu, quantum ad Dei immutabilitatem attinet, loquendum erit, firma sit sapientia, quem Deus ante conditum mundum elegerit, eum non posse perire: (nemo eum rapiet de manu huius pastoris) quem uerò reiecerit, eum non posse saluari, etiamsi omnia opera sanctorum fecerit: usq; adeò intractabilis est sententia Dei. Tu igitur in solam Domini eligentis misericordiam respice, ut salutem per Dominum nostrum Iesum Christum consequaris. Augustinus: Prædestinatio Dei etsi apud nos, qui in præsentis uitæ periculis uersamur, incerta est, apud illum tamen qui fecit futura, incommutabilis permanet. Nec qui illuminauit, obcæcat: nec qui ædificauit, dissoluit: nec qui plantauit, euellit. Ἀμεταvόητα enim sunt dona & uocatio Dei, & firmum fundamentum Domini stat, habens signaculũ hoc: Cognouit Dominus, qui sunt eius. Nullo ergo modo prædestinatio Dei facit, ut aliqui ex filijs Dei sint filij Diaboli, aut ex templo Spiritus sancti templa facit dæmonum, aut ex membris Christi membra meretricum. Sed potius prædestinatio facit, ut ex filijs Diaboli fiant filij DEI, & ex templo dæmo-

dæmonum templum Spiritus sancti, & ex membris meretricis fiant membra Christi, quia ipse alligat fortem, & uasa eius rapit, eruens ea de potestate tenebrarum, & transferens ipsum de contumelia in gloriam. Hic autem de quibus dicitur, ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, mansissent utiq; nobiscum: uoluntate exierunt, uoluntate reciderunt: & quia profecti sunt, non sunt prædestinati. Essent autem prædestinati, si essent reuersuri, & in sanctitate & ueritate permansuri. At prædestinatio multis causa est standi, nemini causa labendi.

DE RESVRRECTIONE mortuorum.

Certissimum argumentum & ferè indissolubile, quòd anima sit immortalis.

Homo debebat seipsum nosse, & omnes partes animæ ipsius habere perspectas:

At hoc in hac uita non fit:

Necesse est igitur restare aliam uitam ubi fiet.

Aliud, idem probans.

Oportet legem impleri: nisi enim hoc aliquando fiat, frustra lata est lex.

At in hac uita non impletur.

Ergo restat alia uita in qua implebitur.

Hoc argumentum penè est demonstratio, pulchrius etiam atque firmius illo Platonico, quo ab illo affir-

affirmatur immortalitas animæ. Inquit enim Plato: Impoßibile est mentem factam esse ex elementari materia, cùm habeat insitas & innatas noticias, quibus homo differt à Brutis, &c.

Papa Leo, bonus Epicureus, cùm audiuisset in disputatioe de resurrectione mortuorum pro & contra disputari in mensa, respondit: Bene disputastis, sed ego faciam mihi bonum uultum (sic enim in alijs negocijs loqui solent Itali) & adiecit uersiculum Cornelij Galli de homine morituro: Et redit in nihilum quod fuit ante nihil. Versus est bonus, sed sententia est mala. Non decebat serijs rebus ipsisq; fidei articulis huiusmodi nugas & phantasias immiscere, quemadmodum quidam nugati sunt, dicentes, quod pecora sint resurrectura in extremo iudicio. Sic quidam in aula Pomeranica, cùm hæc ibi narrarentur, alteri nobili loco illusit, dicens: O quàm malè tecum agetur in extremo iudicio, cùm resurrecturi sunt lepores, quorum tu multos interfecisti. Tales postea ludi ex talibus disputationibus oriuntur.

Iulius Papa alebat duos in aula mente captos, qui aliquando contendebant de resurrectione mortuorum. Cùm alter negabat esse resurrectionem mortuorum, alter affirmabat. Tandem ambo prouocauerunt ad Papam, qui litem dirimeret. Papa uerò sic sententiam pronunciauit, rectè illum dicere, qui resurrectionem affirmaret; sed id afferre mentes tristes: alterum autem læta dicere, unde eo fieri mentes lætiores.

DE

DE CALAMITATIBVS & Afflictionibus.

INtueamur nostrum Imperatorem potentißimum & fortunatißimum Carolum V. *nemo est, qui optaret accipere eius regna simul cum eius morbis.* Ego quidem laboro: *sed nullo modo tam grauiter.* Ipse dixit, *mirari se quomodo uiuat.* Mirum est, *hominem tam fragilem tam multas miserias & morbos sustinere.* Cogitate *solam historiam de naufragio: quantam calamitatem sustinuit?* Vidit *nauem interire in suo conspectu: post triduum ipsius nauis cum alijs appellitur ad insulam, in qua est commoratus donec oblata maris tranquillitate nauigaret in* Italiam.

Noui bonum principem, qui ante paucos annos post acceptam cladem dicebat: Video *me iam despectiorem esse quàm antea.* Verum *est, quando homines in calamitatibus uersantur, tunc uaria iudicia de eis feruntur.*

Extat *Publij* Mimi *de fragilitate humanarum uirium pulcherrimum dictum:* Cuiuis potest contingere, quod cuiquam contigit.

Versantes in calamitatibus ab omnibus conculcantur, iuxta illud: Δρυὸς πεσούσης πᾶς ἀνὴρ ξυλεύεται, *id est, quercu lapsa, quiuis lignum aufert.* Cùm *Achilles interfecisset* Hectorem, *omnes etiam ignauissimi coniecerunt stercus in cadauer* Hectoris.

Nunquam periculum sine periculo uitatur: ut est antiquum dictum. Sic *nos quando nitimur mederi malis,*

lis, tunc incidimus in alia, iuxta dictum: incidit in Scyllam cupiens uitare Charybdim.

Apud Euripidem in Phœnißis cum mater interrogaret Polynicem, an magnum malum eßet exilium? Respondit Polynices: Imò maius est, quàm uerbis dici poßit.

Nullus hominum ſine calamitate.

Rex Artaxerxes, mortua concubina ſua unicè à ſe dilecta, cum audiuiſſet in Ionia Democritum doctum hominem eſſe, miſit ad eum legatos petitum, ut reſuſcitaret mortuam. Reſpondit Democritus: Res eſt magna & difficilis, ſed huic poßet mederi, ſi rex pararet remedia, quibus opus eſſet. Cùm hoc reſponſum eſſet ad regem allatum, dixit rex, ſe curaturum ut haberet remedia, ſi indicaret, quæ ad hæc neceſſaria eſſent. Democritus reſpondit: Triginta nomina hominum inſcribenda eſſe ſepulchro talium, qui ſinguli perueniſſent ad annum uigeſimum, & nihil dolorum experti fuiſſent: tum uerò concubinam ſuam reuicturam. Sed rex hæc nomina inuenire non potuit. Significatum eſt hac narratione, nullum hominem uicturum eſſe, qui non aliquas huius uitæ ærumnas ſenſerit.

Boetius lib. 2,

Conſtat æterna poſitumq; lege eſt.
Vt conſtet genitum nihil.

Id eſt: hoc unum conſtat, & ratum ac firmum eſt lege æterna, ut nihil genitum conſtet, id eſt, firmum ſit & æternum.

Plura

Plura sunt αὐθαίρετα, quàm αὐτόματα, ut cùm Constantinus summus ille Princeps, quo nescio an maior fuerit quis in terra, interfecit filium suum Principem, appetentem regnum ante tempus. Illa mala sunt αὐθαίρετα quæ sibijpsi filius accersiuit.

Ludouicus pius filium suum præfecerat Mediolano, cuius magna industria fuit, ita ut peruenisset ad imperium, si fortunam suam expectare potuisset: qui tenuit iam aliquam imperij partem mandato patris. Sed quia molitus est defectionem contra patrem, pater decollauit eum, & quidem ille pater, qui re ipsa nominatus est Ludouicus Pius, cùm aliâs fuerit placidus & tranquillus. Ita filius illa αὐθόματα mala accersiuit.

Xenophon.

πᾶν προσδοκᾶν δεῖ ἄνθρωπον ὄντα: Id est, omnia oportet expectare eum, qui est homo. Nota autem mala sunt optima: quia iacula præuisa minus lædunt.

Idem.

Omnibus bonis dij duo mala adiuxerunt: præstantißimi sua mala æquo animo ferre sciunt.

Pœna contra insolentiam, tempore calamitatum publicarum.

Romani tempore belli Punici ciuem prospicientem de fenestra coronatum, iusserunt in carcerem duci, tali tempore delitijs indulgentem.

Terra plena petulantibus hominibus.

Nuper dixit ad me quidam bonus & sanctus uir: Heu quanta est petulantia hominum, ut terra eam non amplius poßit sustinere. Sic ante bellum Troianum

dicunt

dicunt terram petiuisse à Ioue, ut se ab oneribus inutilibus leuaret, quia nimium premeretur iniusticia: ita Iouem præbuisse huius belli caussam.

DE FAME.

Tempore Ottonis Imperatoris tanta fuit sterilitas paßim in Germania per triennium, ut multa millia interierint fame. Vnde etiam nunc Erphordiæ quotannis pinsitur panis paruulus, in memoriam eius penuriæ. Nihilominus nos manemus usq; adeò intemperantes, feri ac ingrati, ut quasi putemus nihil nobis opus esse diuino auxilio, ut nihil aliud dicam.

Famis ingentis exemplum.

Vidi aliquando totum Senatum & omnes Sacerdotes Tubingenses nudis pedibus incedere tempore famis.

Conseruationis diuinæ, famis tempore, exemplum.

Cùm essem Tubingæ, fuit magna caritas annonæ. Veni eodem tempore ego & alij mei condiscipuli in domum cuiusdam rustici, ubi uidebamus eos comedere rapas coctas cum crudis. Quæsiuimus utrum haberet panem? Respondit, se neq; pecuniam, neq; panem habere. Ibi intelleximus Deum tam mirabiliter rusticum & eius familiam seruare & nutrire. Nam omnes in ipsius familia erant satis robusti, etsi ipse fuerit aliquantulum macilentus, cùm postea adferret nobis ligna Tubingam, dedimus ei plus pecuniæ, quàm ipsi debebamus, ad suæ familiæ sustentationem.

Frumen-

Frumenta & non gramina nutrire, exemplum illuſtre.

Ante annos triginta magna fames graſſabatur Venetijs ac in tota Italia: nam annis tribus continua fames fuit. Finito autem bello Veneto ante coronationem Imperatoris Caroli V. tunc multi homines reperti ſunt in uijs iacentes, & tenentes gramina in ore. Sic habetis perſpicuum exemplum quòd frumenta & non gramina nutriant.

Beneficentia Senatus Argentinenſis tempore famis.

Anno 1517. magna fames fuit: eo tempore urbs Argentinenſis fuit benefica, diſtribuens uenale frumentum ciuibus & uicinis pro mediocre precio, ut conſuleretur ſaluti ac uitæ ſubditorum.

MORS PIORVM, EORVMque qui propter Chriſti doctrinam interficiuntur.

Pij principis ex hac vita diſceſſus.

Theodoſius moriturus dixit, ſe quidem libenter diſcedere ex hac uita defeſſum & defatigatum mole imperij, ſed magis ſe iam ſolicitum eſſe de Eccleſiæ ſtatu poſt ipſum, quàm de ſua uita: ſcire ſe, Eccleſiam habituram nouos prædones, ſicut factum eſt. Valens enim expulit ex Eccleſia rectè docentes. Valentinianus quidem defendit: ſed tamen magna imperij quaſſatio eſt facta.

Exemplum omnibus pijs in agone mortis proponendum.

Quando dux Fridericus erat in agone mortis, iussit sibi grandioribus literis multas sententias consolationum in tabulam scribere, quas sæpe legit, ijsq; se confirmauit. Si quis addidisset picturam triumphi Christi, bene fecisset, & credo quòd fuisset ei uoluptati. Sic piè & sanctè mortuus est. sentiens ingentes cruciatus calculi. Interrogatus an alios dolores haberet? Respondit: Habeo cor tranquillum: uerùm in carne habeo dolores maximos, quos fero propter Christum.

Versus Bembi consolationis plenus.

Bembus Venetus nobilißimo genere natus, scripsit carmen pulchrum de S. Stephano, in quo ponit hunc uersiculum de eo:

Ibat ouans animis, & spe sua damna leuabat.

Innocentis necis & patientiæ exemplum.

Fuit in aliquo loco, ubi sumebatur supplicium de aliquot præstantißimis uiris: inter quos senior quidam uir cùm flecteret genua (quanquam non posset per se ipsum procumbere, sed utcunq; sustentabat eum lictor) præbens ceruicem iam lictori, postremò dicebat: O Domine Deus, ego multis meis magnis peccatis merui mortem et supplicia: sed tamen tu scis quod in ista causa sim innocens. Dixit se habere conscientiam bonam: in illa causa propter quam occideretur.

Sancti

Sancti Iacobi mors, ex insidijs interfecti.

Iudæi interfecerunt Iacobum Alpheum, in illo interuallo quando abfuit Romanus magistratus, & expectabatur aduentus noui præsidis ex urbe Roma. Ibi iste Iacobus est necatus à suo Pontifice, qui non habebat ius gladij. Sed tempora aliàs tunc erant plena seditionum. Nam quando instat finis alicuius regni, præcedunt multæ seditiones. Sicut iam paulatim sacra ædificia per partes ruunt: sic sensim ruunt etiam Imperia. Quantus tumultus est iam in Germania? Sine ulla dubitatione instat mutatio aliqua.

Mors triste spectaculum.

Ante annos 36. aut circiter, bona & honesta matrona moriebatur: ad quam accedebat concionator iuuenis, declamitans multa de mortis dulcedine. Ipsa uerò pertæsa illius stultæ orationis, inquit: Ah tu nondum expertus es mortis cruciatus: ego confido in Deum, qui me iam ex omnibus illis calamitatibus & ærumnis eripiet.

Insignis pij militis ex hac vita decessus.

Ioannes Huniades, pater Mathiæ, fuit magnanimus & felix bellator, qui unus reuera aliquid præclari contra Turgas gessit. In postrema autem pugna: qua fuit uictor, magna cum gloria ex hac uita decessit. Sicut enim Epaminondas iam moribundus interrogauit, an saluus esset clypeus? dixerunt esse saluum. Deinde quæsiuit, à qua parte staret uictoria? Dixerunt

uictores esse suos ciues, quo audito, fortiter, ac læto animo mortuus est. Sic Iohannes Huniades cùm audisset profligatos esse suos hostes, agit Deo gratias, cui suam animam & corpus commendauit, & ita lætus moriebatur.

Papæ tyrannis & organorum eius sæuitia in pios.

Duo boni uiri in Elwagen, pastor & eius concionator supplicio affecti sunt, qui nihil aliud fecerant, nisi quòd mollißimè taxauerant crassißimos abusus papisticos. Concianatoris nomen erat Cresius, qui fuit meus præceptor. Illi duo duxerunt uxores. Concionator erat præclarè doctus. Pastor uerò minus. Cùm essent in carcere, ille non fuit fortis, adeò ut pastor licet indoctior, confirmauerit illum. Postea ambo in bona confeßione sunt decollati.

Aliud.

Papa iam in Italia comburit quicquid potest requiri librorum, non tantum Theologicorum, sed etiam Philosophicorum. Inprimis autem omnes Erasmi libros curat inquiri. Flaminium illum bonum uirum effodit mortuum et combußit cadauer, qui Psalmos reddidit uersib. uult aboleri omnia scripta præter libros unius Thomæ Aquinatis omnium insulsißimi scriptorum.

Alia in antiqua Ecclesia tyrannis.

In Aegypto fuit Episcopus Cheremon, uir admodum senex, expulsus ex urbe sua cum magna multitudine piorum hominum, antecesßit agmen senex cum coniuge sua. Cùm autē interea mißi essent equites, qui

eos

eos conculcarent & extinguerent, cumq; pius ille senex non posset permare atq; alij iuniores festinando effugere, ibi ille cum sua coniuge in cœlum subduci à reliquo agmine conspectus est. Euidens est exemplum *præsentiæ* Dei *in* Ecclesia, *iuxta dictum* Psalmistæ: Prope est Dominus omnibus, *qui tribulato sunt corde.*

Aliud.

Cardinalis *quidam in* Anglia, *interfecit optimos uiros* Latomerum *integerrimum octogenarium senem. Cùm esset* Paduæ *scholasticus uadit ad auditorium, ubi monachus enarrauit* Epistolam Pauli ad Romanos, *secum ferens meum commentarium, quasi improbans huius nugas.* Sed *iam scripsit pro* Pontifice.

Veteris Ecclesiæ in pios tyrannis.

M*agna lucta fidei est in* Babyla Episcopo Antiocheno *laudabili illo sene. Cùm ducebatur ad supplicium senex cum duobus filijs tempore* Decij, *astitit ibi quoq; mater: & cùm filij primò interficerentur, uicit illum dolorem fides in patre & matre.* Postea *pater est interfectus in confeßione bona: mater uerò non occidebatur.*

Velcurionis pius ex hac vita discessus.

Magister Velcurio *cùm ægrotaret, adeò ut etiam morbo illo moreretur, eumq; cæteri* Magistri & Doctores, *accedentes ipsum, consolarentur, subitò prorupit in hæc uerba:* Pater *est amator, filius redemptor, spiritus sanctus consolator: quomodo itaq; tristicia affici possem.*

Mortem piorum & sanctorum hominum sequi calamitates.

Sic Stillico, mortuo Ambrosio dixit: secuturas esse magnas mutationes, & ita accidit. Nam mortuo Ambrosio: inuaserunt peregrinæ gentes Italiam, & horribiliter eam uastauerunt. Mortuo Augustino, Vandali traiecerunt in Africam, & statim secuta est hæresis Ariana. Videte quid accidit post mortem Doctoris M. Lutheri. Deus mitiget calamitates, & pro sua immensa misericordia nos tueatur.

Exemplum, insignis patientiæ in Mauricio.

Mauricius imperator bella gessit cum quodam rege Barbaro, à quo prælio superatus est, & maxima eius exercitus pars fugata, captiq; sunt plures duobus millibus militum. Barbarus obtulit Mauricio singulos redimendos uno nummo. Hic propter nimiam auaritiam noluit: Barbarus secundò obtulit, & hic secundò recusauit. Quare Barbarus motus iracundia uniuersam multitudinem captiuorum trucidauit. Tandem post exiguum temporis spacium, uidit Mauricius in somnis imaginem Saluatoris nostri, in sublimi cruce pendentem, & iuxta eum stantem multitudinem trucidatorum, ipsum accusantium. Visum est igitur Mauricio se à Christo uocari. Accedit igitur ad Christum, sic interrogantē eum: Maurici, utrū uis luere pœnū pro captiuis his interfectis in hac uita, an in altera? Ille supplex procumbit, rogans ut sibi parceret in altera uita, ac in hac potius sumeret pœnas. Tunc Christus: Ergo si uis in altera uita non puniri, in hac uita lues tuorum pecca-

peccatorum pœnas: ideoq; tradam te in potestatem Phocæ, ut interficiat te cum tota familia. Mane expergefactus Mauricius, ac nimium illo somno perterritus ad se uocat Philippum, quem antea suspectum habuerat, dixitq; ad eum: Philippe, sæpe habui te suspectum, quòd affectares meum regnum: iam uerò te omni suspicione libero. Hac nocte mihi reuelatū est in somno me interficiendum esse à Phoca. Quærit igitur qualis esset? Ibi Philippus inquit: Nihil est quod uerearis à Phoca, est enim homo timidus. Ibi statim Mauricius subiecit: Omnis timidus est homicida & crudelis. Paucos post dies annunciatū est Imperatori, Phocam cum exercitu uenire ad interficiendum ipsum. Imperator fugit ad amicum: sed retractus est ex fuga, & prius in conspectu eius trucidati sunt filij. Postea cum infans quæreretur, dixit Mauricius, eum esse apud nutricem. Missum est ad illam ut aufferretur infans. Nutrix misericordia mota erga Imperatoris filium, ipsum abdit in loco quodam secreto, & suum pro eo adfert. Pater agnouit suum non esse, nec uoluit alium infantem pro suo interfici. Dixit igitur ad Phocam: Iste non est meus, parcas alieno innocenti sanguini, & iubeas adferri meum. Coacto est igitur nutrix adducere Imperatoris infantem, qui adductus, patre etiam intuente, est transfossus. Deniq; cum & coniugem adductam ante oculos suos uideret interfici, exclamabat Mauricius: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Tandem & ipse Mauricius decollatus est, repetito iterum hoc uersiculo Psalmi: Iustus es Domine, &

rectum iudicium tuum. Cogitate *quanta hæc fuerit pœnitentia & obedientia in calamitatibus, atq; adeò ipsa morte.* Nullus *ei dolor tantus fuit, quem non fide mediatorem apprehendente uicerit.*

Ante paucos annos quidam est decollatus, qui ante supplicium dicebat, se nolle suam uitam redimere uno nummo: quia iam uicerat mortem uiuificatus per filiũ Dei: *accensa in eo lætitia spiritus sancti, qui est spiritus gratiæ & precum.* Habuit *enim illum non ex factis, sed sola fide, apprehendente misericordiam in filio* Dei *ostensam, qua superauerat suam mortem.*

Mors S. Mariæ matris Saluatoris nostri.

Epiphanius putat Mariam *coronatam martyrio, & allegat hoc dictum Simeonis:* Tuam *ipsius animam pertransibit gladius.* Sed *tamen affirmat non constare quo genere mortis sit extincta, aut ubi sit corpus eius in terra sepultum,* Mortua *est autem anno ætatis suæ quinquagesimo nono, ut scribit* Nicephorus *totidem uidelicet annos nata ante mortem, quot* Maximilianus. Credo, *quòd conceperit anno uigesimo: alij uolunt anno decimoquinto ætatis suæ:* Vixit *autem post ascensionem filij quinq; aut sex annos, & fuit rectrix istius cœtus.*

Pij principis morientis votum.

Dux *Saxoniæ* Iohannes, *iustus, sapiens, & moderatißimus* Princeps, *ante obitum subinde hæc uerba repetiuisse dicitur, se paterno animo semper erga suos fuisse subditos, seque optare ut ad posteritatem*

etiam patria tranquilla ſit, & paternis imperijs regatur.

Papæ & ſuorum contra pios tyrannis.

Lugduni ante paucos annos, tres honeſti uiri propter confeßionem Euangelij ſunt interfecti.

Simile.

In Anglia nunc filia regis eſt decollata, & caput eius abiectum in gremium Principis cognati aſtantis, qui poſtea etiam eſt accuſatus.

Simile.

Cùm in Belgico quidam Lutheranus duceretur ad ſupplicium, dixit: Ego oro uos propter Deum, ut tantum dicatis mihi, quid fecerim? Ibi reſponſum eſt, quòd Biblia excudiſſet. Ibi ille: Ago Deo gratias, quòd nullum aliud crimen mihi obijcere poßitis, & lætus ſum, quòd hanc rem ad Dei tribunal adferre poſſum.

Simile.

Epiſcopus quidam ſolebat dicere: Ego non ſoleo diu diſputare cum Lutheranis, ſed ſtatim iubeo eos demergi in Rhenum. Poſtea ille ipſe Epiſcopus horribiliter eſt mortuus.

Sequentes tres hiſtoriæ ſunt ſcriptæ ad Lutherum, Anno 1543.

Prima.

Quidam ciues in Auſtria profecti ſunt ad uicinum oppidum, quod duobus miliaribus diſtat ab eis, & ibi ſumpſerunt Sacramentum ſub utraq; ſpecie. Papiſtici

sacerdotes illius loci, postquam compererunt, iusserunt eos in uimcula conijci: sed qui præfuerunt, id facere recusarunt.

Secunda.

Ad eundem modum in regali Alba, quam Stulweissenburg uocant, Euangelium docetur purè: & administrantur Sacramenta iuxta Christi institutionem. Iusserunt autem Papistæ cùm doctorem Ecclesiæ: tum ciues sacramentis usos, conijci in carcerem. Sed præses oppidi rescripsit, se Deo potius obtemperare quàm hominibus: in cæteris omnibus facturum officium.

Tertia.

In die Paschæ, ex oppido Metensi ad uicinum monasterium, quod est comitis Vuilhelmi à Fürstenberg, iuerunt ciues circiter ducenti cum uxoribus, ut ibi integro Sacramento uterentur. Id cùm Scampaniæ gubernator resciuisset, cum aliquot equitibus impetum in monasterium fecit, & matronas in conspectu maritorum nudatis uestibus uiolauit. Quid à Turcis posset committi magis indignum?

Simile.

Romæ duo Augustani in cellis inuenti sunt præcisis capitibus, & linguis exectis. Tanta fuit crudelitas. Reprehenderant autem hi luxum Cardinalium.

Tyrannis contra Iohannem Hus & Hieronymum Pragensem,

Cogitate.

Cogitate, qualis fuerit dolor illorum duorum uirorum, Iohannis Huß, & Hieronymi Pragensis in concilio Constantiensi. Ibi aduersatus est eis totus mundus. Gerson etiam fuit unus ex condemnatoribus, qui eo tempore fuit eruditus & magnus uir: & tamen fuit ex illorum numero, qui se sanguine innocentum & iustorum hominum polluerunt. Dicitur surrexisse ex Concilio Casparus Schlick, à quo est illa familia in ualle Ioachimica, cùm uideret inclinationem fieri ad eorum condemnationem, nolens esse suffragator & approbator supplicij.

Palatinus Ludouicus ille bonus senex et pius princeps, ante paucos annos Idibus Martij mortuus est: cum quo etiam mortua & extincta pax Germaniæ. Hic paulo ante mortem uocauit ad se plurimos concionatores, cum quibus collocutus fuit de causis & controuersijs religionis, dixitq;, illos sibi præ cæteris esse gratißimos hospites. Adfuit autem ei in agone mortis pastor Heydelbergensis, qui adhuc uiuit. Mortuus est postea ille princeps in pia confeßione doctrinæ Christianæ.

Dicitur de Petro Apostolo, quòd fuerit uestitus pallio (quia tunica fuit interior uestis, & superinduerit pallium) habens in manu sudarium, quo solitus est uti propter aßiduas lachrymas. Interrogatus uerò quare ita lachrymaretur? Respondit, se flere desiderio Domini. Sed credo eum fleuisse propter calamitates generis humani potißimum, quibus genus humanum propter peccatum obnoxium est.

Tyran-

Tyrannis cuiusdam Episcopi, contra pios.

Audiui de quodam Episcopo quòd decem homines propter religionem coniecerit in carcerem, & eos ita fame necauerit, ut se mutuò deuorarent. Quis unquam hoc audiuit in Phalaridis historia?

Tragica mors patris & filij simul combusti.

Ante paucos annos cùm quidam alligatus esset palo in Anglia, ut propter confeßionem doctrinæ combureretur, ibi filius astans spectator supplicij paterni, transilijt in rogum ad patrem, & carnifex utrunq; combußit.

Breuis de morte & confessione Iohannis Huss narratio.

Iohannes Huß Bohemus in Concilio Constantiensi publicè pronunciatus est hæreticus, & singulari ritu spoliatus iure sacerdotali, per Episcopos damnatus ad supplicium ignis, & traditus seculari potestati. Cùm educitur ad locum supplicij, gestat in capite mitram Episcopali similem, in qua depicti erant duo dæmones, cum inscriptione: Hæresiarcha. Subinde inter eundum has uoces ingeminauit: Iesu Christe fili Dei uiui, qui passus es pro nobis, miserere mei. Tandem impositus rogo, eandem precationem aliquoties alta uoce repetens, fortiter supplicium pertulit.

Eberhardi ducis Vuirtenbergensis decedentis ex hac vita, pia confessio & consolatio.

Eberhardi ducis Vuirtenbergensis pij & præstantis principis confeßio: qui cum iacuisset totum triduum, & iam morituro præberetur corpus Domini, erigens se quasi conualuisset, dixit: Ago tibi æterne Deus pater Domini nostri Iesu Christi gratias ingentes, quod ostendisti consolationem conscientiæ meæ, per filium tuum, & reuocasti me ad pœnitentiam. Tandem cœpit hæc sequentia intenta uoce proferre: Deus, inquit, sicut omnes sumus imbecilles, & polluti horribilibus peccatis, si meum regimen unquam fuit graue & molestum alicui ex meis subditis, aut alijs hominibus, punias me, & sumas supplicium in hac uita de meo corpore, ac postea animæ parcas,

Pij principis confessio omnibus in agone mortis necessaria.

Cũ optimus & pius princeps dux Franciscus Luneburgensis multos cruciatus in crure sentiret, paulo ante mortem dixit: isti cruciatus mei, multo minores sunt, quàm peccata mea merentur. Omnipotens Deus, ueni tandem, & miserere mei, propter filium tuũ unigenitum: & non abijce me, propter eundem filium tuum, ab æterna tua consuetudine. Hora illa extremi agonis adueniente tum demum experientia discimus quid antè in doctrina Euangelica profecerimus.

Erasmi

Erasmi confessio ante mortem.

Erasmus Roterodamus moriturus, sæpe ingeminauit hanc uocem : Domine fac finem, fac finem, sed quid uoluerit, dicere non possum.

Miserabilis mors piorum doctorum.

Fuerunt tres uiri in Anglia (ubi plurimi propter confeßionem doctrinæ supplicio afficiuntur) qui hoc anno 56. miserrimè interfecti sunt, quorum non habuit ista natio similes, Latomerus senex octogenarius, Hugo episcopus Londinensis, & Cardinalis Cantuariensis, docti & pij homines, cùm alijs quàmplurimis. Hæc 19. Iunij narrauit.

Insigne confessionis exemplum.

Ludimagister quidam in Anglia sub rege quodam scripserat ad quendam sacrificulum literas, & illum de craßioribus erroribus Papistarum admonuerat. Alter literas regi offert. Rex iubet ludimagistrum in carcerem conijci. Tandem uerò sententia ferebatur ut ille combureretur. Ibi amicus quidam ei uesperi assaturam attulit, quam cùm attingeret, & feruore motus digitos retraheret, risit : Ecce, inquit, ego non possum ferre hunc dolorem, quid fiet, cùm cras ipse assabor ? Adductum itaque in iudicium rex ipse alloquitur, dicens : Se ipsi donaturum esse uitam, si illam doctrinam quam in suis literis esset confessus, abnegaret. At ille : O serenißime rex, post Deum nihil magis quàm tuam serenitatem ueneror : sed à Deo & eius doctrina deficere non possum. Maluit

hic

hic pro ueritate Euangelij subire supplicium, quàm adulatione uitam conseruare. Sic constantißimo animo, & confeßione pia est mortuus.

Cùm ægrotaret D. Munsterus, & ad eum accederent quidam ex eius amicis, uisuri quomodo ualeret, & misericordia afficerentur ab cruciatus, quos ex ulceribus sui corporis sentiret: O, inquit, charißimi amici, & fratres dilecti in Christo, hæ sunt gemmæ & preciosa ornamenta Dei (ostendens eis simul ulcera) quibus Deus suos amicos ornat, ut eos ad se attrahat: quæ ornamenta precioſtora existimemus, quàm omne aurum aut opes huius mundi. Ita paulo pòst piè & tranquillè in Domino obdormiuit.

Relata est à fideli Ecclesiæ Basiliensis doctore hæc historia, atq; eruditè ad consolationes Euangelij applicata. Anno Domini 1525. id est biennium ante pugnam Ticinensem, Heluetij cum alijs Gallicis copijs obsederunt urbem Beyrott: in qua quidam duces suaserunt, ut Heluetijs muros & aggerem transcendere permitteretur, quo plures eorum in oppugnatione ex illa securitate interficerentur, nam oppidani milites tam multas commoditates habebant, ut uix poßibile uideretur Heluetios contra eos posse consistere. Ibi Comes de Salma in hæc uerba prorupit, eaq; dissuadens dixit: Minimè consulo. Mihi enim, ut ueteri militi, satis cognita est illius gentis fortitudo & animositas pugnandi. Nam si concedamus ipsis de nostris commoditatibus spacium unius pedis, timendum nobis esset, ne magnam

in

in nostros milites stragem faciant, & uictores euadant. Quemadmodum ille bonus & prudens dux, nihil concedere in illa oppugnatione de suo iure uoluit: ita & nos in spiritualibus & sæuis tentationibus Diaboli nihil de nostro iure, id est hæreditate uitæ æternæ, iusticiæ & remißione peccatorum, Diabolo remittere debemus: considerantes, ipsum nequaquam esse segnem militem, siquidem Petrus eum describit rugientem leonem, quærentem quem deuoret. Præterea neq; ille dux iußit milites oscitari, sed quibuscunq; modis hostibus nocere mandauit. Hic quoq; ipsi obtemperarunt, ac egregiè contra fortem hanc gentem se defenderunt, ac depulerunt ipsam ab hac oppugnatione, propter loci incommoditatem: sic nos quoq; non simus ignaui, contra incursiones nostri hostis Diaboli, uarijs modis insidias nobis struentis: & sequamur consilium charißimi nostri ducis Saluatoris Domini IESV CHRISTI, qui sub persona Apostolorum nos etiam admonet de insidijs nostri hostis, cùm inquit: Diabolus expetiuit, ut uos cribraret. Apostoli enim hic totius Ecclesiæ personam repræsentant. Induamus arma, simul etiam clypeum in manum sumamus, quem Paulus uerbum DEI uocat. Quare si hostis nostrarum animarum iam tristem & perturbatam nostram conscientiam suis dolis oppugnare conetur, faciamus id quòd fortes milites decet, ac si nobis consolationem quam ex baptismo habemus, ex conscientijs excutere uelit, ita ut nullam planè ex eo sentiamus consolationem: sumamus aliud, & sic consequenter, donec nos

plane relinquere cogatur. Quod tandem si fiat, ut si Deo uolente, ex hac uita discessuri simus uictores, noster dux, Dominus noster Iesus Christus, nos æterno patri sistet, ac ut strenuos milites ipsi commendabit: ubi deniq; nostrarum in hac uita aßiduarum oppugnationum & uictoriæ præmium, uidelicet summa & æterna bona accipiemus. Idq; ut fiat quàm citißimè, omnes strenui milites Christiani aßiduis gemitibus Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi, unà cum Filio & Spiritu suo sancto precentur.

Quidam pius & honestus ciuis Basiliensis, decedens ex hac uita, & iacens iam in agone mortis, interrogatus à fideli eodemq; Euangelij concionatore, quò iam uellet proficisci? sustulit oculos in cœlum, & digito idem monstrauit, nam non amplius, propter mortis uicinitatem loqui poterat. Paulo uerò pòst, tranquillo animo moriebatur. Sic sanctus hic uir monstrauit digito et oculis nobis illum locum, ad quem nos in omnibus nostræ uocationis laboribus respicere debemus.

Fuit ante annos 300. Lantgrauius quidam Isenaci in Thuringia, nomine Fridericus, uir summa authoritate præditus, qui magna bella summa cum uirtute geßit, & habuit multas uictorias. Vnde tanto hostibus suis terrori fuit, ut D. Martinus de eo dixerit, cum calcaria sua in Thuringia indueret, auditum esse sonitum in Franconia. Huic seni Lantgrauio exhibita est Comœdia de decem uirginibus, Matth. 25. Cùm autem intellexisset ea similitudine taxari hominum mor-

tuorum inuocationem, & doceri, quòd nihil consequi possemus meritis sanctorum, sed sola fiducia in Christum nos fieri hæredes uitæ æternæ, & esse propter obedientiam filij Dei acceptos: ita consternatus est, ut in morbum inciderit: quo cùm biennium conflictatus esset, interijt.

Caussæ, cur pij interficiantur: & mors Polycarpi, eiusq; in supplicio precatio.

Duæ sunt caussæ præcipuæ, quare pij doctores à tyrannis interficiantur. Prima est. quia Deus uult conspici testimonia de ueritate doctrinæ in Ecclesia, quod ipsi non quæstus aut utilitatis caussa hanc doctrinam Euangelij amplexi sint, sed testentur illi sancti uiri hanc doctrinam diuinitus esse traditã, cùm eam omnibus bonis corporalibus anteferant. Altera caussa est, quia uult illos summos uiros testes esse de extremo iudicio & immortalitate, quod restet aliud iudicium, in quo pij doctores fruentur æterna consuetudine DEI: & è regione tyranni & persecutores uerbi diuini habituros esse æternos cruciatus. Sic Polycarpus discipulus Iohannis, cùm iam ageret fere nonagesimum annum, imponitur rogo ardenti, ut corpus ipsius igne torreatur, & longiore cruciatu consumatur. Hic, dum stat inter flammas, incipit his uerbis precationem suam clara uoce recitare: DEVS pater dilecti filij tui Iesu Christi, per quem agnitionem tui accepimus, conditor uniuersæ naturæ, te inuoco, te confiteor uerum esse DEVM, te glorifico per Pontificem dilectum

lectum filium tuum, cum Spiritu sancto, suscipe me, & fac me socium resurrectionis sanctorum tuorum. Hæc dum sic clara uoce clamitat, flamma se expandit, & cedit corpori: stat senex integer & alacris, non sentiens flammam (ut olim in Chaldæa seu Babylonica fornace seruati sunt tres uiri ab incendio, inter quos conspectus est candida luce quartus, angelus Michael, similis filio Dei) & celebrat hunc Deum patrem Domini nostri Iesu Christi. Visis illis inuisitatis rebus, stabant Magistratus & carnifices stupefacti, cum uiderent senem illæsum uiuere. Tandem iubet Tyrannus gladio senem illum transfodi, adiuncta hac uoce: Minus hæc sæua fuerunt: permisit Deus seuerius extingui.

Matronæ piè morientis exemplum.

Moriebatur honestißima quædam matrona Ihenæ, quæ cùm honestißime uixisset, & multum habuisset calamitatis in uita (habuit enim maritum morosum & helluonem, à quo multa perpessa erat) tandem Deus misertus illius, sustulit eam ex hac uita. Hæc per triduum iacuit in agone, & tandem ad pastorem D. Antonium Musam dixit: O Domine Antoni, ego ago gratias Deo, ostendenti mihi mea peccata, & rursus me consolanti per uerbum suum, in quo mihi proponitur remißio omnium meorum peccatorum, Iam enim intelligo hæc uerba, Remittuntur tibi peccata tua, & ita post triduum in magna lætitia & fiducia Saluatoris nostri mortua est.

S. matronæ in confesſione morientis pictura.

Habetis pulchram hiſtoriam de muliere Romana Sabina, quæ grauida in carcerem fuit coniecta propter confeſsionem. Cùm autem tempus partus immineret, & ingentes ſuſtineret cruciatus propter partum, ibi aſtitit cuſtos carceris, & dixit: Quare iam adeò grauiter fers dolorem partus? quid fiet cras aut poſt biduum, cùm non paries, ſed ipſam mortem aggredieris? Iam, inquit illa, patior ut mulier, merſa in hos dolores propter mea peccata, ut dicitur in Geneſi: In dolore paries filios: Cras aut poſt biduum non ego patior, ſed in me Chriſtus.

Dionyſij Areopagitæ mors.

Dionyſius Areopagita conuerſus à Paulo Lutetiæ docuit, & ibi ſupplicio affectus eſt. Primum eſt obiectus beſtijs: cùm beſtiæ ipſi peperciſſent, detruncatus eſt capite. Ibi truncus, caput præciſum apprehendit, & ad ſepulchrum portauit. Hæc Suidas.

Scriptum eſt ad doctum uirum, cuiuſdam uiri uxorem Cygneæ aliquot horas in lipothymia iacuiſſe, ita ut omnes eam mortuam exiſtimarent. Cùm itaq; maritus abijſſet, & curaret ipſi ſepulchrum, interea temporis mulier rurſus conualeſcit, & uiro redeunti obuiam uenit, cui mox maritus dicit: Curaueram tibi iam habitaculum. At mulier: Ego interea temporis fui in cœlo, & uidi beatos angelos & homines celebrantes Deum, uidiq; illum & illam (homines quoſdam nominans, qui paulo ante mortui erant) uidiſſem libenter Deum, ſed eum uidere non poteram.

Scriptum

Scriptum est Vuitenbergam de duce Vngarico à Turcis capto, cum ipsi uitæ incolumitas non alia conditione promitteretur, quàm si deficeret à confeßione Christiana, constantiß. denegauit, & fide constanti doctrinam nostram confessus est: & doctrinam pariter Machometicam refutauit. Postea coram Turcico Bascha est dissectus. Habetis simile exemplum in libro Machabæorum, ubi mater uidit necem filiorum. Magnum robur est in matre, uidere illa, & confirmare filios in agone.

Consolatio pro morituris & afflictis, 1556. ad Baronem de Vngnad.

Quæ debeant esse in Christiano moriente, & in omnibus afflictionibus. Quando tibi moriendum est (Deus autem per suam gratiam det tibi longam uitam, & post eam deniq; felicem in fide discessum) hæc omnia tibi debent esse cogitata (quia singuli homines debemus esse parati ad mortem) In primis cogitabis filium Dei esse datorem iusticiæ, & uitæ æternæ, quam nos fide accipiamus, iuxta hoc dictum: Iustificati fide pacem habemus, Item: Sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum filium suum daret, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Debes igitur primùm petere à Deo propter filium remißionem peccatorum, & reconciliationem: & consolari teipsum firmißime, quòd illa acceperis & habeas certo propter filium, gratis, & per eum.

Piæ matronæ confessio ante mortem.

Lipsiæ honesta matrona, cùm ei iam mors appro-

pinquaret, dicebat: Ego meos liberos nondum educatos Deo iam commendaui, qui meorum orphanorum curam habebit. Ego uerò iam nihil oro aut peto, nisi ut Deus hanc suam consolationem, quam per suum uerbum in corde meo incendit, ad extremum uitæ meæ halitum in me conseruet. Sic tranquillo animo ex hac uita decesSit.

EXITVS IMPIORVM ETHnicorum ex hac vita, eorundemq́, qui iniustè apud Ethnicos sunt oppressi.

Tristis ex hac vita discessus.

Agrippina mater Neronis, cum percussores ad eam misSi essent, & multis uulneribus eam sauciassent, clamauit: Fodias uentrem, qui gestauit illud monstrum, & perniciem generis humani: & ita cum gemitu est extincta.

Palamedes iniustè oppressus.

Palamedes unus ex principibus Græcis, ad Troiam profectis, familiaris Achilli, ipsiusq́; grammateus, magno usui Reipublicæ non solum in eo bello, uerumetiam in pace fuit. Fertur aliquot literas apud Græcos primo reperisse: adeoq́; uir prudens & sapiens fuisse, ut multa perniciose ab Agamemnone tentata, ipsius consilio & autoritate impedita fuerint. Ob quam eius uirtutem inuidia moti Agamemnon & Vlysses, in ipsius necem conspirant. Falso igitur proditionis ipsum accusari procurant. De qua, ut conuinceretur, Vlysses prius clàm thesaurum in eius tento-

rio defodi curauit, fictasq; literas tanquam ab hostibus missas, ad ipsum Palamedem cum mentione eius thesauri & proditionis, sparsit. Quibus literis repertis, & in iudicium perductis, simulq; thesauro effoso, falso proditionis damnatur. Huius historia refertur inter exempla per inuidiam oppressorum.

Socratis mors.

Sic & Socrates per inuidiam maleuolorum iniustè est oppressus. Socrate autem interfecto Athenis, recitata est tragœdia ab Aristophane de Palamede, qui interfectus est à Græcis ad Troiam. In hac hi uersus habentur:

Ἐκτάνετε ἐκτάνετε ἄριςον τῶν ἑλλήνων,
τὴν ἀηδίαν μηδένα βλάψαντα.

Hos uersus cùm recitari audirent, ita commoti sunt ciues, ut statim authores interfecti Socratis apprehenderent. Sic hisce nostris temporibus multi sancti & pij homines paßim interficiuntur. Sicut ab initio mundi Abel propheta: ita postea Christus ipse, Apostoli, & infiniti alij, qui ipsius uestigia sequuntur.

Catonis mors.

Marcus Cato, priusquam sibi mortem consciceret, aliquoties legit librum Platonis de immortalitate animæ, ut acerbißimo dolori, quem ex Pompeij casu cœperat, remediũ adhiberet: nec tamen potuit in eius scripti sententia acquiescere, sed doloris magnitudine fractus, librum abiecit, & ferro sibi mortẽ consciuit. Inde uerißimum est quòd est apud Platonem: Consolationes Philosophicas esse λέσχας ἢ φλυαρίας, *id est, meras nugas.*

Tragicæ mortis exemplum.

Nullus est tam ferreus, qui sine consternatione animi legat fratrum Thebanorum certamen, & matris Iocastæ exitum: quæ diremptura prælium inter fratres, cum tardius uenisset, ex alterius filij uulnere ensem extrahit: & hoc ense, qui filij cruore manabat, miserrima mater se transfigit, posteaq; se mediam inter filios abiecit, spargens brachia quasi in utriusq; complexu moritura.

Aliud simile.

Cornelius Gallus, Augusti miles & familaris, tantæ fuit apud eum authoritatis & fidei, ut commendaret ipsi Aegyptum, ubi maximus metus erat: & tamen postea in eius odium incurrit, propter suspicionem affectati regni. Quamobrem tantum animi dolorem concepit, ut sibi mortem consciuerit. Fuit bonus miles atq; Poëta, & amicus quondam Virgilij, cuius etiam meminit in decima Aegloga, hoc uersu: Galle quid insanis? Hic cum in summis doloribus uersaretur, composuit eruditißimam querelam de miserijs humanis, in quo scripto reperitur:

Et redit in nihilum, quod fuit ante nihil.

Cornelij Agrippæ mors.

Cornelius Agrippa agens agonem mortis, uocauit ad se canem, qui cum ipso circumiuit, eumq; his uerbis alloquitur: Abi à me perdita bestia, quæ me perdidisti. Sic statim canis ab eo discedens, se in aquam præcipitauit.

Epigram-

Epigramma de quodam dolore extinctom.

Græci habent Epigramma de quodam, quem ita excruciauit forma illa sophisticorum argumentorum, ut mortuus sit præ dolore: ξεῖνε λόγων ψευδόμενος με απόλεσε φαύλων, *id est: Hospes perdidit me illa forma argumenti, quæ est malorûm sermonum. Hoc Epigramma recitat Atheneus: & nominat eum, de quo scriptum est, Philetén.*

Alius eodem modo mortuus.

In Academia Friburgensi, quidam antagonista Eccij, cùm Eccius acerrimè disputaret contra ideas, id est, uniuersalia Scoti, alter Scotista defendit suam sectam: sed cùm uideret se conuinci, consciuit sibi mortem præ dolore, eò quòd superabatur. Illi etiam potuit subscribi superius Epigramma. Sic ualde multos perdidit Sophistica.

Homeri mors.

Homerus iam senex mortuus esse dicitur, eo quòd non potuerit soluere Aenigma de pediculis, Sed existimo esse fabulam, à quodam Homeri osore excogitatam.

Aristotelis mors.

Aristoteles dicitur demersisse se in Euripum, eo quòd caussam eius inuestigare non posset: atq; ita extinctus esse. Sed non credo esse uerum. Nazianzenus quidem narrat, sed non est in ueteribus. Forsitan aliqui, qui malè senserunt de Aristotele, sparserunt istam

fabellam, quòd Aristoteles stans in littore, & cogitans de causa Euripi, cùm eam cogitando assequi non posset, abiecerit se in mare, dicens: Quia Aristoteles non capit Euripum, Euripus capiat Aristotelem.

Fabula est de Aristeo, quòd fuerit etiam inter Gigantes, sed Dij pepercerunt ipsi propter pietatem, quia non consensit in bellum contra Deos. Opinor fabulam esse natam ex imitatione historiæ de diluuio, ubi solus Noe seruatur, reliqui moriuntur.

Pompeij mors.

Iulius Cæsar aspexit caput Pompeij lachrymans, et sepelire curauit. Fuit autem Pompeius interfectus anno ætatis suæ 59. qui fuit unus ex præcipuis uiris, qui inter Ethnicos uixerunt eo tempore. Cicero ad Corneliũ scribens, pulchre eius laudes amplificat: sed accidit ei id quod uulgo dicitur, Wer einem vom Galgen hilfft/ der hilfft ihm selbst daran.

Est igitur mors Pompeij testimonium de instabilitate fortunæ, & quod magni uiri accersant suis erratis magnas miserias: ut Osias rex Israël suo errato sibi & suis ingentes calamitates accersiuit. Cæsaris Iulij mors est testimonium, quòd fortuna tantum sit instabilis.

DE CONSOLA-tionibus.

De bona conscientia, Dicta.

EST *aliquid, magnis crimen abesse malis:* Ouid. *Pindarus: Bona conscientia dulcis auctrix senectæ. Hanc sententiam ego olim scripsi ad doctorem* quendam.

quendam. Rescripsit mihi, se ualde ea sententia delectatum fuisse, eamq́; multum solatij sibi attulisse, quia antea non audiuerat. Et uerum est sanè, homines ualdè erigi ac lætari, arrepto aliquo dulcißimo dicto. Salomon scripsit integrum librum talium Sententiarum.

Philosophicæ consolationis finis.

Finis consolationis aut doctrinæ humanæ non est consolatio, sed ut habet ille uersus Virgilij:

Vitaq; cum gemitu fugit indignata sub vmbras.

Euangelicæ consolationis finis.

Finis consolationis in Ecclesia, est uita æterna, iuxta symbolum: Credo uitam æternam. Item: Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum Deum, & Christum esse Iesum. Item, Si quis diligit me, & sermonem meum seruauerit, pater meus diliget eum, & ueniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus.

Dixit ad me illustrißimus princeps Landtgrauius Dreßdæ, anno 1556. mense Iunio, sibi impoßibile fuisse sustinere tanta pericula, nisi habuisset consolationem ex uerbo diuino in suo corde. Die enim & nocte circumsteterunt eum aliquot cohortes militum, quibus custodia mandata fuit.

Gerson: Multo plures sunt gratiæ priuatiuæ, quàm positiuæ, id est, illa beneficia, quòd Deus custodit nos ne incidamus in mala (quæ ipse nominat priuatiua) plura sunt, quàm beneficia positiua: id est, res exhibitæ, uel dona quæ poßidemus, ut quòd Deus uocauit te ad hoc uel illud munus.

Libera-

Liberatio & auxilium Dei contra causas secundas, & mirabile Dei auxilium in summis ærumnis.

Christianus rex Danicus, bonus & pius princeps, ægrotauit aliquando, ut planè de eius uita omnes medici desperarent, & iuberent eum se præparare ad mortem, nullam dicentes esse reliquam spem suæ uitæ. Rex illis agit gratias, quòd omnia quæ fieri potuerint, diligenter ad sanitatem constituendam curauerint, se quoque curasse in suo testamento, ut honestè pro labore ipsorum acciperent præmia. Compositis itaq; omnibus ad mortem paratis, rex tertio die pòst conualuit. Hæc & similia exempla sunt obseruanda. Admonet autem nos hæc historia, de mirabili liberatione Dei ex calamitatibus etiam in summis periculis, ne spem auxilij diui & inuocationem in talibus periculis amittamus.

Consolationes quæ homines in dubitationibus relinquunt.

Heydelbergæ cum puer quidam moreretur (ubi & ego interfui) quidam doctor Theologiæ cum monacho, morienti puero semper præcinebat cantilenam: Maria mater gratiæ, nos in hora mortis suscipe. Talis solet esse consolatio Papistica apud morientes.

Consolatio pro pijs, in calamitatibus versantibus.

In silentio & spe erit fortitudo uestra: id est, non

fremitu

fremite aduersus Deum, non fugite Deum si differetur auxilium (hæc crebra admonitio fuit D. Philippi) Ista dicta & similia intelliguntur ab ijs, quorum ætas aliquantulum maturuit, ut illa poßint perpendere. Iuuenes uerò id non intelligunt.

Consolatio pro sontibus, & à magistratu interficiendis.

Quomodo si quis ad supplicium capitale producatur, est consolandus?

Audiat initio uerbum Euangelij de redemptione per Christum, illud fide suscipiat, credens se habere remissionem peccatorum & uitam æternam propter Filium Dei. Sic quoq; secum reputet, Deum huiusmodi cruces & laqueos aliaq; pœnarum genera ordinasse, ad ostendendam suam iusticiam, ut qui maleficia nolit esse impunita. Quare non cogitet se ea paßione aut opere ullam mereri remißionem peccatorum: sed potius tale opus esse, quo Deus uult obedientiam erga se experiri ac declarare: sicut obedientiā uoluit ostendere in castitate Ioseph. Sciat uerò ac certò statuat peccata sua sibi esse remissa gratuitò, propter Christum, qui pro ijs satisfecit. Hac enim ratione cor seu conscientia uerū solatium percipit per Spiritum sanctum, qui operatur uerbo uocali, & sacramentis. Ad hæc agnoscat se patientem esse decere, propter Deum, qui sic iusticiam suam ostendit, dum delicta omnemq; iniusticiam, aut immediatè per se, aut mediatè per Magistratum punit. Ita confirmatio fidei fit per uerbum & sacramenta, & cum uerbo spiritus sanctus datur, & est efficax.

Præcipua

Præcipua consolatio, qua se Adam & Eua sustentauerit.

Facilè quiuis perpendere potest, quanto mœrore Adam atq; Eua affecti fuerint, cum unus filiorum alterum trucidasset. Memini honestam matronam in tanto luctu & mœrore uersatam esse, ut nullam consolationem nisi illud Adæ & Euæ exemplum seu triste spectaculum admitteret. Breui enim tempore amiserat maritum & filium. Maritus deciderat de curru, & fractis costis uitam miserabiliter finiuit. Filius uero, paulo antè in aquis suffogatus, extinctus erat.

Calamitates docent homines, ex verbo diuino consolationes haurire.

Memini uiduam Doctoris Martini Lutheri, honestam matronam, in exilio nostro, tempore belli cum legeret Psalmos, diceret: Iam primum in his nostris calamitatibus intelligo multos Psalmos, quos antea non intellexi, non uersans in illis ærumnis. Vnde plus consolationis & doctrinæ percipio, quàm aliàs extra illas calamitates sensi.

Consolatio pro destitutis auxilio diuino.

Fuit ante aliquot annos Madeburgensis episcopus Ioannes à Beuchlingen. Is cùm à Collegio ad episcopatum esset pertractus, fortè accidit, ut quidam dux Saxoniæ ob simultatem aliquam bellũ ei inferre pararet: Episcopus tanquam altum somnũ dormiens, nihil contra talem uim parabat: sed curabat Ecclesiam suam, in qua frequenter uitia corrigere lectione & oratione di-

ne diligenti conabatur, perinde ac si nullus usquam esset belli motus. Cum autẽ idem Dux speculatores mitteret in aulam Episcopi: illiq; easdẽ res, quas uiderant, retulissent: statim ab optimo Principe intermissa est expeditio, & dimißi sunt milites. Ita enim respondit, Se longè inferiorem esse, quàm ut contra eum pugnaret, qui socium haberet pugnæ Deum. Adeò non fallit consolatio, & spes in diuinum auxilium.

Dictum, quod cùm ad Philosophicas, tum ad Euangelicas referri potest.

In consolationibus plerunq; traditur hæc sententia, οἰστέον καὶ ἐλπιστέον: id est, ferendum & sperandum. Scio id à magnis uiris esse scriptum in parietibus, pro symbolo. Ac memini à quodam doctore, erudito ac ualdè præstanti uiro, qui erat magnorum principum consiliarius, esse scriptum ante annos 80.

Consolatio contra diabolicas tentationes.

Cùm Friburgi in Misnia quidam ualdè pius & uenerandus senex graui morbo decumberet, & iam ultimum diem obiturus esset, aliquando ipso relicto solo, uenit Diabolus amictus Pontificali ueste, & miserum senem iam in ipso mortis agone ualdè exagitauit, uolens eum ui cogere, ut ipsi singula delicta, quæ in tota sua uita commisisset, enarraret. Volebat enim ipse, habens chartam & atramentum, omnia excipere. Verùm cùm pius senex diu uehementer ipsi sacris literis obstreperet, nec persuaderetur, & tamen Diabolus uehementer illam narrationem urgeret.

ret tandem bonus senex dixit: Quandoquidem igitur omnino hoc uis, ut tibi singulatim delicta mea enarrem: scribe itaq; huiusmodi primùm facto exordio, Semen mulieris conteret caput serpentis, &c. Diabolus hoc audiens, proiecit chartam unà cum atramento in terram, & relicto post se ingenti fœtore aufugit. Senex uerò ille pius paulo pòst placida morte in bona confeßione moriebatur.

Consolatio ex dicto Pauli ad Romanos octauo capite: Quis nos separabit à dilectione Dei?

Vxor Camerarij aliquando audiuerat Sarcerium explicantem dictum Pauli, Quis nos à dilectione Dei separabit, reuersa domum: Ah, inquit, ego iam audiui aliquid in concione, quod nunquam obliuiscar. Interrogo quid sit? Respondit illa: sæpe cogitaui, quando hoc dictum audiui legi, Quis separabit nos à dilectione Dei: O bone Deus, quid de te fiet? tu non amas Deum, ergo es à Deo tibi irascente derelicta. Sed iam ex hac concione didici, quòd dictum non sit intelligendum de nostra dilectione, quo nos Deum diligimus: sed de dilectione, qua Deus nos diligit, à qua nemo poterit nos separare. Hoc ideo recito, ut firmius & melius retineatis, dictum hoc esse intelligendum paßiuè, non actiuè.

Ducis Luneburgensis decedentis ex hac miseriarum valle, Christiana confessio & consolatio.

Dux Luneburgensis, bonus & pius Princeps, qui

præcisus

præcisus est pes ante paucos annos, moriebatur iuuenis, & in magno dolore, tamen edebat confeßionem insignem, dicens : Ego *certò scio, quod mea peccata mihi remissa sunt propter filium* Dei *: & illi dolores tantum sunt commonefactiones pœnitentiæ.*

Consolatio Doctoris Martini Lutheri, contra spirituales tentationes.

Ipse uiderit ubi anima mea mansura sit, qui pro ea sic sollicitus fuit, ut uitam seu animam propriam pro ea posuerit, ut meam redimeret. Ille *est optimus pastor, & benedictus episcopus animarum in se credentium.* Neq; *enim in me primum docet animas sibi credentes curare, neq; eam ipsam uolo in mea manu aut cura positam esse, alioqui in momento à diabolo deuoraretur: sed ipse in manu habeat, cui nemo rapere potest.* Nunc *sufficit nosse, in domo patris mei esse multas habitationes.*

DE INVOCATIONE.

Ore & expreſsis verbis precationes fiant.

CVM Cyclopicus *homo irrideret quendam precantem, & uerba suæ precationis expressa uoce dicentem, cui aßidebat* Doctor Hieronymus Schurff*: hic ægrè ferens istius ineptias, inquit: scriptum est de precatione,* Precantes dicite*: ac aliquoties uocabulum,* Dicite*, urgebat.*

Ignauiæ in recitatione precum taxatio.

D. Philippus *taxans negligentiam in recitatione precum, sæpe dicere solebat: turpe ac detestandum est,*

uos mane surgentes non dicere orationem Dominicam, cum recitatione alicuius Psalmi & symboli Apostolici, aut cum gratiarum actione pro beneficijs acceptis. Multi dicunt, Cor loquitur cum Deo. Verum est, recitatione uerborum ore, sine corde, esse hypocrisin: sed tamen etiam palàm nostram fidem confiteri oportet: & qui dicunt cor orat, illi tantum prætendunt excusationem negligentiæ et pigritiæ suæ in omittenda planè omni precatione. Itaq; Germanicum prouerbium uerè idem exprimit: Weß das hertz voll ist / des gehet der mund vber. *Quod sic exprimit Salomon:* Ex abundantia cordis os loquitur. *Ergo dum nihil egreditur, nihil inest pectori. Quare non tantum murmurate, aut apud uos oscitantes precationem cogitate, sed etiam expressa uoce attentionem excitate.*

De sanctorum inuocatione, Doctoris Martini Lutheri iudicium.

Doctor Martinus sæpe dicebat, quod est dignum memoria: Etiamsi *inuocatio hominum mortuorum non propter multas alias causas esset detestanda, tamen propter hoc est detestanda, quòd obscurat meritum & obedientiam filij* Dei, *qui pro peccatis generis humani satisfecit.*

Simile.

Viennæ ante paucos annos concionator Regius, differens de inuocatione sanctorum, dixit: Nos *non debere inuocare sanctos, sed cum eis.* Dictum *est ingeniosi hominis, sed quomodo idem declarauerit, non scio.*

Socra-

Socrates in Phœdone.

Δεῖ ἐν εὐφημίᾳ ἀποθανεῖν. *Oportet mori in precatione. Ita uidetis Christum cruce pendentem, in precatione mori, ac dicere: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Et notum est dictum: Beati mortui, qui in Domino moriuntur: id est, in agnitione, inuocatione, uera fide & fiducia mediatoris. Item: Si quis perseuerauerit usq; ad finem, saluus erit.*

Quidam eremita orauit Deum sibi ostendi, qualem cultum peteret. Respondit ei oraculum:

Da mediam lunam, solem, simul & canis iram.

Ille bonus pater ualde anxius mirabatur, quomodo uellet cœlo lunam detrahere, & multo magis solem: cum hoc uelit,

Da	*Mediam lunam*	*Id est*	C
	Solem		O
	Canis iram		R

Bernhardus: Semper precatio, aut hoc quod petit impetrat, aut aliquid melius.

Mos supplicum pulchrè accommodatus ad inuocationem.

Fuit uetus mos fieri supplicem, ita ut manu supplex teneret filium illius cui supplex fiebat. Themistocles uenit ad regem Molossorum, petiturus hospitium, ne interficeretur: stetitq; supplex ad aram, cum ueniret Rex, filium paruulum tenens in manibus: & ostenso filio, petiuit sibi parci. Talis fuit ritus supplicum, haud dubie à primis patribus, Adam, Seth, Sem & Abraham usurpatus. Nos simili modo accedentes ad

Deum, stamus coram eo supplices, tenentes filiū suum unigenitum fide in corde nostro: & obtestamur æternum patrem Domini nostri Iesu Christi, ut nostras preces propter filij sui pro nobis crucifixi & resuscitati obedientiam exaudiat.

Tres caussæ, quare propagatio longioris vitæ sit petenda.

Prima: ut ipsi doctrinam de Deo discamus.

Secunda, ut eam in uitæ periculis, pœnitentia, & quotidiana inuocatione exerceamus, & in nobis ueram fidei sententiam confirmemus.

Tertia, ut alios erudiamus, confirmemus, & ueram Dei agnitionem ad posteros propagemus.

Casita admonitrix sedulæ inuocationis.

Caßita est monitrix duarum rerum. Initio est laudatrix Dei: quia quotidie canit ter mane, paulo ante Solis ortum, meridie & uesperi. Docet nos illa tempora distribuere precationi, & gratiarum actioui. Deinde est monitrix operum agricolarum: opera enim rustica inchoantur, quando primùm uenit caßita in uere.

Salsum dictum, quo Diabolus ab inuocante est depulsus.

Mementote historiam, uel potius fabellam de Sancto Bernhardo, est enim erudita fabella, cuiuscunq; sit. Bernhardus sedens in latrina, recitans preces, cùm ueniret ad eum Diabolus, quærens, quare tam sancta eo in loco recitaret? Respondit: Quæ sancta uèrba ex

ore

ore profero, ad Deum perfero: quæ per inferiora decidunt, hæc tu accipe,

Regula precantibus perpendenda.

Promißiones diuinæ sunt ratæ et firmæ, scilicet cum exceptione castigationis & crucis, & hic recte practicatur tertia petitio orationis Dominicæ, quæ sic sonat: Fiat uoluntas tua, sicut in cœlo, sic etiam in terra.

Nobilis quidam qui in maximas tentationes, & pene in desperationem inciderat, is mihi & doctori Martino Luthero hoc argumentum proponebat, et magnis uociferationibus dicebat:

Deus promisit se exauditurum nos, ipsum inuocantes.

Ego istam calamitatem sæpe deprecatus sum, & adhuc quotidie deprecor: sed tamen non liberor, at relinquor in ista calamitate.

Ergo, Deus non est uerax in suis promißionibus.

Respondeo ad maiorem: Deus promisit se nos exauditurum esse in calamitatibus. Promißio uerò illa intelligenda est cum exceptione castigationis & crucis: plerunq; uerò calamitates sunt castigationes.

Sanctorum pro Ecclesia perpetuæ preces.

In conuentu Ratisbonensi, cùm quidam ex collocutoribus multos locos ex Augustino & alijs ueteris Ecclesiæ scriptoribus citaret, quod sancti scirent aliquid de uiuentibus, quibus sanctorum inuocationem uolebat probare: ego deniq; respondi: Quid tam multa dicta ex Augustino & alijs ueteris Ecclesiæ scriptoribus ci-

tas, quaſi Auguſtino & alij Eccleſiæ ſcriptoribus ſit tantum habenda fides, & ex illis ſcriptis ſolummodo aliquid iudicandum, & nullum in ſacris literis haberemus. Imò *dicam tibi manifeſtum teſtimonium ex nouo* Teſtamento, *probans quod mortui ſint ſolliciti de* Eccleſia, *& de nobis.* Ita *enim ait* Matthæus: Elias & Moyſes *loquebantur cum* Chriſto *de rebus futuris.* Ibi *dixit* Granuelus: Eſt *bonum teſtimonium: & approbauit illud.* Non *dubium eſt, quin ſancti ipſi qui ſunt in cœlo noſtri cura erga* Eccleſiam *in terra uiuentem afficiantur, ſicut illi ibi diſputabant cum* Chriſto *de ipſius paßione & collectione* Eccleſiæ *per totum terrarum orbem.* Non *tamen propterea ſequitur, ſanctos eſſe inuocandos.*

Eluſio inuocationis ſanctorum.

Præfecto *cuidam in mea patria, alius quiſpiam aulicus uolebat perſuadere opinionem de inuocatione ſanctorum, ſic inquiens:* Nonne *uides, in aulis oportere aliquem, ſua negocia promouentem habere interceſſorem & deprecatorem pro ſe apud reges, & alios potentes dominos?* Reſpondit Præfectus: O Domine, *ſi in cœlo talis uitæ ſtatus futurus eſt, qualis in hac uita ſtatus aulicus, ego ne quidem in cœlum uenire optarem.* In *aulis enim eſt* προσωποληψία: *in regno uerò cœleſti non erit, acceptio perſonarum.*

Ante *aliquot annos quiſpiam in quodam loco concionabatur, quòd ſancti non eſſent inuocandi, orta ſic concione:* Nulli *ſancti ſunt in cœlo, & omnes ſancti dormiunt: cœpit materiam alieniſsimam, nunquam*

ab ho-

ab hominibus illius loci auditam, qua uoluit euertere cultum sanctorum. Quare statim explosus & eiectus est. Sic rectè ipsi accidit. Nam sancti sunt in cœlo, ut apparet ex apparitione Eliæ & Moysi in monte Thabor.

DE TRADITIONIBVS humanis.

IN Haßia bonus uir concionator, in mutatione illorum rituum, cùm hortaretur populum de abolendo discrimine ciborum, dixit: Vtitur utiq; hac libertate ipse princeps noster. Significans, Landgrauium ipsum uesci carnibus, & obtinuit. Postea incidit in morbum in Quadragesima. Ibi petiuit rursus à populo, ut abstinerent à carnibus, saltem in hac Quadragesima: ne uideretur à se ortum esse initium mutationis illorum rituum in Ecclesia.

Recitatur historia de Spiridone Cyprio Episcopo, digna memoratu. Cùm ad eum uenisset hospes die ieiunij, nec subitò promi aut parari cibi usitati illo die possent iubet carnes, quas reconditas habebat, apponi: Non uescor his, inquit hospes, hodie, sum enim Christianus. Tum Spiridon: Et hanc ipsam ob causam te uesci decet, quia es Christianus. Nam omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione sumitur. Obtemperat hospes monitus hoc exemplo, & dicit longe alios maiores cultus Deo præstandos esse, quam hæc ciborum discrimina.

Papa Hadrianus, qui fuit præceptor Caroli V. Imperatoris, scripsit longum librum de traditionibus

humanis, in hanc sententiam, quod episcoporum traditiones obligent homines : id est, quod sit peccatum mortale, uiolare traditiones Pontificum, sicut ille nominat. Sic uerò argumentatur.

Non obedire parentibus, est peccatum mortale.

Pontifex autem & Episcopi, sunt loco parentum in Ecclesia.

Ergo non obedire Pontifici & Episcopis, est peccatum mortale.

Respondeo: Maior est uera: Qui maledixerit patri suo, morte moriatur. Minorem concedo, in his quæ sunt ministerij: non in illis quæ sunt extra ministerium. Deus ipse prohibet pastoribus, condere leges de discrimine ciborum. Ita ille errat in hypothesi falsa.

NB *Quidam ante annos 12. cuiusdam uicini εἰκονομάχου, eijcientes statuas ax templo, easq; comburentis, fidem sic explorauit. Cuidam statuæ imposuit puluerem tormentarium ignorante suo uicino, qui pro more statuas imponebat in fornacem, post paruum interuallum, puluere incenso, excußit fornacem, & omnes fenestras. Ibi consternatus εἰκονομάχος, currit ad uicinũ, conquerens ipsi de illo casu. Existimabat enim illam pœnam diuinitus inflictam esse, propterea quòd statuas, nulla habita ratione, multis contumelijs afficeret. Tum uicinus inquit: Tu puniris hanc ipsam ob causam. Elapso uerò triduo, εἰκονομάχος, rursus conuenit uicinum. Ibi uicinus auditis iterum ipsius querelis, tandem inquit: qualis est tua fides & constantia in doctrina Euangelij? tu fatue, ego imposui puluerem in*

statuam

statuam: ut examinarem te in doctrina Christiana, & qualis esset tua constantia, in hac statua experirer. Quid enim facturus esses, si tibi dicenda esset confeßio coram toto mundo propter Euangelium, cùm in hac tam leui re sis tam perterritus.

Doctus & ingeniosus uir: huius oppidi Vittebergensis pastor, frater Doctoris Pontani, cum esset ualetudinarius, propter crebra bonorum amicorum colloquia alebat commensales. Accidit uerò, ut cùm eius conuictores luderent in illis diebus hilariũ seu Bacchanalijs, ipse disputaret cum suis commensalibus proponens hanc quæstionem: Quare uultis seruare illos ludos hilarium, & non seruare ieiunium, uel qudragesimam? Postulabat primò rationem, deinde duriter eos obiurgabat, quod nullam scirent adducere. Ita quidam uenit ad nos in illis ludis hilarium, Quid, inqiens, an ego existimem hic esse Christianos, cùm uideam tales choreas? pridie enim auditores Iurisconsultorum instruxerant cœnam, ad quam uocauerant omnes Doctores cum eorum coniugibus & filiabus, ac deinde choreas instituerant, quem ego obiurgabam dicens: Quare sumis tibi iudicium de Ecclesia? Postea cum esset refutatus, modestius est locutus. Fecit sicut quidam pastor in loco uicino, qui ineptè concionabatur contra suos dominos, descendentes in illis diebus hilarijs personati ad quorundam ciuium familias. Imò hæc fuit magna beneuolentia, & familiaritas superiorum erga inferiores.

k 5 Nunc

Nunc uenio ad quæstionem : Est ne licitum Christianis seruare baccbanalia (ut uocant) nec ne? Respondeo : Ieiunium est superstitio, si fiat cum obseruatione opinionis cultus & necessitatis.

Superstitiones & impios cultus necesse est aboleri.

Ieiunium, quod fit cum obseruatione opinionis cultus aut necessitatis, est impius cultus.

Ergo tale ieiunium est abolendum. Illa uerò relaxatio animorum, est consuetudo politica. Consuetudines autem politicæ honestæ possunt retineri. Ergo & illa honesta politica consuetudo retineri debebat.

Explicatio dicti: Omnis creatura sanctificatur per precationem.

Omnis creatura sanctificatur per precationem : id est, placet Deo, est concessa, eius usus fit sanctus. Fuit hic longa disputatio, an liceret Iurisconsulto dicere causam. Doctor Hieronymus acerrimè disputabat. Doctor Pontanus, bonus & honestus uir uolebat professionem suam abijcere. Sed illa res est diligenter, Dei beneficio, explicata. Omnis creatura sanctificatur : id est, usus eius fit concessus & sanctus.

Τέλος σὺν θεῷ

LOCORVM

COMMVNIVM A IOANNE MANLIO collectorum, Tomus II. In quo, præter alia, variæ quoq; materiæ ad seriem Decalogi accommodatæ tractantur.

IOHANNIS MANLII IN secundam Operis huius partem Præfatio: in qua ea exponuntur, de quibus præcipuè Lector admonendus fuit.

NON temerè aut inconsideratè labor hic noster, amice Lector, collectus ex ore Dn. *PHILIPPI MELANCHTHONIS*, alijsq; clarissimis viris (qui nunquam cogitarunt fore, vt ipsorum dicta typis commendarentur) in lucem prodit: sed multi viri doctrina & pietate excellentes occasionem mihi dederunt, primùm vt eum susciperem, deinde quoq; typis vulgari paterer. Hi enim cùm viderent, me multis annis plurima exempla partim ex lectionibus *PHILIPPI MELANCHTHONIS*, partim etiam ex aliorum doctißimorum quorundam relationi-

bus

bus collegisse: seduli adhortatores fuerunt, ne solus illis ipse fruerer, sed alijs quoq; communicarem. Id quòd ea fieri ratione, vel optime posse, si in publicum ea ad studiosorum vtilitatem, emitterem.

Horum verò petitioni tametsi primùm propter multas & graues caussas valde reluctatus fuerim: tamen victus tandem, & persuasus, ne prorsus ex omnium manibus, & præsertim meo vsu exciderent (quod propemodum aliquando accidisset) cùm mihi obijceretur illud aliquoties vitium, me inuidere ipsis, ipsorumq; posteris materias illas, eorum tandem voluntati acquieui. In disponendis autem his exemplis, ordo in hoc nostro labore non parum negocij mihi facessebat: verùm postea seriò rem & exactè perpendenti, succurrebat vulgaris admonitio illa:

Crede mihi sapere, non nimium sapere est.

Obseruabimus autem ordinem seu methodum locorum communium, quæ in locis extra Decalogum, atq; in Decalogo obseruata est. Interdum bis terue diuersis locis vnum exemplum inseruimus: id quod non inconueniens visum fuit, ob varias vnius materiæ applicationes ad diuersa argumenta. Præterea quædam nomina in quibusdam narrationibus sunt suppressa: quod fecimus non sine consilio quorundam doctorum & bonorum virorum. Huc accedit,

cedit, quòd aliquas res paſsim è Germanico in Latinam linguam vertimus, ea quidem proprietate, qua vnquam fieri potuit, vt ſententia authorum retineretur. Idq́ factum eſt hanc ipſam ab cauſſam, vt peregrinis nationibus hoc noſtro quoq; labore inſeruiremus: quædã Germanicè relicta ſunt, & id propter gratiam & emphaſin, quæ fuit in proprietate linguæ Germanicæ. Cæterum non ignoro has meas lucubrationes, ſciolos & calumniatores, qui aliud quærunt, quàm oſtendunt, ſiniſtrè interpretari: mihi tamen interea ſufficit, eas à multis doctis & pijs viris approbari. Iſtos verò iam dictos quoq́ rogatos volo, vt antequam mihi mea ſurripiant, prius ſua corrigant, retexant & emendent: in quibus non pauca corrigenda, retexenda & emendanda inuenient. Neq́ enim inſolentibus maledicis & contemptoribus bonorum virorum, ſed in primis iuuentuti hoc meo labore inſeruire cupio.

Adhæc præuideo ex eodem numero quendam, vt honeſtiorem prætextũ fingat, me meoſq; labores extirpando, & ſibi adſcribendo, quorundam nomine iuxta ſuum placitum conſcribere noua & Draconica planè decreta: ac petere, flagitare, excogitareq́ ſubſcriptiones & ſcripta multorum, qui ex ſuo nutu pendunt. Et quomodo idem ſe fucatè ornabit, & virus ſuum in me effundet, breui videbimus. Quauquàm

autem

autem & huic ipſi & alijs meis maleuolis prolixius nunc reſpondere deberem, tamen vindictam Deo committam, qui cuilibet iuxta ſuas actiones retribuet: & conſilio D. *PHILIPPI MELANCHTHONIS* obtemperabo, qui ad amicum quendam ſcribens, ſic inquit: *Scis me non rudem tyronem eſſe in hac militia tollendarum iniuriarum: nec me pœnitet multas diſſimulaſſe & obruiſſe ſilentio inſulſiſſimas calumnias. Et omnibus amicis idem do conſilium. Quare Deus tandem proferet vera, & defendet eos, qui propter publicam vtilitatem priuatæ vindictæ frenos inyciunt.* Hæc tibi neceſſariò, Lector, de meis vigilijs ſignificanda eſſe duxi: quæ quanti mihi conſtiterint, plurimi optimi & doctiſsimi viri norunt. Tu verò, eo animo, quo tibi trado, ſuſcipe ac

Vale.

AD

AD STVDIOSVM Lectorem Carmen.

SI tibi ſint curæ cœleſtia ſcripta Philippi,
  Cui docti acceptum, quòd didicere ferunt:
Nam tulit è tenebris ad ſplendida tempora Phœbi
  Doctrinæ ſolida cum pietate decus:
Hinc eſt lingua triplex, rerumq́; peritior uſus,
  Hinc eſt ſaluifico turba dicata duci:
Hinc cum Cecropio Germani uerba Pericle,
  Hinc bene creduntur cum Cicerone loqui:
Hinc tot Apollinea iuuenes naſcuntur ab arte,
  Proditor haud Troiæ quot numeraret equus.
Nunc etiam placeant deducta Melanchthonis ore,
  Manlius in ſeros quæ cupit ire dies.
Bis ſeni tacitis abierunt menſibus anni,
  Dum fœcunda tenax miles ad ora ſtupet.
Eſt operoſa quidem res audiuiſſe Philippum,
  Et præclara ſua ſcripta notaſſe manu:
Quæ fingunt animos ſtudijs, & pectora mulcent,
  Quæ fugienda uetant, quæq́; ſequenda docent.
Non rudis ingenio, non experientia rerum
  Nobile præcipui nomen honoris habent:
Pendet ab arte uagæ ſortis ſapientia uictrix:
  Is non, Pieria qui caret arte ſapit.
Si tibi uis igitur ſapientis quærere famam,
  Triſtibus hic curis dulce leuamen habe.

Multum

Multum hic inuenies, quorum meminisse iuuabit,
Perlege: sic lecto codice doctus eris.

M. Iustus Virsustus
Blackenburgensis.

SAMVELIS HOLZACHII in primum, secundum, tertium, quartum, & quintum praeceptum Decalogi, Carmen.

Diuina de lege sonat uox, deq; sacrorum
Ritibus omnigenis, officioq; fori.
Hinc quos impietas, & uana superbia ducit,
Culpans, fert laudem turba modesta tibi.
Comminuit statuas, stultißima pectora ducens
Illas pro uero quæ coluere Deo.
Contemptumq; Dei simul ac periuria pœnis
Afficit hinc, sequitur præstita deinde fides.
Proditur in cognoscendis incuria festis,
Nobile Iudaicæ pingitur ædis opus.
Hinc explere iubet, cura non deside, munus,
Ad quod te cernis cunq; uocare Deum.
Hinc scribit qua chara domus sit lege regenda,
Deq; animi motu se uariante docet.
In natos celebrat pietate deinde parentum,
Natorum hinc, fratrum deinde relatus amor.
Estq; magistratus tenuem narrata potentis
In plebem, sed nec plebis omissa fides.

Qua

Qua ratione, docet, ſiet instituenda iuuentus,
Afferat ut patribus gaudia læta ſuis.
Gratos ingratosq; parentibus atq; magiſtris,
Et bene pro meritis, ordine deinde refert.
Ergo & amicitiæ poſitum uenerabile nomen,
Eſtq; fides titulo falſa notata ſuo.
Firmantem tractat mox publica commoda pacem:
Ira dehinc, iræ tum moderamen adeſt.
Dicit quos poſcant Mauortia bella paratus,
Nec de lugubri deditione tacet.
Conſilijsq; ducum uerſutis addita charta,
Cædibus ac tragicis caſibus inde locus.

Eiuſdem in ſextum, ſeptimum, & octauum præceptum, Carmen.

Hoc quoq; materia ſcriptum non ſimplice conſtat:
Hinc uitioſus amor, connubijsq; fides.
Hic, & auaritia eſt, & opum laudabilis uſus
Nudaq; ſimplicitas, frausq;, leuesq; ioci,
Cuncta quid ulterius recitemus nomina rerum.
Quod tamen in geminis fecimus ante locis?
Ordine legiſti iam præcedentia ſcripta,
Vt tibi materies nota ſit, atq; ſtylus.
Copia par hic eſt, exempla diſce priorum,
Quam ſit materiæ diuitiis iſtud opus.
Eſt hæc cum ſuaui dulcedine copia iuncta,
Nullibi non doctis nota futura uiris.
Accipe & hoc ergo Lector ſtudioſe uolumen,
Scriptoriq; pijs fauſta precare ſonis.

Ingenium natura dedit labor improbus artem,
Doctorumq; fides, Manle diserte, tibi.
Fata uiros audire tibi tribuere benigna,
Quęis maius norunt secula nostra nihil.
Doctrinis in te pietas sanctißima certat,
O uir doctrinas nate iuuare bonas.

Aliud carmen boni cuiusdam viri, in laborem Iohannis Manlij.

Præmia uirtutis, scelerum & tormenta, uenustis
Historiæ præbent conspicienda typis.
Corripiunt pœnis reprobos, summumq́; timere
Erudiunt uera cum pietate Deum.
Mercedem sperare pios, & conscia recti
Corda iubent, aura nec trepidare leui.
Quod fuerat uitijs durum, fit mobile pectus:
Conuersumq́; cupit iam meliora sequi.
Quandoquidem superos metuit, tædetq́; pigetq;
Iam scelerum, cœli iam meditatur iter.
Exemplis igitur quisquis non flectitur istis,
Durius Hyrcana tigride pectus habet.
Post sapiet serus, uerùm spe elusus inani:
Et cùm nil metuet, pœna sequetur atrox.
Vtere mortalis uitæ pictoribus istis,
Qui uelut in speculo pulchra sequenda monent.
Hoc filo ductus, culpæ uestigia linque,
Atq; piæ soli uiuere disce Deo.
Hunc etiam legito: nec te labor ille molestet,
Fert secum breuis hic commoda multa liber.

Factoris uelut omnipotens immania mundi
Templa olim mira fecerit arte manus:
Iusticiam monet, & quæ sint noua nuncia uerbi,
Terrificæ legis fulmina quaq; docet.
Plurima præterea collegit ab ore magistri
Manlius, excipiens dicta notata sui.

DE LEGE.

Præcipuæ Decalogi virtutes, in quadam lectione à Domino Philippo recitatæ.

Primæ tabulæ uirtutes sunt, agnitio ueri Dei, fides, timor, dilectio: item aliæ uirtutes ibi comprehensæ, ut celebratio, inuocatio ueri Dei, propagatio doctrinæ, conseruatio ministerij. In secunda tabula, pietas erga parentes, obedientia erga magistratus & gratitudo. In quinto & sexto, iusticia particularis. In septimo, iusticia commutatiua & distributiua. In octauo, ueritas, candor, constantia: & in nono & decimo originalis iusticia.

Decalogus debet esse norma uitæ, iuxta dictum: Lucerna pedibus meis, uerbum tuum.

Doctor Martinus Lutherus.

Peccata primæ tabulæ afferunt simpliciter desperationem. Reliqua peccata secundæ tabulæ afferunt secum contritionem, & spem pœnitentiæ. Illa peccata adhuc circa misericordiæ obiectum uersantur.

Idem.

Decalogus eſt ſemper prædicandus: quia enim caro noſtra infirma eſt, ideò ſub carcere legis tenenda eſt, donec ad agnitionem ſui in Chriſto perueniat. Quanquam ſathan non ceſſat ſuos uexare, ut indies contra Decalogum uiuant, & præcipuè contra primam tabulam, ubi diaboli ſæuiſsimi contra nos ductores exercitus ſunt. In ſecunda, non ſenioribus & magiſtratui obedire, iraſci, occidere, ſcortari, idem diaboli efficiunt. Decalogus eſt eruditio eruditionum. Fides eſt uirtus uirtutum. Oratio Dominica eſt letania letaniorum. Nam ſicut Decalogus omnia pulcherrimè & copioſiſsimè docet & exhortatur: ita fides quàm propriiſsimè facit, ut oratio Dominica quàm piiſsimè roget & impetret. Ideo hæc trinitas perficit & abſolutum reddit hominem in cogitando, dicendo, & agendo, id eſt, linguam, mentem, caput extollit ad ſummam perfectioneus: quid uis amplius?

Clementis dictum: Δικαιοσύνη ἐστὶ κοινωνία θεοῦ μετὰ ἰσότητος. Iuſticia eſt communicatio, qua Deus ſe nobis communicat, cum æqualitate.

In hoc dicto eſt declaratio primæ tabulæ & ſecundæ. Quando dicit cum æqualitate, ſecundam tabulam cõplectitur. Iuriſconſulti nihil aliud agunt in illis magnis uoluminibus, niſi ut quærant æqualitatẽ. Doctrina Iuriſconſultorum, eſt doctrina recitans leges naturales, & alias leges neceſſarias, uel probabili conſequentia inde extructas, ſancitas ordinaria authoritate & interpretatione rectorũ doctorũ Bartoli, Baldi, etc.

Ante

Ante 50. annos sunt æditi libelli, in quibus trium legum fit mentio. Primã legem uocarunt legem naturæ, qua homines ante Moysem sunt saluati. Secunda Moysi dicitur, & illam tantum de externorum membrorum gubernatione, seu externa disciplina sunt interpretati. Tertiam legem uocarunt Euangelicam, quam quidam homo exposuit esse omnium perfectißimam: & quemadmodum homines uiuentes sub politia Moysaica, sua lege saluati sunt, ita nos in regno Christi nunc uersantes iusticiam, reconciliationem coram Deo, remißionem peccatorum, & uitam æternam illa Euangelij perfectione consequi. At unica est æterna immota lex, & omnibus temporibus omnes homines obligans, & hæc uocabulo satis tenui lex moralis nominatur.

Ioannes Syluius Egeranus concionator Cygneæ, & in ualle Ioachimica, erat homo doctus, sed prophanus: scribebat contra nostras ecclesias, edebatq; libros plane tetros: nominabat Sophisma, quòd diceremus, homines non posse implere legem. Et gratiam gratuitam & reconciliationem coram Deo, quam sola fide propter mediatorem apprehendimus, intelligebat promulgationem doctrinæ legis.

Quidam uociferatur, summam artem Christianorum esse nescire legem. Quanta insulsitas est, ac si sic diceret: Summa ars Christianorum est, esse asinum, & nihil studere: summum decus est, manere asinum. Omnes in suis uocationibus negligentes, discunt illius asini artem.

Nos in prima inspectione Ecclesiarum uenimus ad quendam pastorem, quem interrogauimus, an etiam doceret Decalogum. Respondit nobis, se non habere illum librum. Nesciuit quid esset Decalogus. Bone Deus quam uehementer commouebatur Doctor Hieronymus Schurff, & alij uisitatores qui aderant, ac illam inscitiam deplorabant, sicut erat deploranda: & non modo deploranda, sed potius uinculis seu carceribus punienda. Vixerat ille antè in uita monastica, & tamen adeò fuit rudis, uerè non habuit ullum librum: sed habuit artem illius asini, qui dixit: Summa ars est Christianorum, nescire legem.

Monachi finxerunt uaria deliramenta de statu perfectionis. Vocarunt uerò in statu perfectionis uiuere, exercere se iuxta aliqua electa opera, non nominatim in Decalogo expreßis uerbis præscripta.

DE LEGIBVS FORENSIBVS & ceremonialibus Moysi.

Struthius tempore seditionis rusticorum scribebat agros liberandos esse annuis pensionibus, cum lex Moysi præcipiat, quinquagesimo anno redire fundos ad hæredes priores.

Ego hic sedens in nouo Collegio, disputaui contra aliquem uolentem omnes forenses controuersias ex legibus Mosaicis iudicari, & sic arguebat.

Vbicunq; sunt scripta Prophetica, ibi est Ecclesia.

Iudæi retinent scripta Prophetica, uel apud Iudæos sunt scripta Prophetarum.

Ergo Iudæi sunt Ecclesia.

Respon-

Respondeo per distinctionem ad minorem: Iudæi retinent quidem scripta Prophetica iuxta literam: alioqui re uera nego minorem. Non enim uerè retinent, sed corrumpunt, & alias peregrinas sententias affingunt. Libros quidem retinent, at nouas & inusitatas sententias addunt.

Idem aliquando in templo arcis habuit longã concionem, & contentiose dixit, controuersias forenses, & negocia forensia ex lege Moysi iudicanda esse. In alia uerò concione habuit contrariam orationem, quæ adeò grata fuit multis ut ipsi describerent.

D. Martinus Lutherus habuit bonam imaginationem de duabus tabulis Moysi: dixit, duas tabulas esse perfossas per singulas literas, ita ut ab utraq; parte legi possent. Illud quidem sic intellexerunt: alius est literalis intellectus legis, alius est spiritualis. Alij fecerunt duos cultus, alium externum, alium internum.

Caussæ constitutæ politiæ Mosaicæ.

1. Vt esset aliqua certa sedes, in qua se Deus patefaceret.
2. Vt esset publicus aliquis cœtus, qui rectè inuocaret Deum, & esset custos fidelis doctrinæ à Deo patefactæ.
3. Præcipua est, ut esset certa familia nota, in qua nasceretur Christus, moreretur, & ostenderet se generi humano.
4. Vt essent certi et fide digni testes in hac politia suarum promißionum, & suorum miraculorum.

Causa deletæ illius politiæ, & ceremoninarum Moysi.

Prima iusticia Dei est, quæ est immutabilis, qua Deus punit atrocia delicta atrocibus pœnis: ut Herodotus ait. Horribilibus idolatrijs & libidinibus hic populus contaminatus erat. Deus igitur eum propter hæc & similia peccata puniuit: ut ex historijs patet.

Secunda est, ut extaret illustre testimonium iræ Dei aduersus persequentes filium, quem unicè pater diligit, ut testatur inquiens: Hic est filius meus dilectus, &c.

Tertia, Est illustre testimonium, quòd homines non iustificentur ex operibus legis, et obseruatione cultuū: quia etiam gentes admittebantur ad Ecclesiam.

Quarta, Voluit Deus esse illustre testimonium exhibiti Meßiæ, quia Micheas inquit: Secundum templum illustrius est illo, quod Salomon ædificauit.

Quinta, Voluit Iudæis præripere prærogatiuam, & æquare gentes Iudæis.

Sexta, Abrogatio politiæ istius ostendit, Christi regnum non esse de hoc mundo, sed spirituale.

Iudæus quondam mecum disputabat, dicens: Vos non estis populus Dei. Quare? inquam: quia non seruatis legem. Respondebam ei: Imo tu non seruas. Deinde inquit: Vos docetis contra legem. Quomodo? Quia, inquit, non seruatis sabbathum. Putabat legem seruari, quando externis gestibus à laboribus manus abstineret.

Duæ insignes caussæ, cur Deus Iudæis carnem suillam prohibuerit.

D. Philippus, piæ memoriæ, dicebat: Deum uoluisse cauere, ne à porcis horti & agri, qui erant in illis locis amœnißimi, & multis terræ fructibus, oleis & aromatibus ornati, ut balsamo &c. uastarentur: sunt enim porci genus animalis uastans & perdens res etiam preciosißimas, & radices è terra eruens: alioqui quod ad usum attineret, se nullam aliam causam scire, cum apud omnes medicos caro illa saluberrima habeatur.

Alius quidam dixit, se sæpius cogitasse ea de re, & se hanc etiam causam esse existimare, quòd caro suilla facilè in male affectis corporibus putrescat. Alioquin etiam sanis corporibus conueniens & salubris est. Cùm igitur Iudæi pluribus morbis obnoxij fuerint, ut lepræ, paralysi, uoluisse Deum cauere usum talium carnium, ne augerent morbos. Et hanc etiam iudicat causam esse, cur Iudænis Deus leporina carne uesci prohibuerit.

DECALOGVS.

Primum præceptum.

IMPIVS CVLTVS SEV impietas eiusdemq́ue defensio.

Quando Demetrius se in numerum deorum referri uolebat, ibi multi non assentiebantur, & illam iniustam petitionem ægrè ferebant. Tunc quidam ex adulatoribus dixit: Videte ne dum cœlum defenditis, ter-

ram amittatis. Illa non solum est uox aulica, sed est communis phantasia omnium.

Caligula suam statuam in templum Capitolinum Romæ collocari curauit, ut à latere quodā Ioui Capitolino adstaret, cui aliqua in aurem susurraret, ac sacerdotes ei sacrificarent. Talis fuit insania illius seculi.

Cum Alexander Seuerus Imperator paulo pòst esset periturus, hac etiam occasione est mota noua persecutio aduersus Christianos, qui sunt expulsi urbe: postea est restitutus ille cultus. Cum sacrificarent in eodem loco, rursus est fulmine ictum idem templum, sacerdotesq; fulmine conflagrarunt: & persecutio facta est multo grauior, donec consul unà cum coniuge & liberis factus esset Christianus.

Romanum præsidium in Aegypto interfectum est, eo, quòd unus ex militibus Romanis interfecisset Felem deum Aegyptium: unde ciuitas tota mouit seditionem aduersus præsidiarios, & septem millia hominum (ut dicit Diodorus Siculus) fudit. Id tempore Tyberij accidit.

Quando Romæ templum Iouis ictum fuit fulmine, & statuæ Iouis in illo templo est decussum brachium, significauit Deus se uelle destruere impium illum cultum.

Obseruate narrationem non illepidam ex Ecclesiastica historia, siue sit fabella siue historia: Tamen est digna obseruatu. Persicus quidam sacrificulus gloriabatur suum Deum, cuius ipse esset minister, esse uerum deum, quippe qui omniū aliarum gentium deos

supera-

superaret, imò & consumeret. Fuerunt enim talium idolorum imagines aureæ, argenteæ, æneæ, ferreæ, & ligneæ, aut cuiuscunq; materiæ: quæ si non consumitur, tamen mutat artificialem formam Ignis Deus Persicus. Hic tandem peruenit in Aegyptum, & cum inciılisset in Canopi sacerdotem eadem disputatione, ibi sacerdos suum uicißim Deum Canopum extollit, illum præferens numini Persico & Chaldaico: unde magno certaminis præmio, ingens pecunia uictori est proposita. Persicus sacrificulus suum Deum Ignem adfert. Interim Canopi minister, hydriam pluribus foraminibus perfluentem (quales sunt istis regionibus usitatæ, & frequentes ad decollandum aquam) adornat, & cera obstructis foraminibus omnibus implet aqua. Tempore constituto Persicus sacerdos cum suo numine Igne aduenit: uicißim suum Canopum Aegyptius sacrificulus etiam adducit, quem ille igni supponit, certa spe ductus fore, ut tandem quæcunq; esset statuæ materia dissolueretur, aut frangeretur calore ignis. Sed cum testa hydriæ calefieri cœpit, tunc simul incipit liquescere cera, & aqua effluens ex foraminibus hydriæ ignem extinxit. Sic euasit Aegyptius uictor, ostendens suum numen esse potentißimum, ut quod Deum Persicum, qui summus aliorum Deorum esset habitus, superasset. Est lepida narratio, quæ si nihil aliud docet: tamen ostendit uanitatem talium religionum. Prætulerunt Persæ Ignē regibus in publicis pompis, ut historiæ etiā ostendunt. Narratur in historia de rebus gestis

Alexan-

Alexandri, quòd hic ignis argenteis altaribus toto agmini Darij euntis ad pugnam Alexandri prælatus sit, comitantibus 365. iuuenibus sacerdotibus, & carmen canentibus ad numerum dierum circuitus anni.

HVMILITAS & MODESTIA.

Pindarus ait, quod qui uelit ultra columnas Herculis, sit fatuus, id est: præcipit, ut simus modesti ac humiles.

Agathocles in Sicilia, bellicosus uir, instructusq; pecunia ad militandum, peruenit ad regnum: sed miserabilibus cruciatibus est mortuus, uoluit hic habere famam modestiæ, quia eius pater fuit figulus, habebat pocula ex uasis testaceis, quæ erant facta ex terra Samia. Hinc hi uersus sunt:

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea regem,
Atq; abacum Samio sæpe onerasse luto.
Quæsitus causam, respondit: Rex ego qui sum,
Sicaniæ figulo sum genitore satus.
Fortunam reuerenter habe, quicunq; repente
Diues ab exili progrediere loco.

Non habetis post Christum pulchrius humilitatis & modestiæ in toto mundo exemplum, quàm Ionathæ filij Saulis, qui sumit coronam, quasi de suo capite, & Dauidi imponit.

Noster Imperator Carolus. V. cum cepisset regem Galliæ, annunciata ei uictoria ab eis, qui à partibus Gallorum fuerant, ut gratularentur ipsi de uictoria: dicitur ex arce, in qua fuerat, secessisse solus in monasterium quoddam, donec illi abirent. Probibuit etiam

ne

ne quis ad ipsum admitteretur, inquiens: Non *decere institui triumphum, capto rege, præsertim cùm ipse nihil mali fecerit: memorem enim se esse dicebat humanæ fortunæ, quod ipse quoq; in manus hostium uenire posit.*

Modestia Atheniensium & ducis Vuirtenbergensis.

Athenienses cum Arcadibus contendunt, postulantq; se collocari ante ipsos in pugna ad plateas: Tan*dem Athenienses dicebant, se permittere hanc rem ducibus, ubicunq; collocarentur futuros esse fortes uiros, & sic nihil disputant amplius de loco. Semel in conuentu Schmalcaldensi oriebatur contentio de loco, dicebat dux Vuirtenbergensis, huius ducis pater: Collocetis me post fornacem, non curo, modo efficiamus ea, propter quæ conuenimus.* Ita *uerißimum est illud Senecæ:* Nihil *magnum quod non est placidum.*

Imperator Carolus V. cùm ipsi indicaretur ducem aliquem periculosè decumbere, ita ut uideretur ei imminere mors, inquit: An nunc primùm didicit se esse mortalem, ego quotidie in meo corpore experior: & Deus mihi morbos multos commonefactores addidit, qui me de fragilitate humanarum uirium admonerent.

Dicunt de eodem, quod statim à prima adolescentia, compertus sit natura inimicus esse gloriosis & insolentioribus. Solitus enim astare spectareq; cursu certantes: ibi si quem fortem gloriosiorem & magis superbum uideret, occultè ei pedem opposuit, ut cadens non uinceret.

Idem

Idem Imperator noster Carolus V. & frater ipsius Rex Ferdinandus, ibant in nuptijs Ducis Bauariæ Ratisbonæ in templum: & cum uentum esset ad templum, neuter ipsorum uoluit præcedere. Rex Ferdinandus nunciauit fratri, ut præcederet, quia esset Imperator: at Imperator renunciauit, esse honestum, ut pater sponsæ præcederet, & conuenire illud ipsi in hoc loco, ut in nuptijs filiæ suæ. Ad hæc respondit Ferdinandus, Imperatorem esse & patrem & Imperatorem. Ita Imperator coactus est præcedere. In choro deinde, ut uocant, iterum se honorificè & officiosissimè salutarunt, certaueruntq; uter præcederet. Tandem Imperator præcessit. Hæc humilitas fuit officiosa, & in loco.

Recitaui uobis sæpius historiam Alphonsi sapientissimi regis, qui paulo ante nostram ætatem discipulus Pontani fuit. Fridericus Imperator fuit apud eum Neapoli, & cùm obiurgaretur Alphonsus à suis consiliarijs, quod Fridericum sibi præferret, obiurgauit illos assentatores, inquiens, se scire gradus regum, illum esse Imperatorem, & Imperatori esse tribuendum suum honorem in orbe Christiano, quamuis aliorum esset maior potentia. Multa sunt in ipsius historia memorabilia, & habuit uariabilem fortunam. Dedit etiam se uoluptatibus, quamobrem castigatus & è regno eiectus: postea tamen reductus est: Deus ita restituit eum, sicut Dauidem.

Vera gloria propter DEVM est appetenda, illa non est superbia sed humilitas: ut cum aliquis me bac-

calau-

calaureum Kembergensem appellat, aut locatum Vuitebergensem, ut quidam faciunt, ille reipsa nihil me lædit. Vtinam essem bonus Baccalaureus.

Antuerpienses dono dederunt aulæum Imperatori Carolo V. in quo pulcherrima picta erat uictoria belli cum rege Galliæ gesti, eiq; addita erant nomina regis Galliæ, & aliorum principum, qui in prælio fuerant. Imperator autem recipere noluit, ne uideretur lætari aliorum calamitate & miserijs. Admoniti igitur, qui obtulerunt, sustulerunt nomina, & tunc accepit, placuitq; ipsi mirificè. Sic placet magnis uiris inuoluere historias fabulis: quia nolunt res suas clarè narrari coram populo: ideoq; fingunt cantilenas, qualis est illa: Der Scheffer von der Newenstadt.

Cum Cyrus & Cyaxares essent in ijsdem castris, uenit Cyrus in tentorium Cyaxaris, uiditq; eum lachrymantem, miratur quid caussæ esset. At ille: Non doleam? Ego sum Rex, & uideo præcipuos exercitus duces apud tuum tentorium uersari, te colere & me regem negligi. Cyrus inquit, se libenter depositurum imperium, & statim capitaneis mandat, ut eant ad Dominum, ipsi adsint, eumq; sequantur.

Cum Rex Galliæ Franciscus captiuus ab Carolo V. Imperatore teneretur, & in pariete scriptum uideret Symbolum Imperatoris, PLVS VLTRA, ascripsit, Hodie mihi, cras tibi. Quod cum Imperator uidisset, subscripsit, Fateor me esse hominem.

SVPER-

SVPERBIA & INSOLENTIA.

Demosthenes Aeschini exprobranti ipsi fortunam respondit: Nemo hominum scit an ad uesperam sit habiturus eandem fortunam.

Perseus habuit clypeum, uel Gorgonem, quo uertit alios in saxa. Et prohibitum est ei, ne aspiceret suum clypeum: id est, non admiraretur suam potentiam & uires. Idem introspiciens in Gorgonem, uertitur in saxum, id est: post res secundas homines fiunt superbi. Illa considerarunt homines sapientes, exemplorū aßiduitate commonefacti.

Timotheum Atheniensem, & Platonis socium pinxerunt Athenienses dormientem, & Fortunam (quia fuit ualde fortunatus) circa eum stantem & implentem rete, postea uerò uenit semel in concionem & dixit: Hoc ego feci & non fortuna. Illis dictis, dixerunt eum semper fuisse infortunatum.

Heroici uiri sæpe incidunt in tales furores, in quales Rex Babyloniæ Nabuchodonosor, quia sunt insolentes. Hercules ita insaniuit, ut interficeret coniugem & filios. Insaniuit etiam Pompeius quando intrauit in templum, deinde mouit bellum ciuile.

Erat apud me simplex homo, cui dabam literas ad locum ubi habiturus erat conditionem: monebam eum multa de quibusdam rebus, de quibus erat monendus. Respondit: Non necesse est me multa monere, scio uti foro. Ita multum est in nobis fiduciæ & inanis ostentationis, cum simus fatui, & parum sciamus, cum in Ecclesiasticis tum in politicis controuersijs.

Milo

Milo Crotoniata fuit tantæ fortitudinis uir, ut arbores dilaceraret; tandem hæsit ipse in trunco & à lupo laceratus est. Ita homines, quibus rebus confidunt, ijs maximè euertuntur.

Rex Aegyptius circum nauigauit totam terram habitabilem, sicut fuit olim studiũ regum inquirere fines terræ, discere doctrinã Cosmographiæ. Ille Rex uenit in insulam Thulam, & cum nihil restaret amplius, fecit finem peregrinationũ, deditq; insulæ nomen Thulæ. Postea rediens in Aegyptum, interrogauit oraculum: Num esset aliquis maior ipso. Oraculum reprehendit eum, quòd se extolleret & magnificaret suprà quàm hominem conueniret, ac respondit: πρῶτα θεὸς μετ᾽ ἔπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς.

Hoc dictum in historia regis Thulæ in Suida reperitur. Puto esse uersum ex Sibyllinis, tres personas Diuinitatis comprehendentem. Vlterius est oraculum locutum: Tu miser homo egredere è templo, & malè peribis. Occisus est igitur statim à suis egrediens. Sic dedit pœnas superbiæ.

Aliud insolentiæ, & modestiæ exemplum.

De quodam rege dicitur, quòd aliquando iurauerit, se futurum Carolum de Austria (sic enim nominabat Imperatorem nostrum) & eò redacturum, ut iterum fieret Comes de Habspurg. Imperator nihil iußit ei respondere, nisi ut cogitaret se iam esse senem regem, &

debere cogitare de communi orbis terrarum concordia. Est hoc modestißimum responsum.

Quando Hadrianus factus est Papa, ibi celebrata res est Louanij in magna Pompa, quòd iste magister Louaniensis factus esset Papa, suspensa sunt aulea, in quorum uno fuit hoc: Traiectum plantauit, Louanium rigauit: Cæsar incrementum dedit. Nihil cogitarunt erigentes hæc aulea, nisi de rebus secundis uel humanis. Quare non ineptè aliquis facetus ascripsit: Hic Deus nihil fecit. Sæpe ita cogitant homines, obliuiscuntur Dei, & fiunt insolentes, quando accipiunt talia beneficia.

Omnibus hominibus contemptus dolorem adfert, nec ulla est tanta humilitas quæ non ægre ferat se contemni: sicut dicitur de quodam uidente quendam suorum subditorum stare in tecto facientem opera, qui uoluit experiri suam artem iaculandi, collidit, ut miser de tecto laberetur. Ille uerò uicißim miserabiliter mortuus est.

Pausanias adolescens, eques & Dux Spartanus, (qui fuit summus in illa pugna, qua Lacedæmones uicerunt ad Plateas decem millia, plurimosque trucidarunt) sedet in conuiuio, in quo unà aderat Simonides, qui existimabatur tunc temporis sapiens esse, sicut & magnus uir fuit. Ille itaque fortaßis, ut derideret Simonidem, dixit ad eum: Simonides, dic aliquid sapienter. Hic nihil aliud respondit, nisi, ὦ παν-

ὦ παυσάνια, μέμνησω ἄνθρωπόν σε εἶναι. O Pausania, memineris te hominem esse. Ille ipse Pausanias paulò post captus, in carcere necatus est, & mater sua primum lapidem ad hostium carceris admouit, ut filius inclusus ibi fame necaretur. Sic suæ insolentiæ pœnas dedit.

Erat monachus Tubingæ, cui cùm diceret Eccius: Superbus es monachus. Respondit monachus, mi Domine Doctor: Si multum humilitatis habes, quæso mihi quoq; drachmam uendas. Notauit rursus Eccij superbiam, qui erat natura superbissimus.

Dicitur de rege quodam tempore Othonis primi ipsum indixisse his uerbis Imperatori bellum: se uenturum in Germaniam, & allaturum plures galeas, quàm ipse in Germania haberet stramineos pileos. Otho Imperator derisit illam stultam insolentiam: significans non decere insolentiā in sermone, iubens omnes milites suos stramineos pileos ferre. Ita ex illa insolentia rex est captus.

Quidam dixit se habere cor cuiusdam Monarchæ, quæ est uox arrogans, minimè conueniens iuueni. Pater ipsius uir prudens & consiliarius, nequaquam tam superbum dictum proferre ausus fuisset.

Quidam monachus in quodam monasterio, magnam sanctitatem præ se ferens, semper incedens obliquo capite terram spectans, quem propter uitæ innocentiam, & probitatem reliqui fratres in Abbatem elegerunt. Factus uerò Abbas, cito cum fortuna mores mutauit, & ut antea fuerat simplicissimus, ita postea

factus est nequißimus. Quod cum alij mirati fuissent, tandem interrogauerunt, cur antea probitatem et simplicitatem simulasset, terramq́; semper spectasset. Respondit ille: Quærebam claues monasterij, quibus inuentis, id est, delato mihi hoc honore, iam rectus incedo, & clauibus pro libito utor.

Non debetis esse tam superbi & insolentes, ut illi hypocrytæ, qui iactitant se omnia scire & uolunt esse omniscij, ualde parum sciunt, & nihil sciunt: sicut dixit quidam impudens, indignum esse, si Theologus interrogaret alios, & non esse Theologum, qui alios interrogaret quædam de doctrina. Talis est Hypocrisis in multis, ut nihil aliud dicam, tument persuasione excellentis sapientiæ & doctrinæ: putant se esse sapientes, cùm stulti sint, & non intelligant quid dicant.

Noui rusticum quendam, qui cùm amplißimas opes ex fodinis nancisceretur, ita se extulit, ut cum potentißimis ciuibus, splendore, uestibus, ciborum lauticijs certaret. Hoc cùm uideret Georgius dux Saxoniæ, suauiter eum deridebat, dicens: Ecce ille rusticus certè, si posset, deos superaret. Tales sunt homines plebei, qui bonis à Deo datis insolenter utuntur, iuxta illud:

Asperius nihil est misero, cum surgit in altum.

Vulgari fertur prouerbio. Duo montes non facilè iunguntur, quo significatur, superbos non facilè inter se conuenire.

Pompeius Magnus olim ingressus est in Sanctum Sanctorum, id est: in chorum & secretum locum templi.

pli, in quo erat arca fœderis collocata, & sedes Dei. Ex illa insolentia statim secuta est mutatio suæ fortunæ, & paulo pòst in conspectu templi est interfectus.

Cùm aliquando episcopus quidam, iam recens electus, gereret se paulo insolentius & crudelius cum comitibus uicinis, confisus potentia cuiusdam Monarchæ, uolensq; nostram doctrinam delere funditus, dixit ad eum dominus à Stein: Domine princeps, uideris multis sapientibus uiris longè insolentior, produxitq; multa exempla similia Italica, ex quibus intelligeret multas mutationes in Italia secutas esse. Respondit princeps: Vtendum est tempore. Ad hæc Dominus à Stein: Domine episcope, tu es princeps, ego uerò nequaquam: scio itaq; tibi deberi reuerentiam. Præterea tu etiam es Doctor, & ego non: sed anteeo te ætate, & uidi multa talia exempla. Dedicatio est iam in superiori pago, sed quando erit in inferiore, certè malè nobiscum agetur.

Rana prope bouem, miratur bouis magnitudinem, ita ut crepat. Est imago omnium superiorum & non habentium facultates. Augustus est bos coram Antonio, & Antonius rana coram Augusto, donec crepat.

Prædicator Argentinensis Keysersberger uoluit taxare superbiam alicuius uetulæ, quæ nuper nupserat uiro, dixit in concione: Colores sunt pulchri, sed non rectè distributi. Nam oculi sunt rubri, qui color debebat esse in labijs, & dentes oculorum nigritudinem habent, cum debeant esse albi. Sed maxillæ

sunt pallidæ, & alia similia recitabat: nam alias erat eloquens.

Omnes fatui sunt superbi, & econtrà omnes superbi fatui: & siquidem tibi bene cum ipsis conuenire uelis, tantummodo cures, ut laudes eos. Quo magis est aliquis excellens, eo magis miratur artem, ac magis se subijcit. Audiui à Durero, qui dicebat se mirabiliter delectari picturis suis recens factis, postea cum ex interuallo temporis easdem aspiceret, earum ipsum ualde pudere.

Memini, cùm quidam moueretur æmulatione contra Lutherum, eum hæc uerba dixisse: Ego non minus honorari ac uenerari cupio, quàm ipse, Deus autem Luthero eum honorem addidit. Ille uero sua uocatione contentus esse debuisset. Non omnium eadem aut par uocatio esse potest. Est exemplum æmulationis, inuidentiæ & superbiæ.

Aesopus interrogatus, quid Deus in cœlo ageret. Respondit: Ille frangit magnas ollas & ex frustis alias nouas componit. Significare uoluit, quòd Deus de sede potentes deponat & humiles exaltet.

Erasmus si quando homines superbos & arrogantes notare & deridere uellet, scripsit eis, absolutæ eruditionis & pietatis uiris, &c. Sic scripsit Theologis Parisiensibus. Significat autem absolutæ eruditionis & pietatis, alienos ab omni eruditione & pietate.

*Dux Luneburgensis auus horum ducum nunc uiuentium, ingeniosissimus, & felicißimus fuit in compo*nen-

ponendis cantilenis. Fertur hoc eius esse: Der Guckguck hat sich zu tode gefallen / von einer hohen Weiden: Wer wil vns diese Sommer zeit / die lange weil vertreiben. Accidit aliquid aduersi alteri Principi, qui multa alijs minatus erat: at impeditus perficere non poterat.

Dicunt nullam aliam fuisse caussam, quare Solimanus Turcicus Imperator interfecit Imbre Vuascha, nisi quod Imbre Vuascha (si quando Imperator exiret in arcem uel aliò) semper splendidiori habitu indutus fuerit, quàm Solimanus, ita ut præcipui capitanei Turcici sint secuti Imbre Vuascha. Imperatoris comitatus respectu Imbre Vuascha, fuit tanquam solitudo. Ista res offendit Imperatorem adeò, ut eum interfici curauerit.

Episcopus quidam creuit Moguntiæ concionibus, quibus inflexit se ad hominum sensus, quædam dixit accersita ex harum Ecclesiarum doctrina. Factus uerò Episcopus Augustæ, postridie equitabat in equo, cui os fiscella capistratum erat. Illud uidens Dn. Antonius Fuggerus, inquit: iste Episcopus non amplius mihi placet. Vidit enim eum statim factum esse insolentiorem.

Quando pauper aliquis aut mendicus superbire nititur, tum locum habet illud Germanicum prouerbiũ: An arme hoffart wischt der Teuffel den Arß. Nostris tamen temporibus inuenias sæpe egenos & quasi mendicos insolentiores & magis iactabundos, quàm quosdam diuitijs & opibus potentes ac excellentes.

SECVNDVM PRAE-ceptum.

IDOLOLATRIA.

Imperator quidam postquam induisset indusium S. Georgij, q est Bambergæ (fortasse fuit alicuius equitis senio confecti) procedens inter ictus bombardarum, habebat hanc persuasionem, se non posse feriri globo.

Quædam mulier interrogata Coloniæ à suo filio, cur adoraret imagines trium magorum, qui non possent exaudire eam, (sicut omnes statuæ sunt tantum opera ab hominibus sculpta uel fabricata) inquit: Non ego ipsos alloquor, sed tantum recito ibi orationē Dominicam. Pater noster qui es in cœlis, &c. Sic illam impietatem hoc prætextu tegebat, qualis furor est illa adoratio statuarum.

Contentiones de statuis uocarunt εἰκονομαχίαν, sicut notum est etiam nunc uehementes de ijs esse contentiones. Iam quidem de ijs subtiliter disputare nolo, sed tamen manifestum est, statuas & imagines maximam præbuisse occasionē multiplici idololatriæ. Quare satius fuisset nullas unquam fuisse statuas. Sic Granuelus, non de hac re, sed de inuocatione Sanctorū, multis nobis audientibus dixit: Quanquam non possum hoc asseuerare, quòd nō liceat dicere, ora pro me sancte Petre: tamen tantum est abusuum in omni inuocatione Sanctorum, ut uelim prorsus nullam esse. Illa uerba dixit Granuelus in colloquio Ratisbonæ, cum de ea re disputaremus. Bonum est nos talia dicta sapientum uirorum

rorum scire, qui improbauerunt hos maximos abusus. Idem quoq; mihi licet dicere de statuis.

Erat puella quædam apud Rhenum, quæ certis horarum periodis iacebat, quasi esset exanimis multis horis, interdum uiginti quatuor, interdum triginta sex. Postea cùm ad se rediisset, multa narrabat de inferis, & dicebat se fuisse in purgatorio: & quas animas ibi uidisset, narrabat. Ita crescebat lucrum sacrificulis.

Nouimus homines cucurrisse ad Grimmenthal, qui amentes fuerunt, & iacuerunt ante ciuitatem per aliquot horas, postea redierunt ad se. Hæc dixerunt esse miracula sanctæ Mariæ.

Scio alium locum in Germania, quem honoris causa non nomino, ut parcam illis hominibus, in quo mulieres steriles cogebantur certo tempore nudæ circumire altare, & gestare agniculum. Interea stabant monachi illi nebulones in suis cancellis, & mulieres nudas spectabant.

Quidam cum audiuisset cantilenam: Ein feste Burck ist vnser Gott/ dixit: Ich wil helffen die Burck zerschiessen/oder ich wil nicht leben. Post triduum est mortuus sine confeßione, ac sine agnitione filij Dei.

Tubingæ quædam uetula mihi optime nota, suspendit donum ad quandam aram sanctæ Mariæ, dicens, se adiutam esse à Maria in quodam negocio etiam malo, mihi non ignoto. Ibi pastor statim ascendit in suggestum, & in concione egit gratias Deo, quòd tam propitia esset beata Maria huic oppido, & iußit eam

magis colere, & plura dona adferre. Ita Diabolus hac *occasione idololatriam stabiliuit.*

Ego & Doctor Martinus Lutherus, *& alij quidam uidimus* αὐτόμα *in urbe* Isenach *artificiose a* Papistis *factum, ad suos quæstus retinendum.* Erat autem *statua* Mariæ *tenentis puerum* Iesum, *& ita facta, ut si retro iaceret monachus, posset eam regere, ut aut* Maria *aut puer caput ad accedentem aduertens aspiceret, si quis pecuniam largiretur: aut retrorsum caput auerteret, si nullum donum afferret.*

In *quodam* Papistico *loco, ante annos aliquot aliqui boni homines abstulerunt statuam* Mariæ *ex uico quodam, ad quam concurrebatur, & fiebant adorationes.* Dominus *illius loci postridie iußit fieri inquisitionem seuerißimam, ut perpetratores huius facinoris inquirerentur, curauitq; in eum locum argenteam statuam reponi, cum antiqua non posset inueniri.* Fecit *perinde sicut* Caligula *qui uoluit collocari suam statuam in templum* Hierosolymitanum.

Quidam *impostor indulgentiarius uendebat indulgentias, & ubiq; circumferebat.* Hic *aliquando ascenso suggesto in concione dixit:* Quicunq; *meas indulgentias osculabitur non morietur hoc anno peste, eritq; liber ac tutus a pestis contagio.* Dux Vuirtenbergensis Eberhardus *iußit eum ad se accersi, cumq; uenisset, dixit:* Quare *hoc in concione dicis?* Respondit: Verum *est* Domine, *sed ipsi osculantur tantum uitrum: non indulgentias.* Abi, *inquit* Dux, *cum tua sophisti-*

ſophiſtica excuſatione. Credo ſi non ſtatim diſceßiſſet, tunc ipſum ſuſpendi mandaſſet, & iuſtè feciſſet.

Dicitur de legatis Turcicis uenientibus Cracouiam, cum honoris gratia adhiberentur ad pompam die palmarum, & uiderent ſacerdotes flexis genibus procidere ante aſinum, qui circumducebatur, eleuatis brachijs in publico eos exclamaſſe: O quanta impietas & dedecus eſt, adorare aſinum creaturam? Es ſtehet dennoch nicht wol, multos aſinos adorare unum.

Conſuetudo fuit olim, ut homines ad ſtatuam ſancti Viti currerent, ibiq́; totum diem ſaltarent uſq; ad animæ deliquium: ita ut eos linteis ſtragulis inde aſportare neceſſe fuerit, tandem proſtrati liberabantur.

In Lotharingia ad S. Athanaſium à malis ſpiritibus obſeßi adferebantur, ubi ita liberabantur, ut integrum annum à morbis liberi eſſent.

Ad ſanctam Mariam Ratisbonenſem homines ultra uiginti miliaria, nec bibentes nec comedentes currebant, quò cùm ueniſſent, iacebant proſtrati quatuor horas, poſteaq́; liberabantur.

Vuitebergæ ante hæc tempora monſtratum eſt femorale Sancti Franciſci. Auguſtæ etiam homines coluèrunt Symphorianum contra erubonem, alludentes ad uulgatum nomen ſemper. Eſt enim ibidem ara cum ſtatua eiuſdem in templo S. Vlrici, quæ eſt uerè idolum alicuius magnatis, eoq́; multorum magnatum donaria ſunt allata. Ad hoc idolum confugiebant

bant laborantes morbo Gallico, ut ab illo liberarentur. Sed post comitia Augustana istam remouerunt statuam. Colere Annam locupletatricem, nihil aliud est, quàm colere Iunonem.

Fuit Vuitebergæ, paulo ante restaurationem huius doctrinæ sanioris, sacrificulus ualde robustus & crassus, ac bonus potator, iste quotannis solebat Dominica misericordiæ Domini, & in die omnium sanctorum ostendere reliquias sanctorum, ad quam ostensionem confluebant multa millia hominum ex finitimis undiq; locis, etiam ultra uiginti aut triginta milliaria distantibus. Habebat autem sacrificulus magnum catalogum, ex quo ordine legebat reliquias hominum mortuorum in illo libro inscriptas, easq; simul etiam ostendebat. Nos autem qui eramus in aula principis, ea etiam fortè uidebamus. Itaq; cum sacrificulus iste mane lecturus erat ordinem reliquiarum, scriptum in isto libro, & uesperi bene potus esset: facetus quidam homo Musicus in aula, pingebat inter illos articulos iisdem literis, quibus reliqui erant picti, talia uerba: Ein mercklicher partickel von Sancti Francisci bruch. Sacrificulus ignarus harum rerum, mane more solito ex libro declamat ordine singulas particulas reliquiarum, & cum uenisset ad uerba non prius lecta aut considerata, alta uoce clamabat: Ein mercklicher partickel von Sanct Francisci Bruch. Ibi inter dicendum admonitus de uocabulo Bruch, statim addit correctionem: Ey nein/ nein / von Sanct Francisci Buch solt ich sagen.

CON-

CONTEMPTORVM BLASphemorum & execrantium pœna.

Hoffman iturus ad conuentum Ratisbonensem, non procul ab Vlma, est mortuus in horribilibus mugitibus.

Heliodorus subita consternatione oppressus est, cùm templum in urbe Hierosolyma spoliaturus esset.

Latomus theologus Louaniensis moriturus mugijt sicut bos, & uociferatus est de suo dolore & peccato, quòd fuisset persecutus homines sanctos, & adiuuisset consilia necis contra conscientiam.

Dominicaster monachus monasterij in ipsa concione percutiebatur fulmine, cùm clamaret contra Euangelicam doctrinam: & ita est mortuus.

Ante paucos annos adolescentes duo inter se certauerunt, uter posset dicere atrocißimas execrationes: alter cœpit omnino furere in ipso certamine: ita Deus punit blasphemos.

Basileæ est editus liber de sceleribus Georgij Dauidis, qui fuit incola Hollandiæ, & multis finitimis regionibus notus. Ille impostor collegit ingentem pecuniam istis imposturis simulatione pietatis, ita ut aliquot millia aureorum collegerit, multos homines mirabiliter decepit suis fallacijs: postea factus est ciuis Basiliensis, emit arcem & egregia prædia. Mortuus quidem est sine supplicio: postea uerò re comperta, effossus & combustus est. Quanta scelera docuerit & fouerit, inuenietis in scripto ab academia Basiliensi edito.

edito, quod ueram uitæ ac dogmatum huius Dauidis narrationem continet. Fuit mirabilis impostor: excitauit magnas turbas in Holandia & uicinijs, deterioresq; blasphemias, quàm sunt Anabaptistarum. Scripta ipsius uerè antinomiæ sunt, quando uocant se spirituales, tunc affirmant se habere libertatem iuxta quamcunq; quouis etiam loco receptam doctrinam aut politiam uiuendi, omniaq; externa, siue in religione, siue in politijs ipsis libera & adiaphora habentur, modo istius Terij Dauidis Georgij spiritum habeant.

Ante paucos annos frater Tameri suspendit se, eo quòd cùm antea docuisset purè Euangelium de Christo, postea per fratrem esset abductus à uera sententia: sicq; pœnas dedit.

Fuit eques in urbe Eslingen die sanctæ Catharinæ, quo ibi frequens est mercatus. Hic postquam multum pecuniæ lusu perdiderat, uolens abire, iusso ministro adducere equos, usus est horrendis & abominandis execrationibus. Seruus dixit: Quare uis iam abire sub noctem: uiæ sunt difficiles, incidemus fortaßis in aquas (sicut ibi uiæ sunt malæ) expectemus crastinum diem. Ille pergit furere in illis execrationibus: seruus obtemperat: egrediuntur, fuerunt eorum tres. Nam præter equitem nobili aderat alius quidam adolescens, ex quo hanc narrationem audiui, postquam iam adoleuerat: erat honestus uir, dicebat se fuisse tunc istius ministrum. His ita non longè progreßis, occur-

occurrunt equites plurimi, magno cum sonitu complectentes in medio ipsum nobilem, & utrinq; collidentes, ita ut decideret de equo, quasi examinatus. Sed tantum fuit roboris in illo adolescente, qui habebat bonam adhuc conscientiam, ut penetraret illum equitatum & dominum duceret. Sed uiarum errore (cùm tamen non sit facilis erratio, sicut ipse dicebat) uagantibus & impeditis, tota illa nocte auditus est molestus ille equitum strepitus in altero latere: ad aliud uerò latus, ubi erat adolescens, equitatus non peruenit, eò quòd ipsi non possent Diaboli nocere. Deinde deducunt dominum circa auroram ad monasterium Bebembausen. Ibi decubuit ille triduo, & postea moritur. Talis est exitus talium horribilium execrationum.

Accidit in loco quodam uicino, ubi iuuenes quidam exhibuerunt ludos circa dies Bacchanaliorum: postea uerò sunt conuitiati inuicem, & certauerunt, quis posset dicere atrocißimas execrationes. Primus factus est mutus, secundus furiosus: & quid de cæteris fit, ignoro. Nondum enim rectè factum inquisiui. Memini Tubingæ puero exectam linguam esse, quod nouas horrendas execrationes usurpauerit.

Retulit mihi bonus amicus, propositam esse in Silesia cantilenam, continentem blasphemiam contra ministerium, in cuius principio inter cætera iactatur, concionatores Euangelicos dicere, quòd Deus ipsorum potestati sit alligatus, & cogatur facere, quodcunq; ipsi uelint. Tales plures execrandæ & detestandæ

uoces

uoces in illa cantilena recitantur. Illa peccata Deum irritabunt, ut ſint uenturæ pœnæ Turcicæ. Poteſtas enim debebat ſeueriſsimè tales blaſphemantes punire & tollere.

Anno 1551. in ferijs Pentecoſtes in Marchia, ex pago quodam Diabolus uiſibili ſpecie mulierem proferentem diras execrationes, in aërem ſubduxit, multis ſpectantibus, eamq; poſtea præcipitauit in uicinam uliginem. Factus eſt concurſus hominum uolentium uidere quo abduceretur. Cùm uerò ad eum locum uenirent, ubi mulier iaceret, inuenerunt eam obtorto collo iacentem, ac mortuam.

Ante aliquot annos in Thuringia, Diabolus etiam propter blaſphemiam abducere uolebat adoleſcentem multũ luctantem et repugnantem, qui tamen eſt ſeruatus: & ſtatim egit pœnitentiã. Profectò ſpecies hæ diaboli non ſunt inane terriculamentum, ſed uere horrenda exempla. Obſeruate diligenter hiſtorias tales, ut ſitis modeſtiores et diligentiores in uitandis execrationibus, & blaſphemijs nominis diuini, ſimulq; cogitetis de dicto Ioannis: Filius Dei apparuit ut deſtruat opera Diaboli. Deus nobis adſit & nos doceat. Hoc tempus in quo nunc uiuimus eſt periculoſum, non tantum propter inclinationem ſtellarum infelicem, ſed etiam propter diaboli inſidias, qui acerrimè iam ex omnibus partibus oppugnat Eccleſiam.

DE PERIVRIIS.

Cùm quidam Cygneæ peieraſſet propter quaſdam fodinas in oppido Schneberg, dicunt curiæ teſtudinem egiſſe

egisse rimas, quæ etiam nunc apparent, & deinceps nihil metalli in fodinis repertum esse: ac adhuc audio inutiles sumptus in illis fodinis extruendis collocari.

Nobilis quidam hostis imperij, siue Sueuici fœderis, captus erat à Palatino, à quo, ut ueniam ad sua negocia discedendi impetraret, iureiurando promisit se rediturum ad certum tempus in aulam Heydelbergensem. Postquam res uerò ita esset constituta, ut parceretur eius uitæ, Palatinus ipsi discessum permisit, hac conditione, ut iuramentum præstaret, quòd certo tempore rediret, ac se iudicio sisteret. Ille uerò, neglecto iuramento, non redijt: unde paulo pòst à Iudæo hospite suo, non procul à ualle Ioachimica proditus, ac bombarda ictus est. Talis fuit exitus illius periurij.

Anno 1528. quidam gregarius miles, fortè in ciuitate quadam saxonica aduersa ualetudine retentus. Ibi cùm decumberet, tradidit saccum refertum magna pecunia hospiti custodiendum. Post aliquot dies cùm conualesceret reposcit saccum. Mulier hospitis auara, ægrè tantam prædam amittens, deliberat cum uiro, utrum pecuniam redderet an non? Iniuerunt consilium, ut mulier neget depositum. Quare cùm miles suum repeteret, illa confidenter negat se quicquam accepisse, ac simulat se mirari impudentiam militis, audentis aliquid postulare, cùm nihil asseruandum dederit, & inuehitur in militem conuitijs rabiosissimè. Miles indignitate rei uictus obijcit uicißim mulieri perfidiam. Quare maritus tanquam defensurus coniugem, extrudit militem domo. Is autem foris irritatus scelere

hospitis, stringit gladium, tanquam impetum facturus in hospitem, & fregit ianuam. Hospes implorat fidem ciuium, & queritur suas ædes oppugnari. Accurrunt lictores, & militem, quòd uim publicam fecisset, abducunt in carcerem. Post aliquot dies Senatus oppidi aliò mitti narrationem facti, & sententiam rescribi petit. Constabat, ædes publicè oppugnatas esse: quare fertur sententia, ut miles ultimo supplicio afficiatur. Cumq; iam instaret dies iudicij, uenit Diabolus *in carcerem ad captiuum, indicans ei, quam sententiam* Iudices *laturi sint, & policetur se hoc periculo eum liberaturum esse, hac conditione, ut se* Diabolo *dedat.* Miles *constanter respondit, se potius moriturum esse, quamuis sit innocens. Cùm uerò* Diabolus *uerbis multis exaggerasset periculum, nec tamen inflexisset militis animum: tandem policetur liberationem sine ulla conditione.* Et *cùm ueneris, inquit, in iudicium, dic te imperitum esse forensium negociorum, & patrono indigere: ibi astabo cæruleo pileo tectus, & ornato pennis: pete igitur ut me iubeant caussam dicere.* Miles *qui hoc sine impietate facturus uidebatur, ait se hoc consilio usurum esse.* Postridie *in iudicium ducitur, adest etiam* Orator *tectus cæruleo pileo, ibi cùm actor peteret militem propter uim publicam capitali supplicio affici, miles respondit: se imperitum forensium negociorum, petere ut liceat isti suo aduocato pro se dicere: concedunt* Iudices. Ibi Diabolus *de iure eruditè disputat, non esse capitali supplicio afficiendum eum, à quo non sit ortum rixæ & tumultus*

multus initium: ait ab hoſpite militem ui extruſum, & ſpoliatum eſſe. Iubet quæri ſaccum, et locum monſtrat. Ibi cum hoſpes uehementer negaret, addens etiam diras imprecationes, ut ipſum abreptum diabolus perderet, ſi feciſſet. Hanc imprecationem cum inuocatione diaboli cùm aliquoties repetiuiſſet, ibi Cauſidicus omiſſa iam diſputatione adoritur hoſpitem, & comprehenſum per feneſtras & medium forum omnibus perhorreſcentibus cum fragore abducit: nec poſtea unquam corpus hoſpitis inuentum eſt. Hoc exemplo puniuit Deus hoſpitis perfidiam.

Nota historiam

Iuramentum ſeruantis exemplum.

Quidam nobilis indicens bellum Georgio Duci Saxoniæ, cepit forte D. Fachium, ipſumq́; diu captiuum detinuit, nec prius dimiſit, quàm promitteret ſe ſoluturum tria millia aureorum, hic ita rediјt domum, hac promiſſione cum iuramento facta. Cum igitur liberatus eſſet, ibat ad iudicium publicum (zum Hoffgericht) & ueniens ad aulam Ducis Georgij, petebat æquitatem conſiderari, & ſui infortunij rationem haberi, quandoquidem in publico negocio eſſet captus. Dux Georgius reſpondit, ſe non uelle eius nomine obulum ſoluere, nec uelle confirmare latrocinia, ſicut erat ſeuerus, ille tamen uoluit ſeruare fidem promiſſam in iuramento: tandem Moguntinus qui iam mortuus eſt, dedit illi mille aureos, & Dominus item de Schonberg dedit illi alteros mille aureos, & ipſe de ſua atq; amicorum contributione etiam mille collegit. Ita tradidit ei qui ipſum captiuum tenuerat

tria millia aureorum, & seruauit iuramentum, quod promiserat. Viuit iam, & bene cum ipso agitur.

TERTIVM PRÆCEPTUM

CVLTVS FESTORVM.

Venerunt ad Alphonsum, regem Hispaniæ, qui patrum nostrorum memoria uixit, in die natalis Christi quidam eius capitanei, dicentes, facilè & oportunè posse opprimi hostes. Ibi respondisse eum ferunt: Pluris facio istum diem, quam ullam uictoriam, tamen postea feliciter uicit.

Vidi Iudæum fœneratorem: qui solebat Typographis quibusdam pecuniā credere propter usuram. Hunc si quando impressores accedebant die sabbathi, ipsi quidem religio erat numerare eis pecuniā, sed dabat tantū illis clauem ad mensam, iubebatq; numerare quantum uellent: ipse interea astans aspiciebat, ne fraudem aut dolum committerent. Idq; hanc ob causam fecit, ne uiolaret præceptum tertium, cum tamen ipse aspiciendo quoq; numeraret: deinde etiam ne manibus committeret peccatum, quibus pecuniam ad usuras dedisset.

Vidi aliquando, quód Iudæi in sabbatho conducerent quendam Christianum, qui calefaceret, coqueret, & mucos candelarum decerperet.

Accidit Magdeburgi, ut die sabbathi Iudæus in cloacam incideret, ibi Iudæi tanti faciebant suum sabbathum, ut ipsum eo die extrahere nollent. Re delata ad episcopum Magdeburgensem Ernestum, inquit: Cùm

Iudæi

Iudæi tanti faciunt suum sabbathum, ut hominem ex cloaca extrahere nolint, ergo etiam nostrum sabbathun tanti faciamus, ac prohibuit ne die Dominico Iudæus extraheretur. Ita oportuit illum Iudæum biduum manere in cloaca. Tertio tandem die extractus est.

Templi Hierosolymitani structura.

Templum Hierosolymitanum oblongum fuit, ante quod foris in atrio extructum erat altare holocausti, in quo boues aliaq; animalia ablata in sacrificijs cremebantur. In ipso enim templo hæc comburere periculosum propter ignem & fumum fuisset. Sic quoque lauaera, in quibus cum animalia mactata, tum etiam ipsi sacerdotes lauarentur, foris collocata fuerunt. Postea in ipso templi corpore, situm fuit altare thymiamatis, in quo fumigationes fiebant, quemadmodum etiam nunc apud Papistas similes ferè fumigationes in usu sunt. Ad alterum uarò latus altaris thymiamatis stetit candelabrum, cum aliòqui templum obscurum esset. Populus uerò non intrauit templum, sed foris extra templum stetit, & solus sacerdos templum ingressus est. Deinde ulterius in templo fuit Sanctum sanctorum, eodem ferè modo sicut adhuc chorus est distinctus à reliquo templi spacio, seu corpore, in antiquis templis (non loquor de barbarie harū gentiū) quod generaliter nos aditum apellare possumus, seu locum secretiorem: unde populus arcebatur, nec quisquam eò ingredi audebat, nec alius sacerdos, nisi summus semel in anno. Eo in loco collocata erat arca

fœderis, sub eam positum fuit operculum, quod nominarunt Propitiatoriũ, sub quo duo Cherubim fuerunt.

CONTEMPTVS FESTORVM.

Dominus Philippus aliquando quendam interrogauit, quale esset festum? respondit, festum trium regum, cum esset festum purificationis Mariæ.

Fuit Athenis pessimus homo Cynesias, qui ut derideret religionem, egit contraria festa populo: quando illi læta celebrabant, tunc ipse celebrabat funebria. Tales omni tempore reperiuntur.

Noui ciuitatem in qua concionatores die Natali singuli finita concione redierunt ad suas tabernas, & fecerunt usitata sua opera, sicut alio die profesto. Quia superstitionem esse, discernere dies, affirmabant. Est hyperbole.

Memini phantasticum hominem prædicantem die Natiuitatis, historiam passionis Christi, & econtrà tempore passionis, Nauitatem: ut tantum non esset papista. Tales inepti & importuni homines, omnibus temporibus multi reperiuntur. Non dubium est, quin angeli in cœlo seruant illa festa, Deoq; agunt gratias in excelsis pro istis immensis beneficijs, commonefacti de tempore. Si quis uerò non aliter tempus accedendi templum atq; balneandi obseruare uellet, qualis esset confusio? quanquam illud opus sua natura non esset peccatum: tamen propter illam inordinationem, magistratus est huiusmodi non impunita relinquere.

QVAR-

QVARTVM PRAE-
ceptum.

DE VOCATIONE, SE-
dulitate ac diligentia in ea.

Contrariæ orationes Virtutis & Voluptatis, ad Herculem deliberantem vtram vitæ viam ingrediatur, Voluptatis ne an Virtutis, ex Prodici libro transſcriptæ.

Cum Hercules ex pueritia egreſſus, iamq́; prope pubertatem eſſet, qua ætate ſua compotes facti adoleſcentes ſignificant, utram uiam uirtutis an ignauiæ ingredi uelint, exijt in ſolum locum, ſeditq́; tacitus deliberans, utram uiam iniret. Hic apparuerunt ei duæ mulierculæ maiores humana ſpecie, quarum altera uultu modeſto, & liberali erat, nullo peregrino cultu aut fuco ornata, ſed genuina bonitas formæ apparebat: in corpore mundicits, in oculis pudor, in inceſſu modeſtia: ueſtem præterea candidam gerens. Altera erat habitior & fucata. Nam & robur & candor maior erat natiuo, & incendebat ſupina, oculos latè pandens, ueſte induta, quæ formam maximè commendabat, contemplans interim ſe, & circumſpectans, an alij ſe uiderent, nonnunquam etiam umbram ſuam reſpiciens. Poſtquam autem propius uentum eſt, illa prior modeſtè pergebat. Hæc autem ut anteuerteret accurrit ad Herculem, ac inquit: Video te ô Hercules, deliberare utram uiam ad uitam ingrediaris: quod

ſi me tibi adiunxeris, ducam te iucundiſsima & facilima uia. Nulla *res iucunda eſt, qua non potieris, & moleſtiam nullam perpetieris, neq; enim aut bella aut alia negocia curabis, ſed hoc unum cogitabis ac quæres, ubi aut cibum aut potum ſuauiorem, aut quod delectet oculos, aut unde olfaciendo, aut tangendo aliquam uoluptatem percipias, aut ubi amoribus perfruaris, aut quomodo molliſsimè cubes, aut quomodo hæc omnia ſine aliquo labore conſequaris.* Et *ſi quis inciderit metus egeſtatis, non eſt quod timeas me tibi aliquid laboris impoſiturũ eſſe.* Efficiam *enim, ut fruaris his quæ alieno labore parta ſunt in promptu: nec ulla re abſtinebis, unde modo ſperes te aliquam uoluptatem poſſe lucrifacere.* Ego *enim meis ſodalibus poteſtatem facio ex omnibus rebus uoluptatem decerpere.* Hæc Hercules *audiens, inquit:* Mulier, *quod eſt tibi nomen?* Tum *illa:* Mei *ſodales uocant me* Felicitatem, *qui me aſpernantur, uocant me* Ignauiam. Interea *acceſſit & altera mulier, dixitq;:* Venio *& ego ad te, adoleſcens.* Noui *autem & generoſos parentes tuos, & indolem educationemq; tuam.* Hæc *mihi ſpem faciunt, fore, ut ſi me ſecutus fueris, magnas & honeſtas res geras, & me multo apud homines clariorem efficias, nec te longa præfatione, quæ ad uoluptatem fingi ſolet, morabor, ſed ſimpliciter id quod res eſt, uereq; narrabo, quod dij conſtituerunt.* Nulla *uerò bona ſine labore curaq; mortalibus dij dederunt: ſed ſiue deos tibi uis eſſe propitios, placandi ſunt, ſiue ab alijs diligi uis, beneficijs adiungendi ſunt, ſiue honore affici*

fici à ciuibus cupis, bene mereri te de patria oportet, siue uis in admiratione esse apud omnes Græcos, bene factis id consequi oportet, siue uis, ut terra tibi pariat fruges, colenda est: siue ex pecudibus ditescere uis; pascendæ sunt: siue bello opes tuas augere uoles, ut socios in libertatem asseras, & inimicos in seruitutem redigas, bellicæ artes discendæ sunt ab illis, qui eas nouerunt, & exercendæ, ut quomodo eis utendum sit scias. Si robur corporis uis confirmare, consuefaciendum est, ut rationi obediat, & exercendum magno labore ac sudore. Quod cùm dixisset Virtus, interpellat eam Ignauia, inquiens: Vides, Hercules, quàm asperam & longam uiam ad felicitatem hæc mulier ostendat, ad quam ego tibi compendiariam & planam uiam monstraui. Tum Virtus: O misera, dic nunquid habeas boni, & nunquid suaue unquam cognoueris, quæ nullum laborem uis illorum consequendorum caussa suscipere: Et ne quidem expectes naturale desiderium suauium rerum, sed antequam natura expetat eas, imples atq; obruis te: edis, priusquam esuris: bibis antequam sitis: condimenta uaria ad irritandam famem excogitas: uina preciosa, ut inuites sitim comparas. Et ut suauiter dormias, non modo mollia strata, sed etiam lectos facis. Somnium enim accersis, non ut per laboris interualla quiescas, sed inopia negocij: sine pudore ac legum metu, amori operam das: nocte abuteris, & optimam diei partem somno perdis. Et cum deam te esse glorieris, ex deorum numero eiecta es. Aspernantur te &

honesti homines, neq; unquam suauißimum carmen tuas laudes celebrans audiuisti: & pulcherrimum spectaculum nunquam uidisti. Nullum enim unquam *rectè factum tuum spectasti.* Quis tibi improba credet? *quis egenti dabit aliquid? quis sanæ mentis in tuo choro esse uelit?* Vbi iuuenes imbecilli corpore sunt, *senes fatui, qui cùm adolescentiam in ocio perdiderint, senectutem miseram & calamitosam agunt, tunc & pudet anteactæ uitæ, & piget primùm quærere necessaria ætati subsidia: suauia in adolescentia ante tempus præcerpserunt, laborem & ærumnas in ætatem eam distulerunt.* Ego *uerò apud deos uersor, & apud honestos homines: nullum honestum facinus neq; dij neq; homines sine me faciunt.* Ideoq; *me & dij & homines honore afficiunt.* Grata *sum opitulatrix artificum, fida custos familiæ dominorum, beneuola adiutrix seruorum, iucunda comes laborum, in pace firma periculorum, in bello auxiliatrix, optima amicitiæ socia: & mei amici suaues uoluptates sine fastidio percipiunt ex cibo & potu.* Expectant *enim illorum naturale desiderium, somnus etiam suauior eis est, quàm ociosis, quem etiam si opus est sine molestia abrumpunt, ne propter hunc necessaria intermittant.* Iuuenes *senum laudibus gaudent: & senes delectantur iuuenum honoribus, & incredibili uoluptate rerum à se gestarum meminerunt, & sine difficultate præsentes labores conficiunt.* Per *me dijs clari, amicis chari ac patriæ.* Et *cum ex hac uita discedendum est, non obscuri aut ignoti iacent, sed laudes*

des eorum perpetuo à posteris prædicantur. Hæc tibi *ô fili bonorum parentum* Hercules, *contingent, & ueram felicitatem stabilemq; ita consequeris, si laborem non defugias.*

Cuilibet quædam incommoda in vocatione sunt ferenda.

Cum Alexander *uulnus in prælio accepisset, clamauit miles* Beotius: Agentem *fortiter oportet* aliquid *pati:* τὸν δρῶντα δεινὰ καὶ παθεῖν δεῖ. Est *dictum* Pindari, *cum* Alexander *iußisset inquiri, quis esset? significatum esse quendam* Thebanum: *cuius fortitudine motus, deinceps pœnitentia ductus est, quòd antea tantam urbem* Thebanam *deleuisset, benefecitq; singulis* Thebanis, *qui ad eum uenirent.* Illum *autem militem ad se adduci iußit, ac* honorifico *munere ornauit: ita singulis, & quidem sedulis in sua uocatione multa ferenda & patienda sunt.*

Durerus, *cum* Maximilianus Imperator *carbone imaginem aliquam delineasset, quam ab ipso pingi nolebat, & carbo aliquoties fractus esset, eandem postea expeditius pinxit.* Ibi Maximilianus *quæsiuit à* Durero, *quomodo fieret, ut ipsius carbo non frangeretur.* Subridens Durerus *respondit:* Clementißime Cæsar, *nollem equidem* Cæsaream *tuam maiestatem tam artificiose pingere posse atq; ego: quasi diceret: in hac re ego me exercui, & hæc est mea uocatio: tua maiestas habet grauiora negocia, et aliam*

uocatio-

uocationem, iuxta illud commune prouerbium: Aliud *est sceptrum, aliud plectrum.*

Princeps Moscouiæ in acie alium principem suum hostem cepit, eumq; interfecit, & ex interempti cranio curauit sibi poculum fieri, cum hac inscriptione, in contumeliam interfecti: Quia aliena appetiuisti, propria amisisti.

Aristoteles dicit: Beatam fore uitam hominum, si artifices iudicarent de artibus. Fuit excellens pictor Romæ, tempore Traiani. Hadrianus autem polypragmon erat. Cùm ergo Imperator proponeret formam ædificij, Hadrianus eam quoq; pinxit suo iudicio. Pictor uerò dixit ad eum: Vade & pinge tu cucurbitas, quo responso irritatus Hadrianus, postquam peruenit ad imperium, interfecit hunc pictorem. Cucurbitas enim quiuis pingere potest, quia inequaliter crescunt: & eò facilius, quòd habeant magnum aliquem uentrem, cui petiolum aliquem facilè ineruditi etiam artis pictoriæ adiungere possunt.

Propria curanda in vocatione.

De Seuero Imperatore dicitur, quòd curarit res ipsas agendas, ea uerò quæ de ipso dicebantur à uulgo contempserit. Idem dicitur de Fabio:

Non ponebat enim rumores ante salutem.

Non improbanda Italorum consuetudo est, qui se dedunt uni tantum rei, idq; ita, ut prorsus cætera negocia & studia negligant. Germanorum non est ista consuetudo, ut in uno excellant, & cætera negligant. In Italia habent peculiares sartores caligarum,

rum, & peculiares ſartores thoracum, & aliarum ueſtium.

ἱππεὺς ἱππεύειν ἴσεται ἀοιδός τε καὶ ἄδειν.

Ariſtophanes de Cleone dixit, ipſum alterum pedem habere in curia, & alterum in caſtris, id eſt, uoluiſſe omnia regere, quæ non eſſent ſui officij. Sententia eſt bona: ſignificans debere eſſe magnitudinem animorum coniunctam cum moderatione, ita ut non temerè pugnemus.

Leontinus Epiſcopus, Conſtantino Imperatori, uolenti multa de Religione diſputare, dicebat Imperator: πρὸς ἕτερα ταχθεὶς, ἕτερα πράττεις: *ad alia ordinatus, alia facis.*

Spartam nactus es, hanc orna.

Hoc eſt ſymbolum Ducis Iuliacenſis. Sparta autem fuit præcipua urbs in Laconia, iam uocata Lyſimachus, id eſt, ſolutio exercituum: Græcia enim tota iam eſt in ſeruitute. Hîc prouerbialiter ponitur, pro eo, quod eſt, habes honeſtum locum, honeſtam functionem, illam ornes, non curioſè quæras aliena, non ingeras te alienis negocijs aut functionibus. In Epiſtolis Ciceronis ad Atticum, bis ponitur hoc prouerbium, de uitanda curioſitate in aliorum ſtudijs aut negocijs.

Quæ præcipua ſit cauſa ſucceſſuum in vocationibus, earumq́ laboribus.

Ouidius de fœlici labore Poetarum (quod idem de omnium labore intelligi poteſt) inquit:

Eſt

Est Deus in nobis agitante calescimus illo.

Vult hic Ouidius significare, quòd tum demum habitus sint excellentes, quando adiuuantur diuinitus. Noster Imperator Carolus V. est excellens bellator, eò quòd consilia & conatus eius diuina prouidentia gubernantur.

Negocia in vocatione vrgenda.

Noster Imperator Carolus V. habebat diu hanc consuetudinem, ut urgeret negocia, & habebat librum in quo solebat notare: Hoc negocium eo tempore, uel die est urgendum, & perficiendum: sed cum senuisset, interdum negocia alijs curanda reliquit.

Seneca.

Difficile est unum hominem agere, id est, non extra metas uocationis euagari. Stultus qui parata relinquens, quærit non parata.

In quadam arce Gallica inuenitur uetus aulæum, in quo depicta sedet mulier nens, cui adiunctus est hic uersus:

Nenti fila Deus & mentem iungit Olympo.

Hoc aulæum Rex Franciscus sæpe aspexisse dicitur, ac disputasse de ea sententia. Miratus est meritò sententiam, ut sapiens & unus ex præstantibus regibus, quales olim magnifici reges fuerunt, sapientia & magnitudine animi excellentes. Est autem sensus carminis. Nenti fila Deus iungit, id est: Deus iuuat laborem uocationis, ipsumq; suo auxilio regit, & mentem iungit Olympo, id est: Deus addit præliatori animum, & gladium eius in acie gubernat. Et sic inter

ter nendum cogitat de Deo, ſimulq́; idem miles inter præliandum eiuſdem auxilium inuocat.

Seneca.

Magna pars uitæ humanæ elabitur nihil agendo: maior pars male agendo: maxima aliud agendo, id eſt, non neceſſaria agendo.

Columella in præceptis quæ paterfamiliâs præſcribit, ſcriptum reliquit: Nihil agendo homines male agere diſcunt.

Pictor quidam uenit ad Apellem, monſtrans ei picturam quandam, & excuſans ſe, quòd non arte pinxiſſet. Ibi Apelles, inquit: Non eſt opus iſto præconio, nam & ego idipſum optimè uideo. Reprehendit in eo laboris negligentiam & ignauiam.

Vocationi obtemperandum.

Erat hic in uicino quodam oppido Diaconus, qui uocabatur à ciuibus Pricenſibus ad conditionem paſtoris. Hic cùm Doctor Martinus eum alloqueretur, an uellet hanc conditionē ſuſcipere, reſpondit aliquoties. Quicquid Deus uult, quicquid Deus uult: cui dominus Philippus dicebat: Ey oportet etiam accedere tuam uoluntatem. Cui tandem uocationi obtemperauit.

Siculus quidam in conuentu Ratisbonenſi faciebat ex charta cantharum, & alia ſimilia, quibus multos ſpectatores alliciebat, propterea ducebatur in cuiuſdã aulam. Sic quidam, qui aſſueuerat iacere grana per foramen acus, cùm eſſet deductus ad Alexandrum, ut eius phantaſias aſpiceret, uiſis illis, Alexander iuſsit ei dari modium granorum, ut haberet quod deijceret.

Came-

Camelus appetens cornua, amisit etiam aures.

Est pulcher apologus, si quis accommodet ad uocationis exempla: alius appetens alienum principatum, amisit suum. Cera uolebat imitari lateres, & miecit se in ignem, uoluit durari, sed igne consumitur: sic quando is uult esse aulicus, qui non est idoneus, tunc conijcit se in ignem et consumitur. Plerunq; conijcimus nos in ingentia negocia, quibus non sumus pares, cuius contrarium docet hic uersiculus:

Quod sis, esse velis, nihilq; malis.

Fingunt apud inferos Sisyphum immane saxum in aduersum montem uoluere, quod iterum è summo iam uertice rursus labitur, & planè raptim petit æquora campi. Significari scribunt isto commento, irrito labore multos mortales confici.

Quidam pictor picturus uenationem cuidam Domino, *cùm pinxisset magnas arbores, lepores autem & canes ita, ut uix discerni possent, displicuit pictura domino, dicenti, se non posse dignoscere lepores à canibus, ibi pictor accepto carbone inscripsit canibus* Hund, *& leporibus* Haß, *ita curiosus fuit circa parerga, neglectis ergis.*

Pindarus laudat Hieronem Siculum, *principem suæ ætatis, propter quatuor uirtutes, quarum una est, quòd præsentia sapienter faciat, & non corrumpatur spe aut metu.*

Noster *Lucas senior fuit septuagenarius, is ut bonus & honestus uir, fuit sedulus in sua uocatione, et pinxit*

totos

totos dies quando fuit domi: surgebat ante familiam, pingebat etiam uesperi ad lychnum. Illa diligentia uocationis fuit ipsi summæ suauitatis. Putasne Stigelio esse molestum, facere uersus? Mihi & tibi est magna molestia: ipsi est tam naturale, quàm aui uolare in aëre, sicut dicitur: Marti arma non sunt oneri.

Cùm ad Philippum regem Macedonicũ mißi essent legati Attici, & ipse Philippus tunc quidem dormiret: Parmenio ante ianuam cubiculi stans, iußit eos paululum expectare. Ipsi superbi ægrè ferebant illam morã, ibi Parmenio dixit ad eos: Sinite illum paulisper dormire, nam tunc cùm uos dormiretis (scilicet in Repub.) ipse uigilauit. Erat acutum responsum, monens oportere esse intentos in occasionem eos, qui uolunt aliquid in sua uocatione feliciter perficere.

OECONOMIAE gubernatio.

Audiui ex mea matre, agriculturam distribuendam esse in tres tertias, seu in tres partes: unã partem absumere ipsam agriculturã, alteram partem esse collocandam in sustentandam familiã. Reliquam uerò dari Magistratibus, & si quid reliquum fuerit reponendum.

Ferunt de coniuge potentis Monarchæ quod illa ægerrimè tulerit, quando uideret filijs apponi lautias ciborum, ita ut semper dixerit: Non educate ipsos ad apparatum splendidum, date illis cibos plebeios, quibus ut asuescant: ut si hodie uel cras fortuna mutaretur, ferre inopiam possent.

Εἷς ἐστὶ δοῦλος οἰκίας ὁ δεσπότης, id est:

In quaq; seruus vnus est herus domo.

Ille uersus Doctori Martino adeò placuit, ut his sequentibus rhythmis eum transtulerit.

Es ist gewis ein frommer Mann/
Der sich vmb sein Weib nimet an.
Es ist gewiß ein frommes Weib/
Wo sie bey einem Manne bleibt.
Ein Eheman sol gedůldig sein/
Sein Weib nicht halten als ein Schwein.
Ein Hausfraw sol vernůnfftig sein/
Das Mannes weise lernen fein.
Da wird Gott geben gnad darzu/
Das jnen die Ehe gar sanffte thu.
Vnd wird dem Teuffel wehren wol/
Das er sein list nicht enden soll.
Der Mann mus selber sein der Knecht/
Wil ers im Hause finden recht.
Die Fraw mus selber sein die Magd/
Wil sie im Hause schaffen raht.
Gsinde nimmer mehr bedenckt/
Was schad vnd nutz im Hause brengt.
Es ist jhnen nicht gelegen dran/
Weil sie es nicht fůr eigen han.

Alij rhythmi D. Philippi.

Allmusen geben armet nicht/
Kirchen gehen seumet nicht.
Vnrecht gut faselt nicht/
Gottes Wort treuget nicht.

Alij eiusdem.

Wer da mehr wil verzeren/
Dann sein pflug kan erehren.
Der muß zu letzt verderben/
Vnd villeicht am Galgen sterben.

Horum hæc sententia est:

Si quis de paruis uult plura absumere rebus,
Quærere quàm uigili sedulitate potest:
Is mendicando uictum petet ostia pulsans:
Aut feret huic tristem crux laqueusq; necem.

Interrogatus Libycus, qua re optimè stercoretur ager, respondit: Stercore, quod cadit de calceis Domini, iuxta illud: Oculus Domini saginat equum.

Non emas, quod opus, sed quod necessarium est. Item: Oportet patrem familiâs esse uendacem, non emacem. Hæc & similia pertinent ad prudentiam œconomicam.

Doctor Martinus Lutherus solebat dicere: minus nocet ignauus fur, quàm segnis minister. Est pulchrum & argutum dictum.

Columella.

Bona nomina oportet sæpe interpellari, ne fiant incerta, id est: fideles debitores etiam sæpius admonendi, ne obliuiscantur debiti.

De optimo thesauro patrisfamilias.

Cùm Eberhardus Dux Vuirtembergensis esset

Florentiæ, hoſpes ſuus præſtantiſſimus uir, monſtrauit ipſi ſua armamenta, & argentea & aurea uaſa, Tertio idem hoſpes die dixit ad illuſtriſſimum Ducem: Monſtrabo tibi adhuc pulcherrimum & præſtantiſſimum theſaurum, duxitq́; eum in conclaue, ubi ſtabant ordine liberi cum præceptore Politiano, & ab altera parte coniunx cum filiabus. Sapientiſſimus Dux cum magna admiratione, huius ſui hoſpitis familiam intuetur: Quid, inquit. pulchrius eſſe poteſt hoc ordine.

Iuriſconſultorum dictum: Naturale eſt, ut quod multis committitur, negligenter fiat.

Xenophon dicit de Cyro, quòd mandaturus, aliquid, nunquam dicere ſolitus ſit: Hoc aliquis faciat, ſed addidit nominatim: Hoc tu facias.

Ariſtoteles dicit, duplicem eſſe mercaturam οἰκονομικὴν καὶ καπηλευτικὴν, οἰκονομικὴ honeſta cenſetur, eſtq́; quando quis ea uendit, quæ ſibi domi ſuæ, uel natura, uel induſtria prouenerunt, & ad ſuæ familiæ ſuſtentationem ſuperſunt. Huiuſmodi quiuis paterfamiliâs honeſtè uendit, etiamſi uel nobilis ſit. καπηλευτικὴ eſt res paruas emere, & poſtea alijs uendere, ut faciunt propolæ, item proxenetam ſeu pararium agere. Hoc ſanè genus mercaturæ, uirum nobilem aut honeſtum minimè decet.

AFFECTVS.

Diſputabat quidam ante aliquot annos Lipſiæ, non eſſe Chriſtianum iraſci: ſed uanum eſt dicere, affectus non eſſe in homine. Nam de Chriſto ipſo dicitur in Lu-

in Luca, quod circumspexerit iratus: Ira est affectus conditus à Deo in natura. Quòd iam inordinatè irascamur, id fit uitio corruptæ naturæ, sicut inordinatè amamus, Deus ipse, Christus & angeli eius irascuntur diabolis, & organis eius blasphemantibus.

Timantes pictor pinxit mactationem Iphigeniæ, & quia non potuit pingere uultum patris mœstum, pinxit illum tectum. Quia dolores & affectus animi non possunt satis exprimi.

Quare sint conditi στοργαὶ in natura hominum.

1. Vt sint initia uirtutum.
2. Vt sint testimonia de amore Dei erga genus humanū.

In diabolis non sunt στοργαὶ, quia sunt nimis rabiosi.

Quare habent vaccæ sua vbera in ima parte ventris?

Propter coctionem.

Vbi habet mater sua vbera.

In pectore: quia non tantum alit, sed debet docere & transmittere cor, id est, στοργὴν in sobolem. Bruta sui mutuo obliuiscuntur: quòd homines non decet facere: quamuis etiam de equis dicatur, in ijs esse στοργὴν, quod est credibile, & exempla commemorantur.

ΣΤΟΡΓΑΙ PARENTVM ERGA sobolem, & econtrà liberorum erga parentes.

Apud Euripidem Andromache offert se ad necem ut parcatur filio: quo exemplo Poeta pulchrè illum naturalem matris affectum erga filium depingit. Simile est in historia Salomonis.

Cum Agesilaum regem Spartanorum, domi suæ cum liberis paruis in baculo equitantem deprehendisset quidam ex ducibus casu interueniens, atq; admirans regem, & quidem talem, quo illa ætate nullus uir præstantior in tota Græcia esse iudicabatur, hoc modo cum pueris colludere: petit Agesilaus ueniam ab isto, siquidem hic ludus uideretur alienus à regia grauitate. Deinde addit, se non tantum oneris ipsi imponere, ut perpetuò hanc rem taceat, sed rogat, ut tantisper sileat, donec ipse liberos haberet: significans eum, qui liberos non haberet, non intelligere, quid habeant hi lusus, non modo uoluptatis, sed etiam utilitatis. Quamuis enim per se ridiculæ res sunt, tamen ad disciplinam & mores formandos pertinent. Et prudens pater intelligit, magnam esse uim assuefactionis in tenera ætate, etiam in his leuißimis exercitijs.

Amor descendit: Vnde amatores in ipsorum rythmis flammas descendentes pinguut, eodem etiam modo summi reges et principes in tapetis flammas descendentes habent, præcipuè in stragulis equorum. Significant his flammis descendentibus, quòd diligant subditos, & quod uelint benefici esse erga subditos, ipsosq; fouere, & contra iniurias notorias defendere.

Cum Archidamus esset reuersus in patriam, parta uictoria & superato hoste prodierunt illi obuiam ciues ac amici: ibi scribit Xenophon, quòd pater conspecto filio lachymauerit. Quemadmodum & Fridericus Imperator, cùm filius Maximilianus Imperator crearetur, stetit senex ille & cœpit lachrymare.

Quan-

Quanquam hic noster Imperator Carolus, cùm traderet filio Philippo coram statibus Burgundicis & alijs regionibus, summam illarum gubernationem lachrymauerit, inquiens: Non *miremini, illa sunt senectæ, senes facilè lachrymantur, ut est in uersu* Homeri: ἀριδάκρυες ἄνδρες, *id est: boni uiri facilè lachrymantur.* Vidi *doctorem* Martinum Lutherum *in aliena causa effusißimè lachrymantem, cùm esset in suis calamitatibus animosißimus.* Domi *cum uideret filiam morientem, effundebat profusißimas lachrymas.* Cùm *autem prodiret in funus suæ filiæ, ibi in publico repressit se, ita ut ne quidem guttula lachrymarum in ipso conspiceretur.*

Apud Philosophos *est quæstio, an pater magis diligat filium quam filiam.* Respondetur *quòd magis diligat filiam quia antefert hoc, quod est imbecillius.* Asina *salit per ignem, ut opituletur pullo.* Est *ualde mirabile in draconibus, & euidens simulachrum taliũ adfectuum, quod est apud* Platonem. Draco *incidit in uiatorem, quem adducit secum ad specum, ubi erant dracunculi sui, quo cùm uentum esset, intelligit uiator eos eximendos esse ex illo specu, et exemit.* Ibi *circumit eum draco, tanquam gratulabundus, illumq́; dimittit incolumem.*

Epaminundas *interrogatus, quid ei in tota uita iucundißimum accidisset:* Respondit, *inde se maximam uoluptatem cepisse, quòd uiuis parentibus liberasset seruitute patriam, uictis ingenti prælio* Lacedæ-

monijs, & quòd parentes suos adhuc uiuos haberet suorum bonorum spectatores.

Iohannes Murmelius, cùm in enarratione Virgilij, incidisset in uersiculum:

Omnis in Ascanio chari stat cura parentis.

O dicebat ad suos discipulos, hunc uersiculũ nemo uestrum intelliget, priusquam ipse liberos habuerit.

Clemens citat contra phanaticos homines, qui uolebant constituere in Ecclesia ἀπάθειαν, *quod Petrus dixerit se dolere cum uideret coniugem duci ad supplicium, & affatus sit eam clara uoce, ut esset memor Domini. Ipse est Romæ interfectus à Nerone, teste Aegesippo, cui credo, quin scriptum eius uetus est.*

D. Martinus Lutherus.

Iuniores infantes recens nati plus diliguntur & plus afficiunt parentes, quia illi liberi plus indigent affectuum, ut diligenter custodiantur: Cæteri uerò paulo magis adulti, & iam fari ualentes non tantum curæ requirunt. Ideo amor parentum, semper & simpliciter magis descendit ad nouiter natos

Carens στοργῇ illa naturali.

Monetarius autor seditionis in Thuringia, cum natus esset ei filius, sedens inter pocula, dixit ad nuncios, gratulantes ipsi de nato infante: Videte amici, ego planè affectibus careo, & à consideratione creaturarum abreptus sum: uerùm à stultitiæ & fatuorum affectibus non erat abreptus.

ΣΤΟΡΓΑΙ FRATRUM.

Vidi optime consentientes fratres laudatißimos

princi-

principes Palatines, erant lætißimi & hilares, quando conueniebant. Eratq; inter eos magna σοργὴ. Episcopus Ratisbonensis erat festiuus, sæpe exhilarabat fratrem, sumebat personam aurigæ Norimbergæ, uendebatq; cocta oua uilißimo precio mulieribus, & multa in culinam fratris, qui tunc temporis erat Norimbergæ, perueniebant. Frater conquerebatur de fraude & dolo uenditoris ouorum. Indicata causa, hoc lepôre, eo tempore fratrem eiusq; hospites exhilarabat.

Xerxes & frater, cum certarent non de tribus capellis, ut dicitur: sed de illo pulcherrimo regno Persarum, quo postea nullũ fuit pulchrius, ibi de tanto regno ita certarunt, ut interea nulla iracundiæ, aut odij labes esset in animo, sed potius maioribus inter se officijs certarent. De ipsa autem controuersia patrem iudicem constituerunt.

Inter Fridericum & Vuilhelmum duces Saxoniæ fratres, gestum est bellum ad triennium ferè, ibi cùm Vuilhelmus ad Lipsiam oppugnandam proficisceretur cum exercitu, eodem se Fridericus ad defendendam urbem contulit. Consiliarij utriusq; pacem suaserunt, ita ut dissensio inter fratres componeretur: idq; iudicarunt non commodius fieri posse, quàm si Principes ipsi inter se colloquerentur. Fide data & accepta conuenerunt Principes soli in quodam tumulo prope Lipsiam, & aliquandiu clausis galeis collocuti sunt. Tandem apertis galeis, et abiectis chirotecis ferreis sese mutuò complexi sunt: ibi clamor & exultatio utrinq; facta est, & accesserunt quidem è præcipuis consilia-

rijs, qui cùm intelligerent pacem ab ipsis principibus inter se factam, de modis & rationibus pacis consultauerunt. Ibi Fridericus, qui æquior erat, et pater patriæ, ac bonus Princeps, respondit, ut ea in aliud tempus differrentur, citans uersum Psalmi 127. Non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta: iubens ut conuenirent in monasterio Portensi apud Naumburgum, ibi postea deliberationes de rationibus pacis habitæ et descriptæ sunt. Hanc historiam mementote, cùm aliquando iuxta illum locum iter feceritis.

Inter duces Bauariæ Vuilhelmum & fratrem eius, post mortem patris orta est dissensio de diuisione ditionis, quam detulerunt ad Maximilianum Imperatorem. Ipsi inter se interim mutuis officijs beneuolentiam conseruarunt: & alter alteri se libenter cessurum ex ditione pollicebatur. Nam testamento paterno prohibebatur, ne adiret hæreditatem iunior: sed tantum ille honos & titulus comitis exhiberetur, quē illi authores testamenti paterni eripere quoq; uolebant, sed Imperator aboleuit illud testamentum, tanquam iniustum, & decernit, ut iuniori titulus Ducis non eriperetur. Seruiuit autem ille deinde fratri seniori in quadam præfectura tanquam minister, & non tanquam æqualis ac quidem diligentius seruiuit, quàm ullus ex equitibus aut ministris: nec aliter appellauit illam partem ditionis à fratre sibi traditam quàm suam præfecturam, & non suū dominium. Tanta beneuolentia fuit inter illos duos fratres ut etiam in certamine illo coram Imperatore mutuis beneuolentiæ & amicitiæ officijs certarent.

Prin-

Principes ab Anhaldt fuerunt uiri proceri ac robuſti, pulchris corporibus præditi. Horum unus Rodolphus, *qui fuit capitaneus in bello Veneto.* In prima *adoleſcentia, diu Moguntiæ operam literis dans, uixit non ſecus atq; aliquis ex equeſtri ordine, nec unquam ultra eum ſtatum ſeſe extulit. Poſtea uerò, ſecutus bellum Venetum, primum cœpit militare, & per labores militares clarus factus eſt. Ibi primùm ſignificatum eſt Imperatori Maximiliano quis eſſet, ac poſtea ob uirtutes ſingulares per totam uitam Imperatori charus fuit. Hi præſtantiſsimi principes eo tempore exiſtentes, ſimul amicè uixerunt, tanquam in una familia, ſine diſcordia, ac in illa ſua qualicunq; mediocritate uictus ſeſe mutuo uarijs officiorum generibus oblectarunt.*

Comites etiam de Mansfeld olim non diſsimili ratione mutuis inter ſe beneuolentiæ & fraternitatis officijs certauerunt: ſic ut nulla odia aut ſimultates multis annis inter eos extiterint. Quare non immeritò uirtutes hæ, aliæq; ipſorum clementia & paterna uoluntas erga ſuos ſubditos, celebrantur.

ΣΤΟΡΓΑΙ SVPERIORVM
erga ſubditos, & econtra.

Heydelbergæ principi Palatino Friderico quidam ruſticus dono dedit calathum, plenum pyris optimis, ſimulq; petijt aliquid, ignoro quid. Princeps beneuolus pyra ſtatim accipiens, mandat id, quod ruſticus ab ipſe petiuerat, perfici: Hoc beneficio impetrato ruſticus agit gratias principi quàm plurimas, & à principe tam beneuolo diſcedit.

Allati

Allati sunt me puero ad aulam Palatini principis electi canes, quos mittebat principi noster hospes. Et mea quoq; mater misit Friderico Palatino Poma nostratia: ille statim remisit poma alia, quæ ex Belgico attulerant. Hæc sunt significationes humanitatis & beneuolentiæ non exiguæ.

Cum dux Saxoniæ Fridericus esset mortuus, ad primum rumorem conuenerunt huc rustici, & circa molam in uia prosternebant se, subinde iterantes hanc uocem, Ah amisimus patrem nostrum.

DE INSTITVTIONE liberorum.

Maior est habenda ratio rectæ institutionis liberorum, quàm ullarum diuitiarũ. Qui uerò secus faciunt, persimiles mihi uidentur ijs qui calceos curant, pedes ipsos negligunt, cùm eis tuendis calcei sint inuenti. Sapienter igitur Crates ille antiquus, conscensa urbis altißima parte, exclamandum censuit: Quò quò fertimini ciues? itáne conuenit in opibus parandis maximè occupari? in ijs uerò quorum causa quæruntur, nihil laborare, ac minimè esse sollicitos? Credite mihi non potest melior hæreditas liberis à parentibus relinqui, quàm si bene educati, & ad uirtutem recte ab ineunte ætate sint instituti: hoc eis perpetuum manet patrimonium, neq; à fortunæ procellis labefactari potest.

Vt neq; equus indomitus, quamuis natura bonus ad eas utilitates, quæ ab eo desiderantur, idoneus est: ita nec ab homine indocto, quantumuis ingeniosus sit,

uirtutis

uirtutis fructum poßis elicere. Simile dixit *Durerus:* Homo *indoctus, est quasi impolitum speculum.*

GRATITVDO.

χαρίτων δέ τε θυμὸς ἄριστος. Mens est optima in beneficijs.

Fridericus *Imperator miserat ad filium* Maximilianum *initio noui anni legatos, per quos ipse precatus erat felix & faustum auspicium noui anni: simulq; misit pulchra poma in argentea lance, inspersis uiginti uel triginta nouis aureis.* Filius Imperatoris Maximilianus *modestè respondens legatis, summa cum reuerentia donum illud accepit, gratias agens domino patri, & uicißim felicem ac faustum cursum anni ipsi optans.* Deinde *diligenter ministris ac sodalibus suis mandauit, dicens:* Non *attingatis uos mihi hæc poma quia mea sunt, & mihi uolo reseruari: sed aureos proiecit inter socios.* Postea *cùm legati rediissent domum interrogati à patre* Imperatore, *quomodo sese geßisset filius (quia uoluit filij ingenium conspicere) responderunt, ipsum poma seruasse, & dixisse:* Hoc *meum est munus, sed pecuniam proiecisse inter sodales, ut ipsi partirentur.* Tunc Imperator *dixit:* Præuideo *filium meum dißipatorem diuitiarum futurum.* Et *uerè* Maximilianus *ita liberalis & gratus erga benemeritos fuit postea in tota uita.*

οἱ ἀγαθοὶ αὐτοὶ μικρῶν οἴδασιν χάριν.

Boni *pro paruis etiam sunt grati.* Iulius *dederat agros suis militibus.* Venit *quidam accusans militem, quòd teneret agrum, qui non debuisset uenire in distributionem.*

nem. Iulius actori respondit: Verum habes causam: militi uerò: Tu cede ei. Miles ait: Meministi Imperator in pugna quadam te excedere ex pugna, & resiaere sub arbore? inquit Cæsar: Memini sti. Meministi ne militem tibi adferre aquam in galea? Memini. Tu ne es ille? Ego sum, inquit. Imo non es: quia ille erat integer, saluis oculis. Rectè, inquit: in prælio alterum oculum amisi. Ibi Iulius mox numerauit colono precium pro prædio quanti erat, ut illud miles retineret.

Plauti dulcissimum & grauissimum dictum: Hoc demum graue & gratum est, bonis quod bene fit. Graue, id est: grauiter, sapienter collocatum, respicit dantis personam: gratum accipientis. Existimo Plautum ad uocabulum Græcum σεμνόν respicere: nam σεμνότης grauitas, uirtus est.

Gratitudo erga parentes.

Cùm Noribergæ bonus quidam senex, obiurgaret ancillam, illa dixit: Tu nescis quid dicis, tu es delirus senex, filius astans tacet. Pater discedente ancilla filium alloquitur, inquiens: Tu audiuisti hoc conuicium tuæ ancillæ, & tacuisti. Nam & ego uixi in tali flore ætatis, in quo tu nunc es. Cogita etiam te senem fore, & eadem tibi accidere posse, quæ mihi iam accidunt. Ibi filius statim ancillam domo exire iussit.

Gratitudo erga præceptores.

Fridericus à Dŏn uir nobilis & eloquens, rogatus à quibusdam, ut pro ipsis causam diceret, promisit se facturum: postea cum uentum esset ad iudicium, & ipse uideret in altera parte esse præpositum templi

Arcis

Arcis Vuitenbergensis, qui erat doctor Iuris, & cancellarius ducem Saxoniæ, petiuit differri cognitionem istius controuersiæ, dicens, se nolle agere causam contra illum suum præceptorem, & quicquid ipse in dicendo posset, illud ipsum ab hoc uiro habere.

Inter antiquas leges præcipitur ἐάν τις μὴ τρέφει γονεῖς, ἄτιμος ἔσω. *Hanc iustißimam legem, qua nati obligantur parentibus, filia Cimonis nouo & inaudito exemplo præstitit. Nam cùm ad captiuum patrem lachrymis emollito custode, intromissa esset, parentem suum senio & mœrore ac inedia intolerabili exhaustum, exertis mamillis iam uelut ultimæ senectutis infantem lactauit, nouoq; modo* στοργὴν τὴν ἀντιπελάργησιν *expreßit, dum debita parenti* ἀντιθρεπτήρια *compensauit. Aiunt olim tantam fuisse uim huius picturæ, ut ubicunq; in theatris esset exposita, statim & mentes & oculi spectatorum admiratione incredibili stupescerent. Huc congruit & descriptio Ciconiarum, quæ ab Aristophane non insuauiter recitatur. Vtinam nos singuli hoc insigne exemplum imitaremur, & si mili pietate erga sanctißimam nostram parentem Ecclesiam, nunc mœstam, & humanis præsidijs orbatam, affecti essemus, & nostram gratitudinem omnibus officijs ostenderemus.*

INGRATITVDO ERGA PArentes, cognatos & præceptores.

Mahometes, qui cepit Constantinopolim interfecit duos fratres paruulos, & alterum paruulum in sinu matris occidi curauit.

Selimus

Selimus pater huius Solimani, interfecit & patrem fugientem, & fratrem, & in eo ipſo loco ubi pater eſt interfectus, iuxta Baiarum ulcere ſæuiſsimo diuinitus inflicto mortuus eſt. Locus oſtenditur in Macedoniam iter facientibus per Hungariam.

Ariſtoteles in nono libro de anima ſcribit, cuculum propter impietatem, quam in ipſo inſignem eſſe compertum eſt, non facere proprium nidum, nec ſuos pullos excludere, ſed deponere oua in alieno nido, ac plerunq; in corrucæ. Hæc cum reperit oua cuculi inter ſua ſimul etiam his incubat: deinde pullis excluſis, quia cuculus magnitudine & uiribus ſuperat reliquos, quicquid ſedela mater cibi adfert ſuppoſitius iſte præripit: ita ſit, ut cæteri pulli fame moriantur, Putant etiam matrem eo maiore cura hunc fouere, quia magis hunc miratur & amat, propter corporis magnitudinem. Interdum ipſe cuculus factus robuſtior cæteros pullos deuorat: interdum ſenior cuculus exorbet oua currucæ, adeò multiplex eſt in hoc genere crudelitas. Poſtremò ubi adoleuit ſceleratus & impius cuculus, addit nefariam, & plus quàm tragicam cataſtrophen. Nam corrucam, qua incubante natus & à qua magna aſsiduitate nutritus eſt, crudeliter laceratam deuorat. Hanc pro maternis beneficijs, & pro nutricatione uicem iſte ἄστοργος rependit, qui dignus, ut perpetua ſcabie notatus ſit, & quem oderunt ac fugiunt reliquæ aues ceu dirum portentum. Ita enim natura fertur illum damnaſſe impietatis, ut uerè erret, ſicut pollutum animal ſine nido, & ſine ulla ſocietate,

ſicut

ſicut apud Homerum de pœna impiorum dicitur, ἀνάσιος ὃ ἀφρήτως: ſolus enim ſine ſocietate ſui generis, aut aliarum auium uagatur. Imago propoſita eſt in tetra uolucri, ut uideamus turpiſsimæ beluæ ſimilitudinem habere ingratos, ſicut in alijs fœdis animalibus aliorum uiciorum ſimilitudo propoſita eſt: ut cognita turpitudine beſtiæ, homines magis abhorrent à ſimilibus uitijs: ut in lupo ineſt rapacitas & crudelitas: in polipo tanta libido, ut extinguatur in concubitu. Sed longum eſt exempla perſequi. Cuculus etiam affectat muſicam laudem dulciſsimæ canentis luſciniæ, eò aduolat, & excitatus cantu illius, cum ea certare ſtudet. Hinc intelligi poteſt, in quo genere hominum ingrati ſignificentur, nempe inter eos qui obſtrepunt melioribus in dicenda ſententia, in ſtudijs, in rebus Eccleſiaſticis, & alijs quæ uitæ conducunt. Sic Homero obtrectabat Zoilus ceu luſciniæ cuculus: Ciceron Clodius, & alij multi. Habuerunt & ſuos cuculos omnes docti & heroici quolibet tempore: Scipioni obtrectabat Carbo, Alcibiadi Hyperbolus. Habet & noſtrum ſeculum perplurimos cuculos, qui matri, id eſt, Eccleſiæ, & alijs de ſe bene merentibus, quales gratias reddant, uidemus.

In epiſtola Diogenis ſcriptum extat: Non debemus gratiam parentibus, quia uoluptatis ſuæ cauſſa educant ſobolem. Eſt planè diabolica oratio. Voluptas non eſt cauſſa finalis in parentibus educandi ſobolem: Cauſſa impulſiua eſt, potius mandatum Dei, ut educent ſobolem. Hæc fuit uanitas Græciæ, ſic ludere, ut nunc

eſt illorum tribunorum qui inaudita, & inſulſa excogitant.

Accidit ut homo quidam diues haberet patrem pauperem, & ualde quoq; ſenem, ſic ut ſibi labore ſuo uictum non amplius comparare poſſet. Quia igitur nolebat, ut mendicaret, cùm illi hoc ignominioſum fuiſſet, cogebatur illum alere. Sed cùm non libenter faceret, die quodam accidit, ut cum filius prandens, haberet in menſa lautum quoddam ferculum, & uideret patrem ſuum iam ſeniò confectum uenientem ad prandium, iuberet illud ſeponi, donec rurſus abijſſet. Cùm autem pater more ſolito, poſtquam pranſus erat, rurſus abiret, iuſsit filius depromi ferculum, quod abſconditum erat. Ibi ſeruus renunciauit patinam plenam eſſe ſerpentum. Quod cùm ille procurrens uidere uellet, ecce ibi ſtatim ingens ſerpens in os ipſius illapſus eſt, ſuum os ori ipſius adiungens, ita ut ſemper, quando ipſe comederet, cogeretur quoq; cibare ſerpentem, quem ille ita ſecum circumgeſtauit quoad uixit.

Audiui ab alio uiro honeſto & docto ſimilem hiſtoriam, ubi etiam pauper quidam ſenex acceſsit filium ſuum, qui factus erat opulentus, petens θρεπτήρια, id eſt præmia & officia educationis. Filius uerò probri loco ſibi à multis obijci poſſe iudicans, quòd haberet patrem pauperem ac egenum, palam negauit ſe eſſe illius ſenis pauperis filium, ac iuſsit ut ſtatim ex ædibus ſuis diſcederet. Pater lachrymans abijt: ipſo abeunte, filius ſtatim furere incipit, & in iſto

furore

furore etiam moritur. Sic Deus pœnam ingratitudinis erga parentes in isto ostendere uoluit.

Narrant fuisse quendam, qui suum patrem male cæsum capillis ad limen domus usq; protraxerat. Deinde cùm & ipse senesceret, multò deterius à filio tractatum fuisse, & extra limen domus protractum in luto prouolutum esse, donec & ipse pater clamaret: Parce fili, ego meum parentem tantum ad limen domus protraxi. Sic Deus plærunque eodem genere, in quo quis peccat, punit.

Recitaur similis ferè historia, quòd quidam parentem iam senio confectum in carcerem incluserit, & miserit illi per filium uilem pannum ad tunicam. Filius diuinitùs fortasse lacerat pannum: Quo uiso, dixit pater: Quid agis peruersissime? Ibi filium respondisse dicunt: Hanc partem panni mihi reseruabo, donec & tu senueris, tunc similiter te tractabo. Audito hoc, pater iussit senem parentem reduci, & honorificè eum ad extremum halitum tractauit.

Fuit hic rex Mauritaniæ in obsidione Vuitebergensi apud Imperatorem Carolum, quem filius non solum excæcauerat, uerumetiam regno expulerat. Illud non solum ingratitudinis, sed etiam tyrannicæ barbariei exemplum est.

Erat Francofordiæ ad Mœnum bombardarius, qui cùm mitteret puluerem in bombardã adhuc calidã, ex puluere incenso illisus est solo, ita ut moreretur. Omnes dicebant eũ fuisse bonũ artificẽ, et ingeniosum: sed illud accidisse ei, quia in iuuentute male tractauerat matrẽ.

Vidimus hic quandam matrem ducentem secum miserrimam puellam, quæ obsessa fuit à diabolo. Hoc mater confessa est filiæ accidisse ex imprecatione sua. Cùm enim dixisset ad illam: Inuolet in te Diabolus, statim eadem hora actam esse in furorem. Hæc publicè comperta sunt, cùm hic puella & mater examinarentur: unde & postea factæ sunt publicæ precationes pro puella. Porrò cùm piæ memoriæ Doctor Martinus Lutherus dixisset ad diabolum, citans dictum ex epistola Iacobi: Increpet te Deus: respondit murmure quodam diabolus per labia puellæ: Increpet, increpet: ut satis appareret uerè puellam obsideri à diabolo.

In Oppido Freiberg in Misnia, accidit ante paucos annos, ut quidam iracundus & ad malè imprecandum pronus senex filio quoddam negocium citò expedire mandaret: quòd parentis mandatum filius paruifaciens, in loco quodam, ac si illud non audiuisset, aliquandiu commoratur: qua ex re pater, aliàs satis morosus, mirum in modum furore accenditur, ac filio, ne unquam uiuus ex eodem loco discedat, horribiliter imprecatur. Facta ea imprecatione, filius continuò ibidem stare incipit, nec potuit ulla ratione uel medio uiuus inde auelli. Nocturno tempore coacti sunt ei parentes pulpitum opponere, cui aliquantulum dormiturus sese inclinaret. Conspiciuntur autem hodie adhuc manifesta in pauimento, ubi totum illud triennium constiterat, pedum uestigia. Tandem elapso triennij spacio, pœna piorum precibus, quæ quotidie pro eo fiebant, ita mitigata est, ut in uicino loco integrum

etiam

etiam quadriennium sedere potuerit. Sedet autem macilento admodum uultu, parum comedit, pauca etiam interdum loquitur. Interrogatus uerò à quibusdam hominibus quomodo res sese cum ipso haberet, nihil propemodum aliud respondit, quàm diuinitus quidem se castigari, & in manu Dei situm esse, quid tandem de eo fiat: non tamen de æterna salute per solum Christum nobis acquisita se quicquam desperare. Postea uerò elapsis illis septem annis, mortuus est in agnitione & fiducia mediatoris Domini nostri Iesu Christi, anno 1552. die undecimo Septembris.

Linus præceptor Herculis est ab Hercule, illisa capiti eius tabula interfectus. Tale præmium plurimi pro beneficijs acceptis reddunt.

Alexander quanquam non læsit suum præceptorem Aristotelem, sicut Hercules Linum: tamen ab ipso fuit alieniore animo, & Calisthenem Aristotelis ex sorore nepotem miserabiliter cruciauit.

Plutarchus recitat dictum cuiusdam Philosophi, dicentis, se dextra tradere doctrinam, sed multos sinistra accipere.

Ioannes Damascenus, qui uixit tempore Theodosij, uel Valentiniani Imperatoris, habuit apud se discipulum Persicum, quem diligenter erudiebat. Ille discipulus aliquando nactus scribendi occasionem, scripsit epistolam nomine Ioannis Damasceni præceptoris sui, cuius manum imitari poterat. Erat autem argumentum epistolæ: Ego Ioannes Damascenus significo regi Persico, ut si uelit, ueniat, iam posse eum capere Imperato-

peratorem Valentinianum, propter illas et alias occasiones. Hanc deinde epistolam sparsit in aula regis Persici, quæ cum offerretur regi Persico, misit eam mox Imperatori Valentiniano. Imperator uerò ad se uocans Damascenum, monstrauit illi literas, & interrogauit, quare hæc scripsisset? ille diligenter inspiciens literas, dixit: Domine Imperator, ego agnosco meam manum, eamq; non possum negare, sed, sanctè iuro, me nihil unquam tale cogitasse, minus uerò scripsisse. Imperator dixit, non potes negare, est enim manus tua. Ita ille uictus, dextra manu mutilatus est: Talem gratiam & mercedem ille ingratus discipulus suo præceptori reddidit.

INGRATITVDO ERGA benemeritos.

Clitum, cuius mater nutrix Alexandri Magni fuit, à quo idem in bello seruatus erat, Alexander tandem interfecit. In prima pugna Alexander pugnauit cum Persico duce, qui decusserat ei galeam, & erat iã uictor: Perijsset Alexander nisi Clitus interuenisset, & ducem Persicum interfecisset: ita fuit Clitus seruator uitæ Alexandri. Hunc Clitum interfecit Alexander, in uino liberius loquentem pro patre Alexandri Philippo. Putabat enim eam parrhesiam sibi licere apud suum μετέχνον. Alexandrum uerò illud factum sæpe pœnituit, ita ut non diu postea uiueret.

Prouerbium medicorum est: Accipe dum dolet: quia bene sciunt medici se postea negligi, sed sacræ literæ ferunt: Honora medicum, quia Deus eum creauit propter necessi-

necesßitatem. Sic homines affecti sunt, ut quando alicuius opera indigent, simulato ipsum honore afficiant: simulatq; uerò non amplius indigent, contemnant.

Apologus de serpente & viatore.

Serpens erat ingressus in antrum, ibi quidam obdiderat lapidem antro. Venit uiator & ibi casu dormit. Serpens ubi cognouisset adesse hominem: Mi homo, inquit, libera me ex hoc antro, & reuolue inde lapidem: quia ualde premor siti, sicut serpentes ualde sitiunt, sitimq; ferre non possunt. At ille: Non audeo, uereor ne perdas me. Respondit serpens: Libera me ex hoc carcere, dabo tibi summam mercedem, quam mundus benemeritis largitur. Ille aperit: Egresso iam serpente ex antro, ipsum se interfecturum esse dicit. Talem enim gratiam mundum benemeritis solere reddere affirmat. Ille hanc mundi ingratitudinem negat, & rem ad Iudices deferre iubet. Annuit serpens, & interrogant alios de mundi gratitudine. Incidunt fortè in equum senio iam confectum, qui in campum aliquem erat detrusus, quem serpens de mundi ingratitudine interrogans: respondit equus: Multis iam annis domino meo seruiui, iam me uetulum domo sua fustibus propulsauit in hunc campum, ut fame peream. Audi inquit serpens, hanc etiam gratiam tibi declarabo. Rogemus inquit uiator alios, forsitan suo merito hic equus ex domo sui domini est eiectus. Progressus longius, uetulus canis ipsis obuius fit: à quo idem responsum, quod ab equo audiuerunt. Querebatur enim se senio

confectum domo herili prohiberi, & extrusum esse, ut fame periret. Nec huic responso acquiescit uiator: petit alium arbitrum. Incidunt tandem in uulpem, quæ de quæstione proposita se consulturam secum dixit, & uiatorem abductum à serpente paululum adit: eiq; promittit se ab hoc periculo ipsum liberaturum, hac conditione, ut omnes gallinas suas ipsi concedat. Libenter se id facturum respondit uiator. Vulpes inquit hac ratione eludemus serpentem: petam, ut mihi suum antrum iterum ostendat, quoniam mihi nullum de re ignota iudicium esse potest. Præcedam ego speculaturus antrum, & cum serpens, ut solet, tarde me sequetur, & reptauerit in antrum, qua potero uelocitate ex antro recurram, ut serpens se tam citò inuertere nequeat. Tunc tu rursus antrum lapide obstruas. Bene, inquit uiator, res processit sicut deliberauerant. Verùm postea gallinas etiam uulpes poscit: iubet uiator uulpem usq; ad domum suam sequi, & precium, quod ei promiserat accipere. Domum ueniens uiator, rem totam, sicut acta fuerat, mulieri exponit, & adijciens quanto in periculo fuisset, ex quo uulpis consilio & opera liberatus esset, hac conditione, ut uulpi gallinas suas largiretur. Mulier indignabunda, quæ fortassè gallinas magis quàm uirum curauit, re longo tempore deliberata, mulier deniq; uulpi gallinas promittit, sed ita ut simul uulpi insidias struat. Dum enim in caueam uulpem intromisit, recludit eam, & in ea uulpem interficit. Ita uulpi summum precium, quod mundus bene de se meritis largitur, datur.

Ingra-

Ingratus hoſpes.

Pater Alexandri Philippus, rex Macedonicus, miſerat militem ad explorandum negocium aliquod, qui homo erat audax, ſicut plerunq; ſunt milites. Cùm itaq; oporteret ipſum nauigare ſæuis tempeſtatibus, fecit naufragiū, & ſeruatus eſt à colono in litore, qui ſcapha excepit eum, cùm nauis eius eſſet fracta, tranſuexit eum domum, & collocans eum in cubiculo tractauit hoſpitaliter: poſt triginta dies inſtruxit eum uiatico, ut poſſet redire domum. Miles domum rediens, narrat ſingula regi de naufragio & ſuis periculis: uerùm tacet beneficium hoſpitis. Rex gratulatur ei reditum, ac lætatur de incolumitate ſerui, inquiens: Ego ero gratus, daboq; tibi prædium aliquod. Seruus reſpondit: Domine rex, quæſo ut facias, uidi prædium in litore, quod ſi in memoriam meorum periculorum mihi poßidendum dares, rem mihi gratißimam præſtares. Rex præ nimia læticia, aut fortaßis quod multum biberat, (multum enim bibit pater Alexandri) iubet ei attribui prædium illud, ac mittit ad præfectum Pauſaniam, ut ſcribat in præfectura, prædium eſſe iſtius militis. Colonus uidens nullam ſibi referri gratiam, uerùm etiam eripi prædium, uenit ad regem, & narrat ei totum negocium, ut geſtum erat. Rex audita cauſſa ingenti ira exarſit, & ſtatim militem, iußit prehendi, & inuri fronti ipſius ſtigmata, his literis: HOSPES INGRATVS. Sic Dauid fuit ingratus Vriæ. Seneca inquit: Omnes ſumus ingrati.

Sunt homines humeris quos si quis gestet ad vrbē
Ausoniam, domiti qua caput orbis erat:
Nec tamen ad portam placidè deponat eosdem,
Gratia præteriti nulla laboris erit.

Demetrius Phalerensis philosophus, qui fuit Theophrasti auditor, Princeps Reipub. Atheniensis, inuitauerat ad cœnam Philosophos, & dederat eis de optimo genere uini. Cùm uerò ueniret ad quendam Cynicum, ille Demetrium lagena uini petiuit, inquiens, Philosophis non esse tam bonum uinum dandum. Ista non est fatuitas, sed insania bene merentibus malam gratiam referre. Historia extat apud Athenæum.

Alphonsus, cùm ad eum referretur, aliquem ab eo in bello defecisse, cui multa præstiterat beneficia, tum ipse multa secum in animo reputans de ingratitudine istius hominis, tandem ad se reuocatus, inquit: Quid ego queror de ingratitudine illius? ego multo magis ingratus sum Deo meo, à quo multis maximis beneficijs sum affectus.

Quidam euaserat tres tyrannos, Caligulam, Claudium & Neronem, qui multos bonos homines interfecerunt. Interrogatus igitur ab aliquo, quomodo euasisset tantos tyrannos, cùm fuisset aulicus? Respondit ille: Iniurias accipiendo, & insuper gratias agendo. Hæc est doctrina aulica, & aliâs quoq; doctrina de exercitijs, patientiæ & ingratitudinis, quæ DEVS à nobis postulat.

Imperator Iustinianus habuit ducem magnitudine animi, alijsq; uirtutibus præstantē, nomine Bellisarium. Hic

Hic uir excellens, sua fortitudine totum ferè orbem terrarum in ordinem redegit, & imperio Iustiniani subiecit. Habuit coniugem formosam, quæ ut fit, propter uirtutem & præclara facta mariti nonnihil insolens est facta. Hanc insolentiam & istum fastum non potuit ferre Sophia coniunx Imperatoris Iustiniani. Igitur calumnijs & dolis effecit, ut propter uxoris insolentiam optimè merito uiro Bellisario oculi offoderentur. Sic tantus uir, tanta fortitudine præditus, & optimè de Imperatore meritus, postea redactus est ad summam paupertatem, ut coactus sit sedere ad templa & colligere stipem, unde uictum haberet. Omnia sunt ingrata, nihil fecisse benigne est, Item, post donationem, celeriter senescit gratia.

Senex uir, & honestus nobilis Fridericus à Dön, dicebat ad cancellarium D. Pontanum, cùm uideret eum esse sedulum & diligentem in suo officio. Idem precium datur maculanti hypocaustum & purganti.

Pindarus: παλαιὰ γὰρ εὕδει χάρις, ἀμνάμονες δὲ βροτοί: antiqua gratia dormit, & homines sunt ingrati.

Docebo uos rhythmum de ingratitudine:

Friß Dreck scheiß Golt / so werden dir die Meidlein holdt. Per puellas intellige mundum, in quo si quis excellere & præstans esse uelit, Muß er dreck fressen, id est, pati iniurias & nihil contradicere. Vult significare: patere omnes iniurias, & insuper gratias agito, uix tamen consistes.

QVIN-

QVINTVM PRAE-ceptum.

AMICITIA & CANDOR

In Cæsare reperitur pulcherrimum exemplum duorum militū Romanorū Cottæ & Sabini, inter quos etsi antea fuerat æmulatio, tamen in extremo uitæ periculo fiunt optimi & coniunctißimi amici. Cotta inciderat in periculum. Sabinus accurrit et liberat eum. Sabinus in simile periculū uenit(sicut fit)ut in auxiliatorē uerterentur arma: Ibi Cotta rursus liberat eum, & sic depellunt hostes. Ideoq; in utroq; fuit felix euentus, quia fuerunt facti in illo summo periculo concordes amici. Si iam in Germania inter principes et omnes Theologos etiam tales coniunctiones animorū & uoluntatum essent contra externos hostes, ah quàm utiles et pulchræ res fierent.

Sallustius: Ea demum uera amicitia est, idem uelle ac nolle. Simile dictum apud Platonem citatur: Non aurum, non adamas fulget splendidius, quàm bonorum mentes consentientes.

Demetrius filius Antigoni, cum sciret & uideret patrem ualde durum, et iratum factum esse Lysimacho, monuit eum ut fugeret iram patris, scripsitq; sua hasta in puluere φεῦγε, φεῦγε. Hic lectis literis, statim cogitauit non esse de nihilo, fugit in Thraciam, ubi paulo pòst factus rex. Et est ille Lysimachus qui ab Alexandro leoni obiectus, leonem interfecit, homo fortis & animosus. Demetrius autem mortuus est deinceps in acie, octogesimo ætatis suæ anno.

Aristo-

Aristoteles scribit, Græcos templa Gratiarum in medijs urbibus condere solitos, ut ciues mutuæ beneuolentiæ, amicitiæ atq; gratitudinis admonerentur.

Apud Ciceronem & Liuium hoc dictum sæpius reperitur: Amicitias decet esse immortales, inimicitias uerò mortales.

Nicolaus de Dißbach uir nobilis, ac senator urbis inclitæ Bernensis, non ante multos annos elapsos, in proximo bello Heluetico præclarum & memorabile exemplum suæ uitæ & antiquæ amicitiæ in academia Basiliensi erga condiscipulum, hoc tempore ciuem Vriensem declarauit. Cùm is ciuis, olim D. Nicolai de Disbach condiscipulus, captus & in arcem Lentzburg deductus, ut ibi de uarijs hostium concilijs & stratagematibus in tortura examinaretur: ibi ipse fidem suam ueteri amico debitam interposuit, misitq; annulum, in quem sua insignia erant insculpta, ad Capitaneum illius loci, eumq; rogauit, ut suo captiuo amico parceret: addens esse adhuc alias rationes quibus conatus & consilia hostium intelligi possent. Debere enim se illud suo ueteri amico ex fœdere inchoatæ in academia Basiliensi amicitiæ officium, ut pro eo intercederet, ac captiuus intelligeret, se in ipsius calamitate dolere, ac non solũ id, ut pro eo intercederet, sed etiã alia beneuolentiæ & liberalitatis officia debere. Hac fidelitate in conseruando amicitiæ fœdere Capitaneus & alij moti, huic ciui Vriensi pepercerunt, probaueruntq; consilium huius præstantis uiri, qui amicos suos calamitatibus oppressos non negligeret. Sic profectò uerum

rum dixit ille Philosophus inquiens, uices fortunæ uariè pingere amicos. Quare si in illo bono nobili non fuisset illa uirtutum integritas, quæ amicis uersantibus in periculis opitulatur, potuisset illum ueterem suum amicum deserere: sicut proh dolor multi omnibus temporibus faciunt, qui uerbis magis quàm factis amici sunt, postea uerò in periculis eosdē amicos relinquunt.

Francofordiæ ad Mœnum uidi in pariete uirginem pictam, quæ faciebat coronam ex teucrio flore, qui germanicè dicitur, ie lenger ie lieber, cui adiunctus erat rhythmus talis:

Je lenger je lieber ich bin allein/
Denn trew vnd warheit ist worden klein.

Huius sententia hæc est:

Feceris haud quicquam nisi quod fecisse necesse est,
Quamq; dedit norma est una sequenda Deus:
Et fugito turbam, nisi cum Respublica poscit,
Congressus modicos, fuile turba malum est.
Nec tibi curabis multos adiungere amicos,
Rara hæc sunt, candor, gratia, iusta fides.
Ac si quos poteris, req; officioq; iuuato,
Sic tamen, adiutos ne meminisse putes.
Præcipuè uero remis, uelisq; potentum
Fucosas fugito cautus amicitias.

Senatus Vratislauiensis misit mihi pro sua in me beneuolentia magnum fasciculum literarum mearum ad alios missarum, quem ibi reliquerat tabellarius, misitq;

misitq; per proprium nuncium suis sumptibus. Rescrip[si] Senatui, & egi gratias pro illo officio, ac significaui eis, me nihil arcani, nec quicquam de rebus principum scribere, sed tantum controuersias Ecclesiasticas, & disputationes nostras scholasticas, & posse eos, si postea literæ meæ simili modo negligerentur dilacerare. O quanto fidelior fuit hic Senatus Antonio, cui Cicero in Philippicis exprobrat literarum amicè & secretè scriptarum diuulgationem. Dicitq; eum per hoc è uita tollere uitæ societatem, & amicorum absentium inter se colloquia. Mementote hîc & hoc quoq; : Athenienses cùm incidissent in fasciculum literarum regis Macedonici, omnes infregerunt, exceptis illis, quas ad coniugem scripserat.

Philippus Macedo pater Alexandri Magni, cùm Olynthum (quam urbem diu magno conatu & periculo obsederat) tandem expugnasset, eaq; potitus esset difficili uictoria, dicitur ad exhilarandos amicos ludos celebres instituisse. Quorum ludorum die, cùm sacrificasset, & amicos suos ducesq; conuiuio excepisset, in uinum & hilaritatem effusus, iußit unumquemque conuiuarum à se aliquid petere quod cuiq; commodum & dignum esse uideretur. Alijs igitur aliud petentibus & impetrantibus prout cuiq; usus & neceßitas erat, solus iam restabat Satyrus Comœdus, qui propter artem et ingenij dexteritatem in magna apud regem gratia erat. Eum, cùm nihil adhuc petiuisset, inuitant cæteri primũ, deinde Philippus, ut quemadmodum alij fecissent, ipse quoq; aliquid peteret, nec do-

num aut beneuolentiam Regis aspernaretur. At ille: quando à te iubeor, inquit: O Rex petam id, quod & mihi petere, & tibi largiri maximè honestũ iudico. Fuit mihi uetus amicitia & ius hospitalitatis cum Apollophane Pilnensi, qui cum ex insidijs perijsset, metuens cognati iram regiam, filias eius paruas Olynthum, ut illis tutior ibi uita esset, transmisit. Hæ nunc expugnata urbe captiuæ tenentur, & ea iam ætate existentes, ut opportunæ sint nuptui. Has igituu à te peto, Rex, ut eas mea pecunia elocem, ne quid turpe aut indignum ipse, mortuo parente, propter fortunæ iniquitatem patiantur. Alij quod sibi lucro arbitrati sunt fore, id à te optarunt, & optatum abstulerunt: ego si uoti mei compos fuero, dotum insuper de meo addam, existimans me hanc fidem memoriæ extincti amici, & relictis ab ea filiabus debere. Ad hunc sermonem à toto conuiuio plausus cum approbatione excitatus est, uictusq; Philippus, iußit puellas Satyro adduci, ac in manus tradi, admiratus hominis fidem & constantiam in colenda amicitia, & insuper dotem dignam rege adiecit.

Achilles interrogatus ab Aiace, quos sustinuisset omnium maximos labores? Respondit: Susceptos pro amicis. Cumq; pergeret interrogare, quos autem iucundißimos sustinuisset? rursus Achilles: eosdem inquit, significans heroicum uirũ flagrare immensa quadam amicos iuuandi cupiditate.

BENE-

BENEVOLENTIAE MVTAtio, seu simulatio amicitiæ & inimicitiæ.

Cor humanum est ἀψίκορον ϗ φιλόκαινον, *id est, fastidiens præsentia, & est amans nouitatis, inde uersus est:*

Omnia vertuntur, certè vertuntur amores.

Item: *Ille tuas pennas tam citò vertit amor.*

Sic Plato: φίλος ἐυμετάβολον ζῶον. Amicus *ualde mutabile animal.*

Rex Antigonus *iußit sacerdotem suum sacrificare, ut* Deus *defenderet eum ab amicis.* Interrogatus, quare *non ab inimicis?* Respondit: *ab inimicis possum mihi ipsi cauere, ab amicis uerò non.* Notare *uoluit simulatos amicos.*

Cùm Dionysius *iunior eiecisset* Diogenē *affinem, qui & ipsius rector antea fuerat: Plato metuens sibi quoq; aliquid periculi imminere propter* Diogenis *amicitiā, auellit se à* Dionysio *quibus modis potest. Dimittitur igitur nō sine magno munere. Scribunt enim octoginta talenta ei donata esse, hoc est, octo & quinquaginta millia coronatorum.* Fortè *eo tempore* Plato *prædixit ecclipsin futurā. ibi* Aristippus *qui unà erat, ait, se significationē eius ecclipsis diuinaturū, ac iocans inquit:* Portendi *inimicitiam inter Regem &* Platonem. Hoc *ioco facetè amicitiæ mutationem ostendit* Aristippus.

DE HOSPITIBVS.

Apud Maßilienses *lex fuit, ut peregrini urbem ingredi cupientes, arma in porta relinquere iuberentur.*

Propter quos mores ciuitas Maßilia ualde laudatur. Est autem ea urbs in Gallia Narbonensi, ab Ionibus qui ex Asia illuc profecti erant condita. Iones primi & uetustißimi Græcorum, habuerunt multum doctrinæ, & diligenter retinuerunt uetustißimorum morum atq; rituum disciplinam, quam deinceps in hanc urbem transtulerunt. Voluerunt itaq; significare hac lege, hospites debere esse modestos, & simul habere defensionem ab illis, qui eos excipiunt.

Triptolemo regi Attico dicuntur donatæ fruges, quòd mœstam Cererem hospitio excepisset. Originem fabulæ eam esse opinor, quòd is fuerit excellenti uirtute & probitate morum præditus, qui frumenta ex Thracia (ut feruut) uel aliunde aduexerit ac reposuerit, quæ postea tempore famis rursus pauperibus distribuit: quo beneficio clarum nomen adeptus est.

DE CONVIVIIS.

Pulchrum est apud Xenophontem in conuiuio. Socrates sic dicit ad aliquem: Dic mihi quid sit se turpiter gerere in conuiuio: Respondet alter: Quid sit non possum dicere, sed quid mihi uideatur dicam. Dicas igitur quid uideatur? Est molestia afficere conuiuas λυπεῖν τοὺς συμπότας. Ad quæ Socrates respondet: Hoc tu facis, quia tacendo nobis omnibus es molestus. Quare amantes conuiuia, amate etiam eleganter & acutè dicta in conuiuijs.

Plutarchus nominat conuiuiū uulpis et gruis, ut est in fabulis, quando uulpes inuitant grues, grues uicißim

uulpes

uulpes. Talia ſunt conuiuia, aliorum dicta conſeruantium, ut carpant dextrè ab alijs dicta: non colloquentium inter ſe, ubi duo aut tres ſedent in conuiuio, ipſi ſilent omnino, auſcultant inſidioſè, quid alij loquantur aut conferant, ita ut aliquis magis cum feris conuerſari exoptet, quàm cum talibus conuiuari.

Et Plutarchus etiam dixit alibi: *non eſſe uociferandum, ſicut ebrioſi ruſtici & inebriati uino, aut cereuiſia.* Aliqui debent *eſſe uocales, aliqui conſonantes, aliqui loquantur, aliqui non ſint mutæ, ſed conſonantes.*

Bachilides dicit, *quatuor in conuiuijs requiri.* 1. Modicus *cibi et potus apparatus.* 2. *Suaue colloquiū.* 3. Vera *conuiuarum beneuolentia.* 4. Bonum *uinum, quo maxime delectantur ſenes.* Et *alius dicit ultra duo pocula non eſſe ebibenda in conuiuio, ſanitatis cauſa.*

Conuiuia Cyclopica.

Satellites cuiuſdam regis largius ſe uino ingurgitantes contuderunt uitrea pocula, ac alter alteri præbibit illum puluerem. Elapſis *uix duobus menſibus, omnes mortui ſunt.* Hæc *mihi narrauit quidam multis nobis notus, ipſiſq; aßidens, cui tamen ut homini ſcholaſtico pepercerunt.*

Ante *paucos annos fuerunt quidam Ambergæ in Bauaria, qui longa potatione inebriati, tandem uaſa teſtacea, è quibus biberant contundunt, ſeu in puluerem redigunt, & alter alteri illum puluerem in uino præbibit: tandem uentum eſt ad uitra, quæ ſimiliter in puluerem redacta ſunt, ac inuicem ſibi præbiberunt.* Hæc *hiſtoria huc ſcripta eſt, additumq; erat*

in literis tres ex nobilium numero eo die esse mortuos, reliquos ægrotare, & mortem certißimam expectare. Non mirum est, uenire Turcam & alias pœnas, cùm tam impiè uiuamus. Es ist zu erbarmen/ das wir arme elende Deutschen so sewisch vnd so viehisch leben/ wir fressen vnd sauffen vns kranck/ todt/ vnd in die helle hinein. Imo deterius iam uiuitur, quàm bestiæ, certe bestiæ sibi nociua fugiunt. Ita iam diabolus grassatur in genere humano: credo non fuisse tam nociua illa uasa testacea, quàm sunt uitra, quæ in aluum demissa intestina arrodunt, unde homo superstes esse nequit.

In quodā episcopatu potauerunt aliqui, adeò ut ex ipsorum numero unus sit mortuus, nihilominus tamen reliqui, exemplo iræ Dei non commoti, mortuo suam partem infuderunt.

PAX, SEV TRANQVILlitas Reipublicæ.

Lex est in Sueuicis urbibus, ut si in rixa aliqui gladios strinxerint, ac uel puer, uel muliercula procul etiam inclamans pacem imperet, capite puniatur, qui audito nomine pacis insuper ferire audet.

D. Iacobus Fuggerus senior accersitus in senatum Augustanum, cùm deliberarent de inferendo bello ducibus Bauariæ, inquit, se non esse suasorem belli, sed pacem suadere, et ut res peragetur qualicunq; modo. Ne autem existimaretur id facere sui commodi causa, sed ob publicam utilitatem: Ego, inquit, dabo decem millia aureorum, quibus, si fieri poßit, pax redimatur.

Si

Si uerò res transigi non poßit, ut ijs senatus uterentur ad bellum gerendum. Hoc profectò non facile alius priuatus, quantumuis diues, faceret.

Quando euertitur currus ouorum, non possunt omnia integra rursus colligi. Sic post turbatum Reipublicæ statum, oportet multa patienter ferre ut consulatur reliquo corpori.

Cracouiæ quidam adolescentes maledixerunt scorto Episcopi, & factus est tumultus, ut Episcopus mitteret aliquot satellites, qui interfecerunt aliquos ex scholasticis: et rursus ex satellitibus quidam interfecti sunt. Tantum ualuit Episcopi sæuitia, ut propter scortum turbarit tranquillitatem publicam, & iusserit scholasticos discedere ex ciuitate, Discesserunt igitur tam innocentes quàm sontes, tam qui non interfuerant quàm qui interfuerant. Videte, quanta miseria illa sit. Multi sunt interfecti, & schola est dißipata. Vos igitur sitis modestiores, & communem tranquillitatem, quantum fieri potest, tuemini.

Audiui Anglum quendam dicentem in conuentu: Inter Imperatorem & nostrum regem potest esse pax, sed non amicitia.

Thucydides.

Non est turpe, domesticos domesticis cedere. Vtinam hoc cogitaremus in Ecclesia & Republica. Plautus: Facile est imperium in bonos.

Quando Thrasibulus recuperauit Athenas, ibi exules bona sua ex illa multiplici confusione & turbatione communis status Reipublicæ ad alios paßim

translata repetiuerunt. Quod cum absq; nouis & magnis perturbationibus fieri nō posset. Thrasibulus hinc sumpsit occasionem sanciendi legem de ἀμνησία. Sicut nobiles Brunsuicenses etiam amißis suis bonis ea repetiuerunt, unde sunt orta noua bella. Quare cum ita res accidit, optimum est seruare quod in ueteribus reperimus historijs ἔχοντες ἃ ἔχουσι.

TVRBATIO PVBLICAE tranquillitatis.

Habemus tot Lycurgos, id est, lupinos homines, quot habemus æditaos. Sed rectius se hic uersus habet:

Moribus antiquis res stat Romana virisq;.

Erat hic Danus, homo doctus & eloquens, procerus & pulchræ staturæ, qui semel percusserat quendam studiosum, qui iam est Doctor. Relata uerò re ad Rectorem, Danus est absolutus. Conuenerant ipse & alij in cella uinaria, hilariter potantes. Postea cum in illa mensa: apud quam studiosus erat, cœpissent ructus edere & uociferari, illud in altera mensa Danus ægre ferens, monuit eos, inquiens: Bibite uos uestrum uinum, & nos nostrum bibemus, & uolumus esse hilares. Tunc studiosus contumeliosis uerbis Danum affecit, & probè exagitauit. Tandem surrexit Danus, & pugione inuerso studiosum castigauit, & ipsius tergum bene demulsit. Res ad Rectorem defertur. Danus respondit: Quia ipse mihi molestus fuit multis conuicijs, & me iritauit, pugionem inuertens, eum modicum castigaui. Ita re iudicata à Rectore, Danus est absolutus.

Audiui

Audiui ex Iacobo Sturmio & Argentinensi Senatu fuisse senem quendam militem, qui cùm interrogaretur, ut diceret suam sententiam de mouendo bello, Respondit nihil aliud, quàm: Optimi charißimiq; Domini, planè nihil boni bellum apportat: Lieben Herren/ lieben Herren/ es ist nichts guts am Krieg.

Comes de Nassaw qui mortuus est ante annos 25. aut circiter, cum admoneretur, ipsum habere occasionem ad se trahendi comitatum Katzenelbogen, Respondit: Non tanto facio illum Comitatum, ut propterea uelim turbare Germaniæ pacem.

Miles quidam impius, cum canere audiret cantilenam, Da pacem Domine in diebus nostris, interpellauit canentes, his uerbis: Vt uos pestis perdat: quid petitis pacem, cùm nos nihil magis quàm pacem auersemur? quapropter quotidie bellum gerimus.

Plutarchus περὶ φιλαδελφίας scribit, morem Græciæ fuisse, ut cùm duo fratres una incederent, & ad lapidem aliquem eminentiorem uenirent, non statim seiuncti ab eodem loco discederent, sed ambo unà ad idem latus circumirent lapidem. Huiusmodi ritus peculiares singulæ gentes habent, qui apud ipsos recepti conseruantur, ut antiquæ probitatis homines admoneant. Accommodat igitur Plutarchus hunc ritum ad fratrum concordiam, ac moneri eos hoc exemplo ait, ut caueant, ne quis lapis, nec ulla offensio diuellat animos eorum unà uiuentium: Et si qua inciderit offensio, ut illam coniuncti circumeant, hoc est, dißimulent, deleant, & ex animo extinguant.

DE IRA, EIVSQVE moderatione.

Cum esset Doctor Martinus ualde commotus in aliqua causa, & incenderetur alterius sermonibus, interrumpebam eius sermones, recitans uersum:

Vince animos iramq; tuam, qui cætera uincis.

Repreßit se, & subridens dixit: Non uolumus de his amplius, sed de aliis colloqui. Hunc uersum etiã diligenter obseruauit Ioannes Fridericus Dux Saxoniæ.

Qui iam magnanimus princeps non facilè irasci solitus est, sicut frater eius dixit, usus Germanico illo Prouerbio: Mein Bruder ist nicht leichtlich auff den Esel zubringen / Aber wenn er ein mahl auff den Esel kompt, so ist er nicht leichtlich wieder herunter zu bringen.

Audiui semel ex nobili Friderico à Dôn, cum loqueretur de quodam rege, quem iracundum esse expertus erat in quodam negocio, dici, nihil esse perniciosius in gubernatione, quàm iram.

Vix inuenietis unum pagum, ubi consentiant pastor & æditu us, quia regulariter usu uenit, ut custodes sint quasi tribuni plebis, incitantes rusticos & populum contra pastorem. Ideo oportet esse sapientes, qui inter se norunt cedere. Duobus iratis inter se litigantibus, sapientior est qui tacet, quàm qui coutradicit, iuxta Philemonis responsum. Ille enim Athenis obiurgatus, quare ita esset ineptus in conuiuio. Imò respondit, quare tu ita es ineptus, qui ebrium uis reformare & admonere. Ita qui iratum in ipsa turbatione corrigere cona-

re conatur, non secus facit, atq; qui ebrium è uestigio reformare tentat.

Cùm princeps quidam uehementius esset iratus, Imperator Fridericus: uir tantæ modestiæ ac pietatis, ut quibusdam ignauus propter singularem & insignē humilitatem uisus sit, fertur ad eum dixisse: Si quis bonus sit, omnia reliqua bona erunt. Vt significaret, i, sius uehementem iram ipsi tandem nocituram esse. Ille postea fecit uestem, uilem linteam ex panno craßiore, cui subiunxit fimbriam plane auream cum magno sumptu. Ita uestitus uenit in senatum principum, qui dixerunt ei: Domine, quid significat uestis ista? Respondit ille: Si finis bonus sit, omnia reliqua bona erunt. Ita risit Imperatorem, sed fuit Sardonius risus. Postea uerò captus in bello, admonitionem Imperatoris prudentem propemodum serò expertus est.

Scipio uir placatißimus maximè delectatus est lectione Xenophontis. Cyrum enim in moderatione iræ, placabilitate, alijsq; uirtutibus diligenter imitatus est, (sicut in tota pædia Cyri nusquam reperitur ipsum fuisse iratū) fuit castus, et continens domi & in castris supra alios omnes ciues Romanos. Habuit honestam coniugem, quam dilexit, & uicißim ab ea diligebatur.

Quando dux Fridericus fuit iratus, discesit in cubiculum, & dimisit à se omnes cum quibus habebat negocium. Ita solus concoxit ac quasi fregit iram: & post aliquot dies redijt ad consiliarios.

Seneca postremo libro de ira, inquit: Dum inter homines sumus, colamus humanitatem, non timori cui-

quam, non periculo ſimus, detrimenta, iniurias, conuitia, uellicationes contemnamus, & magno animo breuia feramus incommoda, &c.

Quidam noſter amicus, bonus aliâs uir, ſed admodum contentioſus, & rixarum cupidus, cùm eſſemus aliquando unà, mouebat magnum certamen de re non neceſſaria, & ualde reſiſtebat, nec poterat precibus ſedari ipſius contentio. Cùm adhortaremur eum pluribus uerbis, ut taceret, reſpondit: An igitur ferendum eſt tam apertam iniuriam mihi fieri? At alij: Quæ patientiæ tuæ laus erit, ſi dignus & meritus mala patiaris? iuxta uerſiculum:

Quæ venit indignè, pœna dolenda venit.

Milites quidam liberius quædam inter potandum contra Regem Pyrrhum dixerant. Vocati igitur ad Regem, iuſsi ſunt dicere cauſam. Tunc unus inter eos animoſior: Immò, inquit, Rex, iſta diximus, & niſi lagena defeciſſet, nos longè acerbiora contra te dixiſſemus quibus te interfeciſſemus. Ita placatus eſt Rex Pyrrhus, & moderatus iram hoc dicto militis urbano.

Fridericus à Dōn dixit: O quàm noxia ſupellex in imperio eſt ira.

Scitis prouerbium Germanicum: Kleinen Leuten ligt der Dreck nahe beim Hertzen/id eſt: Parui homines citò iraſcuntur. Stomachus ideo indignationem ſignificat, quia bilioſis ſtatim aſcendit bilis in orificium uentriculi, uel ſtomachi: ibiq; ſtatim exæſtuat illis

illis qui sunt ὀξύχολοι, seu præcipitis iræ. Deinde non est magna distantia ab orificio uentriculi ad cor cæteris paribus. Item quando aliquis est famelicus, tunc citius ira incenditur: quia bilis in orificio uentriculi citius mouetur.

Scripsi aliquando ad quendam principem, & fui deprecator pro alio. Ille misit mihi uolumina, quæ erant contra eum, pro quo intercessi. Respondi: Quod si singula consideranda essent, quæ unusquisq; fecisset, mirabilia in mundo reperirentur. Postea moderatus est iram, eumq; recepit, ac restituit ei bona.

Imperator Maximilianus habebat scribam, quem admodum diligebat, propter bonam scripturam. Ille imitatus manum Imperatoris, scripsit Chirographa nomine Imperatoris, & petiuit à Iacobo Fuggero pecuniam. Quod cum iterum atq; iterum fecisset, cœpit res esse suspecta Fuggero, qui accessit Imperatorem & monstrauit chirographa, interrogans an iussu Imperatoris hæc facta essent? Imperator inspectis chirographis, dixit: esse quidem hanc suam manum, sed an eo tempore pecuniam postulauerit, se ignorare. Accersiuit ad se suum scribam, quem interrogat, an hæc chirographa ad Fuggerum detulerit: Ita, inquit. Quærit denuò Imperator: Quis ergo scripsit. Ibi examinatus ille, statim ad pedes Imperatoris decidit, ac fatetur se scripsisse, ueniamq; petit, Maximilianus Imperator nihil seuerius contra ipsum statuit, quam iubens illum protinus è toto suo imperio discedere, ne usquam inueniretur in ullo loco, ubi ipse imperaret.

Tandem

Tandem in bello Veneto, adiunxit se Venetis, ubi est interfectus. Hæc fuit bonitas Maximiliani Imperatoris, & moderatio iræ, ac non indulgentia. Rectè etiam Maximilianus fecit, quòd ipse accersiuerit scribam, & ille quod accersitus comparuerit.

Dux Fridericus dicebat ad quendam nobilem, cum uidisset ipsum excandescere: Quàm turpe est uirum sapientem sic irasci.

Quidam ex amicis nostris, uir aliâs doctus & bonus, erat satis asper & pugnax, & multa etiam mouebat cum suo consule non necessaria: Ibi eum adhortatus sum, ne tot rixas excitaret propter publicæ pacis conseruationem, & sui ipsius conscientiam. Tandem illud solummodo ab eo postulaui, ut saltem per aliquot menses nihil rixarum moueret: statim enim experturum esse multa cùm sibi tum paci publicæ salutaria inde prouentura: promisit mihi se facturum. Post biennium itaq; ad me reuersus, cùm multa familiariter cum suo consule egisset, atq; propter conceptam animi moderationem quædam obtinuisset, dixit: O Domine Philippe, quantum sensi commodi ex illo tuo consilio, quantumq; id in omnibus rebus agendis adiumenti præstitit? Verum profectò est quod breuis patientia longam pacem pariat. Sed hoc breue tempus patientiæ tam mihi longum & molestum uisum est, ut quantum quidem ad me attinet, diuturnum bellum & multiplices rixas sustinere mallem, quàm tantas patientiæ molestias decoquere. Et re uera sic se res habet. Nam ita naturæ & ingenia hominum sunt com-

parata.

parata, ſicut dixit Achilles: Ira melle dulcior eſt. Huic aptè reſpondet uerſus Martialis:

Aurum & opes & vaſa frequens donabit amicus:
Qui velit ingenio cedere nullus erit.

Scipio, etſi in manu habens exercitus, non minus tribunorum petulantiam quàm Iulius Cæſar cohercere poterat: tamen amore patriæ, ad quam iuuandam & conſeruandam ſe natum arbitrabatur, iniurias tribunorum diſsimulauit, & iram ſuam contra eos ſuſceptam moderatus eſt: Ad huius exemplum nos quoq; priuatas iniurias & iram noſtram diſsimulemus, & communi tranquillitati condonemus.

AEMVLATIO.

Vidimus certamen inter duos conſiliarios Imperatoris Caroli V. Granuelum & alium quendam, quorum illius fortuna uel potius patientia uicit. Quamuis enim alter eſſet in magna gratia apud Cæſarem, propter ſuauitatem in dicendo, ita ut imperator, ſi quando laudaretur aliquis ob eloquentiam facundus, dicere ſolitus ſit: Ille quidem facundus eſt, ſed meus conſiliarius multo ſuauior: tamen patientia atq; animi moderatio Granueli effecit, ut alter ex aula eijceretur: quin & multi principes laborabant pro eiecto, ſed nihil efficere potuerunt.

Alexander habuit duos cubicularios, admodum ſibi familiares, Epheſtionem & Craterum. Epheſtion fuit Aulicus, idoneus ad aſſentandum. In Cratero fuit excellentia uirtutis: uterq; uoluit eſſe primus. Craterum oderat Epheſtio, ideò quòd erat in eo uirtus. Sæpe rixæ

pe rixæ ortæ sunt inter eos interueniente etiam Alexandro, ut deniq; minaretur utriq; mortem, nisi cessarent ab istis contumelijs & rixis: & dixit Ephestionem esse φιλαλέξανδρα, id est, amantē Alexandri, et assentatorem: Craterum uerò φιλοβασιλέα. Insuper dixit Ephestioni: Craterus est aliquid sine Alexandro: tu nihil es sine Alexandro.

BELLVM, EIVSQVE apparatus & circumstantiæ.

Est antiquum dictum: Ἴσα πόλεμον οὐ ποιεῖ: Aequalia non faciunt bellum, sicut est etiam bonum dictum Germanicum: Einem wie dem andern / so geschicht keim vnrecht.

Pindarus: Mouere Rempublicam cuiusuis est: sed sistere eam in tranquillo, solius Dei est. Quisque potest mouere rempublicam, sed non potest eam sedare, sicut ipse uellet.

Italus quidam secutus castra Imperatoris Caroli V. carmen composuit:

Vna gerit bellum, pacem manus altera reddit.

Verum nemo pacem sine Deo restituet: quia bella geruntur propter pacem, & pax petenda est propter constitutionem reipublicæ.

Nos tantum quærimus μυομαχίας, & aliena bella, quæ Alexander appellauit murium bella. Christus nominauit rumores bellorum, id est, non bella monarchiarum, qualia Cyrus gessit, qui constituit pacem

pacem: nam finis belli debet esse pax & constitutio honesti status. Item ut sunt Alexandri bella & Romanorum, usq; ad tempora Augusti, qui domito iam orbe terrarum, homines in pace legibus coniunxit. Nostri uerò temporis bella ad antiqua bella collata, tantummodo murium certamina uideri possunt, sicut Christus uocat rumores & tumultus. Romani tardè mouerunt bella. Ego credo omnes ordinarios magistratus tardè mouisse bella: sicut noster Cæsar Carolus V. inchoauit tantum duo bella (quod ego scio) in quibus fuit semper infelix: in alijs uerò, quorum ipse non extitit autor, fuit fortunatus. Vt cum inuasit regem Galliæ, amisit exercitum, infectum peste, & confectum fame. Deinde cùm in Africam expeditionem faceret, perijt exercitus naufragio.

Scipio dixit, nusquam esse dimicandum nisi cùm aut neceßitas esset, aut summa opportunitas, iuxta prouerbium Germanicum: Es gehört mehr zum Tantz denn rothe Hosen/ Es gehören auch Bein darein.

Comestabilis Regis Francisci Capitaneus, ante annos uiginti uel amplius dixit, quando Imperator fuit in Narbonensi prouincia, se geßisse duplex bellum, unum cum Rege suo, qui uoluit statim dimicare, alterum cum Imperatore, ut falleret eum; sed Comestabilis metuit fortunam Imperatoris & eius exercitum, cui commodius stratagemate quodam commeatum eripi posse considerauit, sicut factum est.

Lantgrauius huius pater dicebat: Si quis tres inimi-

inimicos habeat, cum duobus pacem componendum, quò tertius ſuperari poßit.

Nobilis uir Vlricus ab Erlach dux Heluetiorum, cui cùm narraretur iam in ipſo conflictu ſuas copias aliquas receßiſſe, nihil perterrefactus, dixit: Bonum eſt ſeparari paleam à granis. Hoc enim modo fit, ut generoſi animi admoneantur ſuæ tantum uirtuti & fortitudini totũ certamen incumbere: alioqui enim fieri poſſet, ut reliqui præſentes, ignauis aliquid confiderent, ipſiq; negligentiores facti, nihil tranſigerent.

Cæſar Crrolus V. intuens noſtrum exercitum ad Ingelſtadium, aſcendit tumulum aliquem, ac ſtetit diu cogitabundus & tacens: tandem aliquem ex aſtantibus militibus interrogauit: Suntne hi omnes tantùm Germani? Eſt pulcher exercitus, & militum delectus, ſed poſtea addit: Cito eis deerit ſapientia & pecunia, & ita accidit.

Aeſchines: Præmia in bello perueniunt ad capitaneos: cauſſæ conferuntur in oratores.

Perſicus Rex miſerat legatos ad Spartanos, petens, ut darent aquam & terram. Nam illa fuit forma petendæ deditionis. Spartani abiecerunt legatos in puteum, & dixerunt, ſe dare eis aquam & terram.

Daniel dicit: Gog et Magog ſunt in montibus Iſrael perituri, quid hoc ſit, neſcio, niſi quòd Deus ſit hoſtes ſuos deleturus in extremo iudicio, aut quòd adhuc ſint magnam cladem accepturi Turci in montibus Iſraël, id eſt, in Germania, in illis locis, ubi ſunt ueræ Eccleſiæ.

Audiui

Audiui ex nobili à Lasco, qui fuerat legatus Constantinopolim, esse uaticinia Turcorũ, Turcos esse potituros Vngaria, Polonia, cùm aliqua parte Germaniæ: et deinde fore inclinationem regni Turcici. Non dubiũ est Turcos in Germaniam paulo pòst esse uenturos.

Carolus Martellus trucidauit triginta millia Saracenorum, & magno terrore liberauit Galliam & Germaniam.

Primus filius Turcici Imperatoris est interfectus à patre, delatus falsis criminationibus per generum, ut eo modo perueniret ad se regnum. Secundus filius sibi consciuit mortem, ut dicitur, dolore fratris. Tertius est inutilis regno.

Accepi literas in quibus scriptum est, Turcos lætari, quòd non debeant uagari per Persiam, sed per Vngariam. Et in ijsdem scriptum est, matrem quandam, defendisse filios duos aduersus Turcum quendam, adeò strenuè, ut utriq; mater & filij manserint incolumes, sed mater amisit dextram, & accepit alia uulnera. Est singulare exemplum. Mater est Vngaria, cui etiamsi præcidatur dextera, tamen aliqui seruabuntur.

Est in uaticinijs Methodij: uulpem educturam è claustris Caucasi rufos Iudæos. Vulpes est Machometus, qui eduxit Turcos in Asiam per occasionem bellorum Persicorum. Turci porrò dicuntur rufi Iudæi, quia sunt cruenti, es sind bluthunde. Dicuntur Iudæi propter superstitionem, quia est quoddam genus hominum superstitiosum. Nostri homines, abiecta superstitione, fiunt efferi & barbari.

Recens ante paucos annos quatuor mille robustißimi uiri, uestiti turcico uestitu ex Vngaria abducti sunt & mißi ad Turcum.

Bessarion Cardinalis, natione Græcus, uir ualde doctus, edidit orationes, in quibus hortatus est Reges & Principes ad bellum contra Turcos mouendum, fuitq; legatus in Galliam, & sæpe in Germaniam missus. Inter cætera exempla in orationibus eius hunc apologum citat: Dicit fuisse bellum magnum inter lupos & canes, & uenisse nuncios ad lupos, qui dixerunt, uenire magnum numerum canum. Ibi unus ex senioribus lupis cohortatus est cæteros, ut sese coniungerent, ac mitterent unum speculatum agmen canum. Ille ascendens montem, uidet magnum agmen canum. Senior lupus interrogat, qualis sit color canum? Respondit, esse uariũ & diuersum. At senior: Res bene se habet, quia diuersi coloris sunt, non diu simul manebunt. Ita quando diuersæ sunt hominum uoluntates, cito fit dißipatio.

Iohannes Hilden monachus Isenaci, prædixit anno 1600. Turcos potituros esse Germania, & Italia. Disputaui cum alijs doctis & honestis uiris, cur non potius Turci appeterent Italiam, ubi essent opes & omnium rerum copia, quàm Germaniam? Responderunt se disputasse cum Turcis eadem de re, qui tandem responderunt: Si Italiam appeteret, concurrerent simul Itali & Germani, ac resisterent eis: sed si Germani uicissent, tunc se ultrò potituros esse Italia.

Memini, cùm essemus in conuentu Augustano, ibi fuisse etiam legationem Vngaricam, & petiuisse

auxi-

auxilium contra Turcos, qui tum contra ipsos in bellum processerant. Sed negligebatur ipsorum querela, & unus ex præcipuis dicebat: Hactenus *bellum* Turcis *fuisse cum rubris ocreis, quando perueniret ad nigras, tunc ipsos multo fortiores uisuros esse uiros. Illud responsum ualde ægre ferebatur à multis: & profectò satis superba & iniqua erat responsio. Quia etiam ad uitanda nostra pericula debemus affici uicinorum calamitate.* Profecto *res magnas gesserunt* Vngari*: duas gentes represserunt*, Scythicam & Turcicam. *Fuerunt murus* Europæ *ab illa parte.*

Scanderbegius *princeps* Epiri *fortißimus fuit, qui ante captam* Constantinopolim *diu* Turcis *fortißimè restitit.* Huic *fuit similis* Georgius Fronsbergius, *qui fuit duodecies uictor.* Hic *dicitur post factam pugnam, quasi uersaretur adhuc inter hostium tela, semper uibrasse gladium, donec fessus in terram delaberetur.*

Vidi *literas scriptas ad nostrum* Imperatorem Carolum V. *de bello* Turcico *à præfecto* Polonico Cracouiensi, *sapiente uiro, in quibus agens de constituendo primo duce, dicit, omnino necessarium esse, ut* Imperator *sit dux in illa expeditione, propter autoritatem, & propter discordiam aliorum regum, consulitq; ipsi adducere sexaginta tantum millia militum.* Sed *miretur aliquis, cur ego tam exiguum numerum constituam, cùm* Imperatores Turcici *secum trahant 20000. militum.* Hoc *ideo se facere scribit, quia illa turba* Turcica *plærunq; sit inermis, quæ in modum latrunculorũ uagetur, & rapiat undecunq; poßit.* At *si uagationes*

istæ prohiberentur (quod facilè posset fieri) commeatum Turcis citò defuturum. Deinde alterã etiam causam addit, *quia non pluribus posset aduehi commeatus, & rem omnem esse positam in unius cum Turcis prælij uictoria.* Quia *si semel profligarentur, uno tantum prælio futuram inclinationem multarum gentium in* Europæ *& alijs terræ partibus.* Imperator Carolus V. *certis de causis iußit mihi illas literas ostendi.*

Ipse *legatus* Turcicus *dixit* Venetijs, *se non satis posse mirari stulticiam regum* Occidentalium, *quòd cùm uideant* Imperatorem Turcicum *implicatum bello* Persico, *& abesse in* Persia, *non bellum in* Hungaria *moueant, & eam rursus ad se retrahant.*

Ante *annos sedecim dissuasit* Capitaneus Imperatoris Caroli V. *ulterius persequi* Turcam *fugientem quia* Turca *posset reparare exercitum, nostri uerò non.*

Iulius Papa *in initio pontificatus mouebat bellum contra* Imperatorem, *postea non secus atq; mus se compescuit & quieuit: fortasse admonitus à* Cardinalibus, *inter quos sunt multi sapientes homines, qui facilè prouiderunt, non ita cuiuis proposito respondere euentum.* Nouerunt *uersum* Phocylidis: καιρῷ λατρεύειν μηδ᾽ ἀντιπνέειν ἀνέμοισι.

Itali *sunt sapientes homines.* Primò *etiam multa mouerunt contra* Carolum V. Imperatorem: *sed postquam intellexerunt eius fortunam, quieuerunt, nec amplius eum iritauerunt.* Nos *stolidi* Germani *putauimus esse somnolentum hominem.*

Quidam Dux *aliquot annos ante bellum ad* Ingolsta-

golstadium gestum, uenit ad ducem Georgium, & fuit hortator, ut eo tempore bellum moueretur. Sed dux Georgius dissuasit, & dixit: An putas illustrißime princeps ultra illos montes non esse quoq; uiros: quasi diceret: & ipsi sunt formidabiles. So helt ein schwerdt das ander in der Scheiden.

Landtgrauius dicebat ante bellum quod gestum est ad Ingolstadium: Ego nunquam suadeo hoc bellum: quia non succedet noster conatus, eò quod non regatur uno capite aut consilio.

Multi boni uiri ante bellum ad Ingolstadium, cùm uiderent illud moueri, dixerunt: Iam mouetur bellum, sed finis eius quando erit? Et profectò iuxta eorum præsagium, longo pòst tempore, nulla pax componi potuit.

Quidam Comes capitaneus, & dux exercitus Caroli V. in proximo bello, cum principibus uoluit dimicare, idq; indicauit Imperatori, ostendens simul opportunitatem opprimendi hostes. Cùm uerò uehementer urgeret, ut committeret prælium: Imperator omnino id fieri noluit, & dixit: Sufficit mihi, si post annum idem minore cum damno consequar. Ibi ille iratus, quod non consilium suum approbaret tumultuatus est coram imperatore, & suam panopliam exuit.

Audiui puer ex patre meo, quòd Albertus dux Bauariæ, auus huius ducis Alberti dixerit: Etsi post diuturnum bellum mihi mediocrem uictoriam Deus concesserit, cui maximas ago gratias: tamen nihil meorum consiliorum conceßit, quemadmodum mecum in

rebus agendis constitueram. Sic recte Thucydides inquit: ἥκιστα ὁ πόλεμος ἐπὶ ῥητοῖς προχωρεῖ, id est: minimè bellum procedit iuxta deliberata.

Non legitis multas triennales obsidiones, sed multas unius anni, & biennales. Triennales obsidiones tantum scio tres. Prima est Bisantij, tempore Imperatoris Seueri ante Constantinum, qui restituit urbem destructam, & prorsus ferè deletam propter opportunitatem loci. Durauit hæc obsidio ultra tres annos, ibi ingens multitudo fortißimorum uirorum intus & foris perijt. Secunda obsidio Bethoron, tempore Adriani Imperatoris, durauit etiam tres annos, defensa est à Bencosban Iudæorum Meßia. Adrianus scripsit ad senatum Romanum, non fuisse leue bellum cum reliquijs gentis Iudaicæ, sed tandem Bethoron fame coacta est facere deditionem. Tertia obsidio fuit Samariæ, quando decem tribus in Assyriam abductæ, & in illarum locum coloni alij ex gentibus introducti, qui deinde aliquos ritus Iudaicos, & quosdam gentiles seruabant, unde Samaritanus erat conuitij nomen.

Maximiliani usitatū fuit dictum: Facilius est regnū occupare, quàm retinere. Ipse expertus locutus est.

Interrogaui aliquando quendam Capitaneum, egregium uirum, qui erat pulsus à Gallo in bello Iuliacensi, an uerum esset, quòd duces bellorum nostro tempore (sicut ferunt) tam grauatim in certamen cum hoste descendant? Ille, inquit, profectò uerum est, & dicam tibi tres causas, quare sic fiat. Prima & principalis causa est, quia habemus reges & principes, qui non intelli-

intelligunt bella, & quando postea committitur error in bello, & pugnando, tunc omnis culpa confertur in unum aliquem. Secunda, quia cùm sit boni ducis non deuitare pericula, sed cohortari milites, ut cum illis etiam in maximis periculis uitæ obequitare, & omnia perlustrare: etiam parcimus libenter nostris corporibus. Tertiò, ideo libenter differimus bella, ut habeamus plus stipendij. Quia mouentes bella eadem temeritate finiunt bella, cum non amplius habent pecuniam, qua inceperunt cum haberent.

Audiui alium Capitaneum, cum esset bellum motum inter duos potentes Dominos, idq; ualde metueretur, dicentem: Non est res periculosa, quia potentes tantum mouent bellum stulto quodam affectu, quando abundant pecunia: ubi uerò ea est exhausta, tunc faciunt fœdera & conditiones pacis, etiamsi nihil earum rerum sit transactum, propter quas prius bellum mouerunt. Et sic accidit in isto bello, quemadmodum Dux ille prædixerat.

Cum Dux quidam bellum gereret cum Venetis, incendit aliquas uillas, in quibus erat multum frumenti. Veneti admonuerunt ne hoc faceret, cum frumentum tam sibi quàm ipsis posset esse usui. Ille rescripsit, ne docerent ipsum, quomodo bellum gerendum esset. Paulo pòst tanta fuit fames in ipsius castris, ut multi præstantißimi uiri fame morerentur. Postea cum milites reuerterentur, in Heluetia nutriti sunt aliquot dies, & instructi uiatico, unde multi qui longiore fame ægrotabant, rursus recreati sunt: aliqui etiam propter

nimiam uirium debilitatem alimenta concoquere non ualentes, mortui sunt.

Cum quidam Mediolanum occupassent, hospites cogebant singulis discumbentibus apponere coronatum, & illam pecuniam nominabant Spilgelt, quod si facere recusarent, diripiebant bona aut incendia minabantur, aut illos concutiebant.

Lantgrauius bonus princeps, ipse ad me dixit: Quàm diu habui pecuniam, & militibus tempestiuè persolui stipendia, tamdiu bonam disciplinam militarem in exercitu conseruare potui: sed si duces non possunt soluere, tunc nihil est, & disciplina militaris strictè seruari non potest.

Cum Veneti Maximiliano Imperatori bellum indicerent, legatus eorum usus est formula antiqua Romana: Populus Senatusq; Venetus bellum indicit Maximiliano. Respondit ei Imperator: Ite & gerite bellum simili stulticia qua indixistis. Sic eadem ratione postea bellum gesserunt.

Epicharmus scripsit, Mineruam præcinuisse saltantibus Castori & Polluci. Significauit autem Mineruam præcinuisse Lacedæmonijs in pugnis & prælijs, hoc est, Lacedæmonios, & sapientia & fortitudine excelluisse in bellis. Hæ enim uirtutes duæ significantur per Mineruam. Item obseruandum est, Lacedæmonios non esse usos tympanis in bellis, sed ante exortum pugnæ præcinuisse fidibus.

Georgius à Fronsberg, quamuis magnanimus miles, tamen etiam adeò benignus ac mitis fuit atq; quisquam

quam alius ſuo tempore inuentus eſt, nulli militi egeno petenti uiaticum negauit, etiamſi ipſi quodammodo carendum eſſet. Hauddubiè inter ſuos ita uixit, ut ipſe nunquam quenquam offenderit, & tamen in acie fuit leo.

Memini me Præſente principem Anhaldinum cum Doctore Martino Luthero de transferendo dominio iure belli conferre. Proponebat Vuolffgangus princeps Anhaldinus, eſſe ingens bellum inter Imperatorem & regem Galliæ, & nos interrogabat, cuius cauſſa iuſtior eſſet? addens etiam hoc ſuæ quæſtioni: ambo Reges ſunt doctißimi, & amborum aulæ uiris doctißimis abundant. Vnde fieri poteſt, ut Iuriſconſulti Regis, in Imperatorē & Imperatoris in regem Galliæ diſputent. Nos reſpondimus, iudicium eſſe penes DEVM, nec facilè poſſe hæc ab hominibus dijudicari. Aſſerebamus etiam ignorantiam notoriæ iniuriæ, aut iniuſticiæ ſubditos excuſare.

Audiui adoleſcens de Palatino Friderico bellatore, quòd fuerit conſuetudo ipſius, ut ſi quando uellet mouere bellum, biennio antè uenaretur apros, quos condiebat. Et inde eius ſubditi coniecturam faciebant eum aliquid moturum, cùm non quotidianis cibis apros conſumeret, ſicut fit in aulis, ſed conditos ſeponeret.

Memorabile eſt, quòd quidam magni nominis Princeps ante aliquot annos de iunioribus quibuſdam ducibus, quorum ætas adhuc feruens erat, dixit: Nihil eſt committendum iuuenibus, tantum perdunt exercitus. Quare nihil poteſtatis in exercitum ipſis concedatis.

Non est gesta maior pugna nostro tempore, quàm ad Rauennam, ubi Pontifex Iulius fuit instructus electißimo & robustißimo exercitu Hispanico, Heluetico & Italico, quo bellum inferre tentabat Maximiliano & Ludouico Regi Galliæ, qui se cum Maximiliano coniunxerat. Maximilianus re cognita, mittit Langium Cardinalem Saltzburgensem ab Pontificem, ut faceret pacem cum eo, qui cum diu Romæ cum eo egisset, tandem simplicißimè proponit Pontifici: Sanctißime pater, simpliciter, bellum aut pax. Respondit Pontifex, ut erat furiosus: Bellum. Langius, hoc responso accepto, celeriter per ueredarios equos properat ad Maximilianum. In uia intelligit pugnam iam commissam esse ad Rauennam, & uictum esse Papæ exercitum. Ibi Pontifex ex uia reuocat Langium, ut cum eo de pacis conditionibus agat, mittens ei simul munera. Sed Cardinalis omnia illa remisit, ita ut ex eis unum tantum salmum retineret, quo significauit, se non aspernari munera Pontificis, sed alias grauißimas caussas habere, quare eas suscipere non posset. Ita ipse non passus est se retrahi: maluit enim domino suo Imperatori uictoriam nunciare. Cùm Papa in illa pugna bene instructus esset bombardis, nostri Germani milites id non ignorantes, in terra procubuerunt, ut globi, illæsis ipsis, præteruolarent, eoq; stratagemate periculum globorum declinauerunt. Postea Gallicus quidam dux Namorsa cum ala electißimorum militum alloquitur Germanos: Vos fideles, inquiens, Germani, meo exemplo in hostes qua potestis animi ala-

alacricate irruite: quo dicto, primus in hostes impetum fecit, & Germani strenue eum secuti sunt. Ita Hispanos, qui primam aciem tenebant, ad unum omnes trucidant. Dux autem Namorsa seipsum deuouerat pro Imperatore, unde fortißimè in illo conflictu acerrimo interfectus est. Postea uerò Papa quibuscunq; conditionibus coactus est facere pacem.

Princeps quidam, cum uellet incipere bellum, dicebat: Aut aliquid, aut nihil. Respondit aliquis ex consiliarijs: Tua celsitudo iam quidem est aliquid, at si uelit, facilè nihil fieri potest.

Quidam dux cum appeteret dignitatem Imperatoriam, mouit bellum contra Imperatorem Henricum Aucupem, qui suffragijs principum acceperat coronam, contra quem Heinricus coactus est se defendere, ac proficiscitur in ea loca, ubi habebat dux alter exercitum. Ibi Heinricus obtulit conditionem alteri, ne dimicaret, ipsum, si uellent principes, libenter dignitate Imperatoria cessurum esse. Tenuit autem Heinricus Auceps tunc temporis totam Saxoniam à littore Oceani septentrionalis usq; ad Thuringiam. Intercesserunt boni homines, qui suaserunt alteri duci ne dimicaret. Composita postea pace ille dux dixit, se uidisse in uisione seu somnio uirum stantem cum gladio sine capite, unde sumpsit coniecturam, se plane infeliciter dimicaturum.

STRATAGEMATA.

Valde usitatum est in Italia, ut præstantißimi

duces

duces habeant magna uolumina stratagematum: antiquorum & recentium, quorum lectione commonefaciunt se de multis rebus. Vetus est stratagema, quo magni sæpe superati sunt exercitus. Isto ueteri stratagemate Galli aliquando dicuntur usi aduersus Cæsarianos milites. Præmiserunt autem currus oneratos serico & alijs pannis, quos milites Cæsariani auidè & securè inuaserunt. Galli interea illos, dum inter se de præda concertant, suo equitatu incautos inuadunt atq; opprimunt.

Cymon sapientißimus ac fortißimus Dux tanta modestia præditus fuit, ut cùm ex Ionia secum poetam duxisset, qui eius laudes nimis amplas descripsisset, non modò non delectatus sit, uerum etiam id ægerrimè tulerit. Dicebat enim ex nullis rebus suis gestis ullam laudem quærere, nisi tantum ex uno stratagemate. Hoc autem erat tale, quod sine ullius offensione, aut læsione erga suos ciues Lacedæmonios usurpauerat. Cum enim magno prælio Persas uicisset, multosq; captiuos, & immensam prædam ex ea pugna retulisset, quæ omnia simul ipsi cum suis ciuibus erant diuidenda: ibi Cymon ignarus auariciæ Lacedæmoniorum quicquid erat auri & argenti in unum locum, corpora uerò captiuorum uili uestitu induta ex altera parte collocari iußit, deditq; deinceps Lacedæmonijs electionem. Lacedæmonij uerò auaritia decepti, auidè eam partem elegerunt, in qua aurum & argentum collocatum erat, insuperq; Cymoni pro tam liberali diuisione, optionisq; permißione gratias egerunt. Verum Cymon non mino-

rem

rem prædam una cum laude est assecutus. Erant namq; *inter captiuos multi nobilißimi ac ditißimi uiri, quos cùm ipse se redimere permitteret, ingentem pecuniam, & quidem multo maiorem quàm ipsi* Lacedæmones *ex eorum redemptione ac liberatione, etiam cum gratia collegit.* Quinetiam *credo ex hac liberatione captiuorum ipsum tantum gratiæ apud hostes iniuisse, ut hæc fuerit præcipua causa, quòd postea tanta* Asiæ *declinatio ad ipsum facta sit.* Sic Cymon *hoc eleganti stratagemate & suæ utilitati consuluit, & duplicem gratiam apud* Lacedæmonios *scilicet liberalitatis, et apud captiuos clementiæ iniuit.*

Hannibal *multis collectis bobus ad cornua faces alligat, eosq; ad saltum contra* Fabium *exagitat.* Turbato Fabio, *saluus euadit cum exercitu* Hannibal.

Stratagema præclarum.

Cum Imperator Conradus *obsedisset oppidum* Vueinßberg, *quod quatuor milliaribus distat à mea patria (credo ibi fuisse munitionem, quia situm habet similem arci* Coburgensi. In *ea obsidione erat* Guelfus *dux* Bauariæ, *erat etiam ibi gynæcium, & aliorum dominorum coniuges, filij & puellæ) & cùm tandem deficeret frumentum, excogitabatur consilium à mulieribus, petendum esse ab* Imperatore, *ut liceret ipsis egredi ex arce cum ijs rebus, quas asportare possent.* Hoc *concesßit* Imperator, *quia æquißimum est mulieribus præstare beneuolentiam.* Mulieres *egrediuntur, & gestant singulæ aliquos principes, & uiros præci-*

puæ

puæ authoritatis. Egregium ſanè ſtratagema mulierum prætendentium ſe geſtare ſuas res: quia mariti etiam ipſorum erant. Apud Imperatorem contradiſputabatur, uiolari pacta, non eſſe intellectum de uiris, ſed de ornamentis mulierum. Sed quid erat faciendum Imperatori? erat à mulieribus deceptus. In meliorem itaq; partem interpretatus eſt, iuſsit ut geſtarent uiros in tentorium ſuum, ubi conſederunt, pranſi ſunt, & fecerunt pacem. Pulchrum quidem & Germanicum ſtratagema.

Quidam bellum gerens cum Epiſcopo Moguntinenſi, cum in uindemia uinum conuehi uideret, interrogare ſolebat, cuius nam eſſet illud uinum? Quòd ſi reſponderetur, eſſe Capituli, ipſe cepit, & abduxit ſecum: ſi uerò diceretur, huius uel alterius eſſe Canonici, reſpondit: Hic eſt meus amicus: & ſic aurigam liberè dimiſit, ſubiecitq; hoc ſibi uſitatum prouerbium: Domini quidem probi ſunt, ſed Capitulum eſt nequam.

Landtgrauius cum cepiſſet ſecretariū Ducis cuiuſdam, ibi Dux obiecit ei (quod ualde ſpecioſum erat) non eſſe iuſtum capere Legatos. Landtgrauius econtrà habebat exceptionem, quòd inueniſſet exemplum apud Liuium, ubi Romani interceperunt legatos Athenienſium: & iudicatum eſt rectè fieri. Simile exemplum eſt apud Herodotum, ubi Athenienſes ceperunt legatos Lacedæmoniorum, ituros ad regem Perſicum, ut fœdera ferirent, & auxilia impetrarent contra eos, & ſtatim illos interfecerunt.

Paches,

Paches, cum obsideret Colophonem, nouerat Arcadicum ducem (cuius erat excellens industria) in urbe esse. Igitur euocat illum, & simulat se uelle cum eo colloqui, promittens ei incolumitatem, & saluum in urbem reditum. Egresso ipso Paches expugnat urbem, qui sciebat sine duce nihil effecturum esse exercitum. Capta uerò urbe, iterum ducem introduxit, ut sic seruare uideretur quod ipsi promiserat: uerùm postea eum callido hoc sophismate elusum iniquè trucidauit. Qua re Paches etiam seipsum gladio confodit: quia Deus puniuit iniusticiam illam.

Romanum sophisma.

Quando Popilius missus fuit legatus ad Antiochũ, hominem uafrum & leuem prorsus, uoluit cum Cretensi cretisare. Quare iuxta mandatum Senatus pactus est, ut dimidium nauium Romani retinerent. Postea uerò idem Popilius dissecari omnes naues curauit, & trabes sectas ita diuidi, ut dimidium relinqueretur Antiocho.

VICTORIA, EIVSdemq; moderatio.

Episcopus Spirensis uictus ab electore Palatino, cum fuisset hostis eius, uenit ultrò, sibi restim seu laqueum collo circundans, ac flexis genibus petiuit mitigationem pœnæ. Princeps pro sua clementia hac humilitate motus, pepercit ei, dimisitq; eum statim.

Laurentius Medices uir magnanimus, sapiens, hostis reipub. Florentinæ, sciens se non esse parem aduer-

sario

sario suo Alfonso, tanto regi, ascendit nauim, & non petita publica pace, nauigauit ad portum Neapolitanum. Cum uerò eò peruenisset, iubet regi indicari, adesse Laurentium Medicem. Rex miratus ipsius aduentum, iußit indicari ipsi, ut ad se ueniret. Sed Laurentius: Nolo, inquit, egredi nauim, nisi prius sciam, an ad amicum, an uerò ad hostem mihi eundum sit. Rex respondit, hoc penes illum esse, eligat utrum uelit: sed malle se, ut ueniret tanquam ad amicum. Hæc fuit uirtus eximia, & laude dignißima in Rege. Ita facto colloquio pacem inter se fecerunt.

Quando Pausanias uicit ad Plateas exercitum Darij, trucidatis decem millibus hominum, singularē modestiam & clementiam erga uictos ostendit. Cùm enim Aeginetæ hortarentur, ut capita ducum affigeret hastis & circumferret, improbauit ipsorum consilium & dixit, non esse insultandum mortuis, satis est mihi patriæ & Deo placere. Factus est postea præses Bizantij, ubi elatus econtrà insolentiæ pœnas dedit.

Cùm Palatinus cepisset tres Principes, in prima cœna prohibuit eis apponere panem. Illi cum sederent in mensa, & scirent Palatinum non hostiliter sæuiturum esse in illorum corpora, (sicut postea etiam dimißi sunt, factis conditionibus, ubi Palatinus admodum suam clementiam erga illos declaruit) petiuerunt sibi panem præberi: habere ipsos unde soluerent. Ibi Palatinus iußit ipsis renunciari, se hoc ideo fecisse, ut commonefierent ipsos non geßisse bellum sicut de-

cet

eet bonos principes, propterea quòd non pepercissent exercitus per segetes, non coacti ulla necessitate. In pædia Cyri est, quòd cùm Cyrus faceret expeditionem, præcipere solitus sit militibus, ut parcerent agricolis, ne segetes uastarentur.

Fridericus Palatinus, qui uixit patrum nostrorum memoria, deuictis his tribus principibus, cùm ueniret Heydelbergam, non statim ascendit arcem, sed prius ingrediebatur templum, ubi flexis genibus ad aram longo tempore dixit suam precationem ad Deum & egit gratias pro liberatione ex periculis.

Quando Dux Luneburgensis cepit suum hostem, & captum duxit in arcem Cellensem, uenit ei obuiam coniunx cum gynæcio, & obtulit marito coronam auream tanquam uictori: & hosti capto etiam tradidit coronam auream, propterea quòd fortiter pugnasset. Postea simul ceperunt cibum, familiariter colloquentes, & æquissimis conditionibus factis, ipsum rursus dimisit.

Alphonsus rex Neapolitanus, uiuens tempore maiorum nostrorum, fuit unus de sapientissimis regibus, ualde doctus, & magnas res cum magna admiratione gessit, fuit eiectus ac expulsus, iterumq; in regnum rediit. Is quando obsedit Caietam, Caietani emiserunt magnam turbam senum, mulierum, puerorum, & puellarum ex urbe, ut reliqui possent diutius habere in obsidione urbis frumenta & alias res necessarias. Ibi quidam consiliarij consuluerunt regi, ut hanc miseram multitudinem aut saltem partem eius in conspectu urbis in-

bis interfici mandaret, quo spectaculo ab inhabitatoribus uiso, citius facerent deditionem. Et historiographus inquit: Deus mihi ignoscat, idem & ego regi consului. Tunc Rex stetit attonitus & cogitabundus, tandemq; post longum silentium in hæc uerba prorupit: Totum regnum Neapolitanũ non est mihi tanti, ut impetum in hanc miseram turbam faciam: deditq; statim seuerißimum mandatum, ut omnes incolumes in uicina oppida & loca distribuerentur. Hoc cùm aspicerent inhabitatores urbis in muris & turribus, re cognita, statim fecerunt deditionem, moti uirtute & clementia Regis in uictoria ferè parta. Sic uidetis quanto plus faciat uirtus, quàm crudelitas. Magis enim flectuntur animi clementia, quàm immanitate et ferocia. Quare pulchre dixit Scipio, se malle unum ciuem seruare, quàm totam legionem hostium delere.

Rami oleæ significatio.

Ramus oleæ significant pacem. Vnde olim consuetudo, ut petentes pacem eorum legati ramum oleæ hosti deferrent. Cùm Scipio uicisset Hannibalem, & desperata esset defensio Carthaginis, Carthaginenses miserunt nauem cum legatis ad Scipionem petitum pacem. Postquam uerò primum à Romanis conspicerentur, indicatur Scipioni à speculatore, adesse hostium naues. Quòd cùm intellexisset Scipio, iubet suas promoueri naues ad incursandum hosti. Cùm uerò propius in conspectu Romanorum accesßissent, uidit speculator ramum oleæ in prora nauis suspensum, indicatq;

eatq; idem Scipioni. Ibi Scipio statim sistit suas naues, nec eas ulterius in hostes promouet: quia ex oleæ ramo eos cognouit uenire petitum pacem.

Maximilianus in puniendis delictis leuißimis, in uindicanda auaritia militum acerrimus fuit. In bello Veneto, cùm capta Vincentia, quidam iniussu suo in aliquot ciuium ædes prædandi causa impetum fecissent: statim illam totam cohortem oppreßit, & plures ducentis securi percuti iußit, ut eo exemplo ostenderet, non omnia uictoribus in uictos licere.

Est magna laus & bonitas principis Landtgrauij Haßiæ Philippi, curantis in expeditione Vuitenbergensi quàm diligentißimè ne fierent rapinæ in territorio hostili. Non solum à socijs abstinuit, sed etiam à prædis hostium. Illa laus est etiam in historia Bellisarij.

Alexander cepit regem Indicum Porum, & interrogauit eum quomodo se tractari cuperet. Respondit, βασιλικῶς. Alexander uerò pro eximia sua clementia reliquit ei regnum, liberumq; eum dimisit, cùm id non potuisset facere: quia iam erat dominus captiui regis Pori. Sic Rex Geticus quem uocant Syrmium, id est defensorem, cum cepisset regem Lysimachum Alexandri satellitem, facta pace cum eo, dedit ei filiam, dimisitq; ipsum incolumem.

Noster Imperator olim capto rege Galliæ, cùm iam dominus eius esset, progressus ei obuiam amplexus est eum amicè, dicens: Mon frere n' aye peur, car tes affaires se porte bien, id est, mi frater habe pa-

tientiam, res tuæ non male succedunt: egit fraternè cum eo.

Neapolis à Totila rege Gothorum cincta obsidione, cum facere deditionem cogeretur, ibi tanta fuit uirtus Totilæ, ut exercitum in urbem illæsis planè ciuibus mitteret, & priusquam ingrederetur exercitus, misit in urbem frumentum, cui milites addidit, qui distribuerent ciuibus, ne diriperetur à prædonibus. Valde prædicatur ille summus rex ab Historiographis. In prima uictoria Italica, cùm cœpisset magnam multitudinem nobilißimarum matronarum iuuenum, & puellarum, diligentißime eas curauit deduci ad parentes. Cum porrò cernerent Neapoli, & in alijs urbibus illam clementiam, & uirtutes Totilæ, libentius ei dediderunt. Et magna inclinatio Italiæ facta est ad eum propter ipsius clementiam & uirtutes, cum aliâs essent petulantes grassatores in Italia.

Cæsar in pugna Pharsalica, cum uideret eam inclinare, clamauit miles: Parce ciuibus.

Pericli datum est uitio, quòd magis esset intentus in feriendos ciues, quàm in hostes. Multi semper huic similes reperiuntur, qui magis intenti sunt in hoc, ut se mutuò perdant quàm ut uincant hostes. Quando imperia sunt ruitura, tum ista fiunt. Athenæ ceciderunt Periclis stulticia, qui hoc agebat ut premeret eminentiores ciues magis quàm hostes, & sic implicuit eos bello exitiali.

An faciens deditionem rectè faciat?

Quærebam aliquando, an sit capitaneo facienda deditio:

deditio : *sicut accidit in deditione arcis* Blassenburg ? Et *responsum est : Ita.* Interrogabam *ulterius an habuissent uictualia :* Responderunt *mihi, nihil se habuisse, nisi paululum panis, quo uix potuissent nutriri uno mense.* Non *fecerunt igitur contra fidem datam facientes deditionem.*

Contrà.

Capitaneus defensionem arcis anteferre uitæ suæ debet.

Illi defensionem arcis non antetulerunt uitæ suæ.

Ergò : *non rectè fecerunt : & per consequens non debuissent se dedere propter aliquorum morbos uel famem.* Responsum *est ad maiorem : Capitaneus debet defensionem anteferre suæ uitæ, donec cum uiris certamen est, sed quando certamen est cum natura, tunc debet esse finis belli, quando pereunt illi, quibus bella parcere solent, ut sunt miseri pueri, mulieres & senes.* Extat *pulchrum exemplum in primo libro* Xenophontis, *de eo, qui* Byzantium *tenuerat nomine* Lacedæmoniorum. Dux Byzantiorũ *Anaxilaus diu tenuerat urbem ab hostibus obsessam, imò tam diu donec uideret milites passim fame mori : quo uiso fecit deditionem, postea* Spartæ *accusatus propter deditionem urbis, respondit, se tenuisse urbem, dum bellum fuisset cum hostibus, sed cum bellum esset cum natura, id est, cum fame pereundũ esset, se fecisse deditionem.* Ephori Lacedæmonici *laudabiliter eum fecisse iudicarunt, ipsumq́; absoluerunt.* Ita *illi etiam* Blassenburgenses *facientes deditionem propter necessitatem & famem,*

ſunt excuſati, nec eos inhoneſtè feciſſe iudicatur. Sed humana uel potius diabolica pertinacia decurrit ſæpe ad exempla crudeliſsima contra naturam humanam: ſicut recitantur hiſtoriæ harum urbium: Hieroſolymæ, Samariæ, & Potideæ in bello Peloponneſiaco.

Quatuor inſignes obſidiones.

Scribitur de Potidea, quòd tanta fuerit fames in bello Peloponeſiaco, ut uentum ſit ad humanas carnes, quibus cœperunt ueſci illi, qui erant in præſidio. Deinde ſcribitur de Duneto in Africano bello, quòd milites ſint decimati. id eſt, decimum quemq; militum ſecuerint in partes & deuorauerint: hoc enim uocant decimare milites. Tertiò ſimile exemplum legitur in hiſtoria Iudaica, quando Titus & Veſpaſianus urbem die Paſchatis obſidione cinxerunt. Quartò, quando Amilcar pater Hannibalis oppugnauit Vticam, ſicut Polybius refert, etiam decimatæ ſunt legiones, id eſt, decimum quemq; elegerunt, quem cæteris comedendum præbuerunt, & noſtro tempore in urbe Monaſterienſi etiam uentum eſt ad ſimiles calamitates & miſerias (quamuis non ad carnes humanas) ut comederent coria. Quanta eſt miſeria, homines ſe potius fame perdere, quàm facere deditionem. Sed hi furores ſunt diabolici, ſicut dicit Polybius eodem in loco. Hæc quatuor exempla tantum memini, in quibus uentum eſt ad humanas hoſtias.

Cùm obſidione cingeretur urbs Coppenhagen à clementiſsimo rege Chriſtiano, dux Mechelburgenſis Albertus, cum coniuge in urbe magna fame laborabat.

Rex uerò Christianus, quotidie cognatæ suæ intra urbem domo mittebat multū cibi & potus, carnes ferinas, et alia edulia, in tanta copia, ut inde multi pascerentur: hoc consilio, ut declararet suam clementiam, & beneuolentiam cognatæ suæ principissæ, quæ adhuc uiuit. Interea tamen inde quoq; alebatur dominus cum plurimis alijs, ita ut non facerent deditionē saltem longo tempore. Capitaneus, qui ibidem erat, interdiu dormiebat, ne conspiceretur & interficeretur: noctu uerò ordinabat uigilias, circumibat, & alia ad militarem apparatum pertinentia parabat.

DE SEDITIONIBVS & seditiosis.

Pictura seditiosorum.

Aristophanes (quem Plautus imitatus) inquit: ut qui anguillas capiunt, prius turbant aquas (quia anguillæ abdunt se infra limum, quæ turbata aqua, strangulantur in locis limosis seu paludibus) sic Cleon non potest crescere nisi prius turbata Repub. Is Cleon homo turbulentißimus, multa scelerate fecit, fuit caussa ut Athenienses amitterent oram Thraciæ. Ita quemadmodum optimi quiq; semper paci ac tranquillitati reipublicæ student: sic sceleratißimi maximè bellum & perturbationes amant ac desiderant.

Pœna seditionis.

Monetarius mouet seditionem, in qua admodum miserabiliter perit. Cùm enim comites Stolbergenses suspendissent eius patrem, ipse ob ignominiosam patris

necem odio incensus, inuasit illorum comitatum, uolens eum ui ad se transferre. Adhæserunt uerò ipsi multi homines, qui propè oppidum Franckenhausen trucidati sunt: ipse uerò alligatus currui, decollabatur. Cùm unus ex aulicis nostri principis Saxoniæ propius ad eum accessisset, qui ipsi notus erat, petiuit ut sibi adferret potum, quo allato, in tanto dolore & metu mortis, duodecim cantharos aquæ exhausit.

De origine seditionis rusticanæ, & numero interfectorum in eadem.

In seditione rusticana ultra triginta millia rusticorum sunt interfecta. Schapler concionator Memmingensis duodecim articulos de libertate Christiana composuerat. Struthius Isenaci & Vuicelius census & uectigalia abolere conabantur. Hic phanaticus furor postea uagabatur ferè per totam Germaniam. Ad oppidum Franckenhausen perierunt ultrà quingenti: iuxta Argentoratum uerò sexcenti: ad oppidum Mülhausen porrò mille & sexcenti: in ducatu Vuirtenbergensi octingenti. Initium uerò huius historiæ erat ex iniusticia Abbatis. Abbas alicuius cœnobij non procul ab Vlma, habuit sub se seruos, quales sunt in Vuestphalia. Cùm autem esset mortuus quidam auriga in pago, accepit Abbas non tantum equum, qui ipsi iure debebatur, uerùm etiam abstulit contra ipsorum iurā uinum, quod rusticus emerat de suo peculio. Hæredes rustici de illa iniusticia Abbatis apud plurimos conqueruntur. Vnde ingens multitudo, miseratione erga hæredes indignè

dignè ſpoliatos commota, paulatim concurrit, mouenſque tumultum, in quo monaſterium euertit. Poſtea ueluti contagione quadam indies malum id latius ſerpebat, & undiq; plures concurrerunt, præcipuè ad cellas ingurgitantes ſeſe uino: tandem conabantur omnes facultates diripere, non conſiderantes egregiam illam ſententiam: *Quod iuſtum eſt, iuſtè perſequeris.*

In Franconia circa oppida Kittingam, Herbipolem, & Vuerthaimum, etiam aliquot centeni ſunt puniti & interfecti. Quantis autem in periculis nobilitas Franconiæ eo tempore ſæpius fuerit, non ſatis ex relationibus patris ſui, uir nobilis Caſparus Zolner mihi & alijs declarare potuit.

Exemplum punitæ ſeditionis.

Roſa homo priuatus collegit exiguas copias, & ſe oppoſuit poteſtati Mediolanenſi. Cùm uero eſſet captus, extraxit gladium militis, qui eum ducebat, & ſe transfodit. Exutis autem eius ueſtibus inuenerunt in marſupio teſtamentum his uerbis ſcriptum: Domine Deus, tu cauſſam meam cognouiſti, quod ſit iuſta, & ſi in ea mori debeam, tu dabis mihi propter eam uitam æternam, aut locum aliquem apud Catonem.

Stratagemata, quibus ſeditiones ſunt pacatæ.

Cùm exercitus Alexandri mouiſſet ſeditionem: Prodeat, inquit, aliquis ueſtrum, qui auſit dicere, ſuos fuiſſe maiores labores, quàm mei fuerunt, qui deduxi uos ex horrendis iſtis locis in tantam opulentiam Aſiæ,

Tanta fuit Alexandri autoritas in exercitu suo, ut omnes continuò clamarent, se uelle obsequi. Sic quoque Scipio solo uultu compescuit seditiosos. Augustus item, breuissima uoce compescuit tumultuantem exercitum, exclamans: Audite iuuents senem, quem senes iuuenem audiebant.

Narrabo uobis historiam de Germanico, factam in castris prope Moguntiam: In exercitu Romano erat orta seditio. Postea cum Germanicus redierat (absfuerat enim) ibi iubet ut uxor ipsius Agrippina unà cum paruis liberis ex tentorio egrederetur, & in conspect u omnium simularet se abituram. Illa enim erat neptis Augusti, coniunx Drusi, medica, circumibat & curabat ægrotos milites, & opem ferebat pauperibus & tenuioribus. Hic Germanicus alloquitur milites: Videtis, inquit, Hæc mulier, quæ est neptis Augusti, & bene merita de toto exercitu, cum paruis liberis iam est abitura in alia loca, quia hic non potest esse tuta. Illi muliere conspecta, uociferantur, & clamant se uelle obedire, & ita cessauit seditio.

Cùm plebs Romana à Senatu dissideret, secessumque esset in sacrum montem, nec seueriore ulla oratione flecteretur, missus est Agrippa, qui uniuersam multitudinem lepido apologo, de uentre & membris ita cepit, ut statim libêret in gratiam cum patribus redire.

DE HOMICIDIIS, aliisque tragicis casibus.

Nemo est Dominus suorum membrorum. Est optimum

mum dictum Iurisconsultorum quod probatur ex illo fonte: Non occides. Nulla uis igitur aut iniuria etiam proprijs membris est inferenda: nec enim illis est utendum pro nostra libidine, sed iuxta normam in Decalogo nobis à Deo præscriptam. In honore igitur & puritate conseruanda sunt, ne crapula aut alijs illicitis modis ea destruamus, & homicidæ (sicut proh dolor multi inueniuntur) nostrorum corporum fiamus.

Anno 1554. die 30. Iulij, narrauit D. Philippus, sibi scriptum esse hoc horrendum facinus, quod accidit in oppido quodam Misniæ: ibi duo nobiles amici una potauerunt. Deinde inter potandum, orta inter eos rixa, alter sauciauit alterum, ut statim moreretur. Cùm uerò aufugisset homicida, pater cognito interitu filij sui, statim conscendit equum (quia fuit præfectus in eo loco) uolens ulcisci necem filij. Inter insequendum excußit eum equus, ut laberetur humi ac ceruicem frangeret. Hæ pœnæ diuinæ sequuntur ebrietatem. Huius exempli mementote quis fuerit exitus: causam impulsiuam ipsius litis ignoro.

Legitur historia de muliere, quæ ueneno interfecerat uirum & priuignum, eo quòd illi prius alterum filium eius mulieris ex priore genitum marito interemissent. Areopagitæ, causa cognita, iudicarunt post centesimum annum accusatores eius esse redituros, id est, neq; damnauerunt, neq; eam absoluerunt.

Valentinus papæ Alexandri filius fuit peßimus nebulo, qui proprium interfecit patrem ueneno. idq;

hac

hac occasione: Cùm pater & filius conspirassent de dando ueneno cuidam Cardinali, quem ad se uocauerant, minister errans dedit uenenum ipsi Alexandro papæ, & filio Valentino: Cardinalis incolumis seruatus est. Cùm porrò ipsi sentirent se habuisse uenenum, ambo inuoluti sunt mulis, ut ille recentis mulæ calor ueneni uim exhauriret. Pater tamen, nihil hoc remedio adiutus, est mortuus: filius uerò est seruatus ad aliam pœnam: qui nequam postea multum turbauit Italiam, cuius symbolum fuit: O Cæsar, ô nullo. Et quidem iuxta symbolum factus est nulla.

Vidi quendam affici supplicio Tubingæ ob unicum ac deplorandum latrocinium. Casu enim latro cum alio quodam peregrino in unum conuenerat diuersorium, amboq; paulo largius biberant: alter ignotus hospes, & uiarum ignarus, dixit: Est mihi iter faciendum per proximam ignotam syluam, & non noui uiam, si quis esset, qui monstraret iter, gratum mihi faceret officium. Alter aßidens etiam bene potus. Ego, inquit, una ibo tecum: sicut illud genus hominum est officiosum, libenter monstrat uias ac peregrinos comitatur. Cùm ueniunt in syluam, præcedit ignarus uiæ, alter sequitur, cogitans: Quoniam petiuit sibi monstrari uiam, fert secum fortaßis pecuniam, ob quam sibi metuit: quare tu occides eum, ut illa potiaris. Ita diabolus impulit eum, ut peregrinum occideret. Sed spe sua miserè frustratus, inuenit apud eum tantùm septem uel octo numulos. Rediens itaq; in diuersorium edit ingentes gemitus. Hospes malè de eo

suspica-

suspicabatur. Altero die, alij isthac perambulantes inueniunt cadauer interfecti. Quare homicida ex illis coniecturis captus, statim confitetur facinus, inquiens: Non est opus tortura, ego feci. Mox itaq; rapiebatur ad supplicium. Vidi eum morientem & deplorantem in rota suam calamitatem, ac ualde dolebat superatum fuisse à diabolo.

Anno 1544. decimo quarto Iunij, Vitus Theodorus ex urbe Norinberga horrendum casum Vuitenbergam scripsit. Vidua quædam à quodam scholastico grauida facta fuit, tandem cùm ad baptismum infans est delatus, ibi sacerdos patrem scire uoluit: cùm non possent indicare patrem, puer est relatus ad matrem sine baptismo. Mater auditis ijs, quæ acciderant, mox infantem occidit, ac se etiam illico suspendit. Scholasticus uerò pater pueri re comperta seipsum quoq; confodit. Sacerdos item postquàm hæc audiuit, se quoque suspendit. Horrendum illum casum Lutherus cum singulari gemitu deplorauit, inquiens: Ah quàm horrenda facinora, corpus & animam perdunt. Ergo oremus & uigilemus, sathan non dormit. Monet etiam hæc historia, sacerdotes esse ministros & non dominos sacramentorum.

In Bauaria quidam affectus est supplicio qui tres coniuges suas ueneno necauit, quantumuis putaret se uelle facinus occultare, tamen mirabili Dei iudicio res patefacta est.

Fribergæ in Misnia anno 1550. interfectus est sponsus illa hora, qua debuit deduci ad desponsatio-

nem

nem, casu à sodali emisso globo ex bombarda. Hæc fuit fortuita cædes non ex insidijs facta.

Quidam ciuis Cygnæus profectus est in uallem Ioachimicam ad suum fratrem, propter negocia quædam metallica conficienda, simul etiam allaturus inde aliquantulum pecuniæ, puto 100. Ioachimicos, qui ipsi debebantur ex uenis metallicis. Vesperi cum postero die alter frater ex uallibus reuerteretur Cygnæam, metuens fortasse sibi, dixit ad alterum in uallibus habitantem: Quæso, ut mecum eas per syluam, quia solitudo est mihi molesta: & sic eum inuitauit, ut ipsum comitaretur. Postquàm uentum est in syluam, frater, qui erat comes, dixit alteri: Des mihi mutuo decem Ioachimicos. Alter respondet: Non possum, quia debeo & feci spem meis creditoribus, me iam ipsis soluturum, sed dabo tibi duos Ioachimicos. Alter hoc audito, paulo pòst ab eo receßit, & eiaculato globo ex bombarda, fratrem confodit, ipsoq; spoliato domum reuertitur. Postero uerò die homines ex Vallibus in syluam egreßi inueniunt cadauer, & statim magistratui annunciant. Magistratus motus suspicione aliqua, cingunt domum fratris interfecti, ille statim confitetur facinus, orans ut de eo cito sumatur supplicium, nam cruciatus conscientiæ suæ se non posse diutius sustinere. Dicunt postea eum in pia inuocatione esse mortuum, & admonuisse turbam astantem, ne uiueret in tanta securitate. Nominatim etiam monuit homines, ne diu abstinerent se à communione cœnæ Domini, se enim in tali securitate uiuentem à diabolo impulsum

pulſum eſſe ad talia ſcelera perpetranda. Dixit *etiam ſe audiuiſſe in egreſſu ſyluæ uocem fratris uocantis ipſum. Amborum autem uxores eo tempore grauidæ fuerunt.* Hoc *exemplum mementote, ut uos quoq; diſcatis inuocare* DEVM, *ne uos inducat in tentationem, hoc eſt, ne ſinat uos opprimi ſeu mergi in uarijs* Diaboli *tentationibus.* Diabolus *impulit illum miſerum hominem ad perpetrandum hoc horribile facinus contra* Deum *& conſcientiam.* Pleriq; *uiuunt in horribilibus peccatis ſecurè, quaſi eſſent tempora tranquilla, ſimulq;* Diabolus *acquieſceret.* Immò *uigilemus ſolicitiq; ſimus, ne laxemus frena cupiditatibus: ſimul rogemus, ut* Deus *nos* Spiritu *ſancto ſuo regat, & uaſa ſuæ miſericordiæ faciat.*

Quando Iulius *in rogo combuſtus eſt, imago eius oſtenſa in igni fuit, tanta arte depicta, ut loca ſingulorum uulnerum cruentata conſpici poſſent.* Ibi *tota ciuitas attonita ſtetit, & inter cæteros* Antonius, *dicens: optare, ſe potius interfectũ eſſe, quàm talem uirum, cuius excellentiſsima uirtus fuiſſet.* Additæ *ſunt tragœdiæ, in quibus clamatum eſt:* Mene *ſeruaſſe ut eſſent qui perderent?* Populus *commonefactus iſtis ſpectaculis, quæſiuit ſtatim authores cædis, unde intra biennium (omnes qui conſcij fuerunt cædis* C. Iulij Cæſaris, *etiam qui aufugerant) interficiuntur.*

Trebonius *ille præſtantiſsimus uir, qui etiam fuit ſocius coniurationis in* C. Iul. Cæſarem *(credo ſic à* Bruto *perſuaſus) fuit primus qui necatus eſt.* Dolobella *eum cruciauit totum triduũ in carcere, poſteaq; atrociſsimè*

præci-

præcidit ei caput, & publicè abiecit eum in forum. Fuit miserabile spectaculum. Ita perijt ille intimus consiliarius Iulij Cæsaris, qui absente eo fuit pretor, rexit Italiam, cui Cæsar maximè confisus est: præfuit castris solus ad Maßiliam.

Fuit lex Aegyptia, quando pater occidit filium suũ, tunc pater non est occisus, sed fuit ordinatum, ut triduo sederet apud cadauer. Non uoluerunt illi summo dolori addere aliam calamitatem. Cogitauerunt enim illam esse horribilem carnificinam, parentes sedere spectatores necis filij.

Capnio narrauit de duce Eberhardo Vuirtenbergensi, quòd aliquando Romæ fuerit, & cùm petiturus esset templum, additos illi (ut fit) honoris caussa duos Cardinales. Ingreßi templum, cùm starent spectabundi, uenit quidam (ut uidebatur) mendicus, gestans in capite fasciculum graminum? perueniens ad ipsos, cœpit gramina illa spargere, & occultè promens ex ijs sicam, qua unum Cardinalem, ad latus Principis stantem, obtruncauit, statimq; aufugit. Quo uiso spectaculo Princeps perterrefactus, dixit: Ego profectò non petam amplius templum Romæ, cùm in eo tantum sit periculi. Et recens in Italia etiam in templo adolescens nobilis Germanus interfectus est.

Imperator Turcicus scripsit ante annos triginta Venetias, petens, ut ei mitterent excellentem pictorem, cuius opera in depingendis quibusdam imaginibus uti posset. Miserunt ei egregium, qui postquam ad Cæsarem Turcicum ueniret, ille iubet sibi pingi caput

decolla-

decollatum. Pictor, quamuis excellens erat in pingendo, tamen Turcicus Imperator statim animaduertit errorem: quare iubet ante conspectum pictoris cuidam ex suis satellitibus præcidi caput, quod deinde decollatum monstrat pictori, qui errauerat in collo. Nam cutis solet fieri breuior ex contractione.

Paucis annis elapsis, piscatores in Albi inuenerunt culeum, in quo fuit insuta uirgo, quæ cum uociferaretur & eiularet, peteretq; auxilium, isti traxerunt ad se, & aperientes uiderunt pulchrè uestitam uirginem. Tanti asini, plane omnis humanitatis expertes fuerunt, ut interrogarent pastorem, an deberent eam dimittere? Non scio quid pastor ipsis consuluerit. Isti asini iterum insuunt eam, & fiunt secundò lictores. Deus uoluisset eam fortasse hoc pacto redimere.

Lipsiæ similiter cùm unus esset suspendendus, & alter decollandus, scholastici coniecerunt lapides in lictorem, qui errauerat in officio. Ibi surgens, qui erat ligatus, fugit, uenitq; obuiam uiro nobili qui interrogat eum, quid fieret, an supplicium esset sumptum de illis peccatoribus? Non inquit, sed ego sum ille suspendendus. Quo audito nobilis, descendens de equo, dissoluit ei uincula, ac dixit: Vade, nec cuiquam dicito te esse istum furem. Sic iste fur incolumis euasit.

Duæ historiæ nostro tempore factæ, in quibus sapientia Salomonis in iudicio mulierum de infante repræsentata est.

Iudex quidam Hispanicus, cùm factum esset homicidium, & plures unà adfuissent, singuli uerò sese excusarent, surrexit, & iußit singulos nudare pectora, & palpauit ipsorum corda. Cùm uerò sensisset in uno maiorem cordis tremorem: Tu inquit fecisti: etsi alioqui foris illis cæteris audacior uideretur: tamen inde iudicauit malè sibi conscium esse. Ita statim confessus est scelus, ductusq; ad supplicium.

Gonsagæ præsulis Mediolanensis, singularis est in iudicando dexteritas. Cùm Hispanus, præfectus oppidi imperio ipsius subiecti, teneret nobilem captiuum, & coniunx eius peteret liberationem, oblata pro eo magna pecunia: Hispanus hac conditione promisit se ei redditurum maritum, si prius sui copiam ipsi faceret. Quod cùm obtinuisset, deinde reddit mulieri captiuum maritum, sed prius interfectum. Gonsaga, resciens illum tristem casum, capit Hispanum, & cogit eum ducere interfecti mulierem. Ducta illa & re deliberata, Hispanum capitali supplicio affecit, & omnes eius facultates mulieri attribuit.

Ante annos 25. quidam in Salinis Saxonicis interfecerat uxorem, & euaserat in Heluetiam: ubi tanto dolore conscientiæ exagitatus est, ut aliquoties ex Heluetia rediret in Salinas. Quando uerò peruenerat ad

muros

muros ciuitatis, metu pœnæ rursus aufugit. Tandem cùm in Heluetia in caupona sederet, orto tumultu, ipsius cantharus miscetur etiam inter tumultuantes, lictores autem eiusdem loci, inter seditiosos hunc etiam apprehenderunt, qui statim fatetur facinus suum, dicens: Libenter me captiuum dedam, iam enim diu etiam grauiora commerui, ac fatetur se interfecisse uxorem. Heluetij uerò scribunt ad senatum Halensem, ut uenirent & accusarent illum. Illi mittunt legatos, & ita supplicio est affectus.

Ante aliquot annos quidam malus nebulo deprehensus est in oppido Beltz, qui aliorum precibus pro eo intercedentium dimissus est. Cum esset dimissus, indicit ciuitati bellum, quòd non iustè ipsum iudicassent nec suspendissent: populabatur agros, spoliabat ciues illius oppidi: tandem incendit oppidum. Non multo pòst deprehẽsus est Brandeburgi. Significatur hoc senatui Beltzensi, qui curat eum comburi.

Studiosus quidã Francofordianus in Italiam profecturus erat, satis instructus pecunia. Habuit enim apud se quadringentos aureos. Is non satis circumspectus, ut solent adolescentes, cum uenisset Halprunnam Imperialem ciuitatem, inuenit fortè in hospitio equitem quendam, quem optimè noui: ei se adiungit, nihil mali ab eo metuens. Eques uidet illum esse bonum socium, potat cum illo, & fit ipsi familiaris, ita ut adolescens etiam monstret ei pecuniam. Post triduum adolescens uolens abire, rogat equitem ut sibi uiam indicet. Eques pecuniæ inhians, in itinere studiosum interficit. Post

tres uerò septimanas eques uicißim comprehenditur, & in eodem loco, quo alium interfecerat, decollatur.

Accidit Heydelbergæ, ut boni aliqui sodales una conuiuarentur, & iocis ac salibus conuiuium condirent. Cùm igitur unus inter illos uteretur scommatibus paulò mordacioribus, ac certum aliquem ex numero conuiuarum notabiliter peteret, qui ea neq; arte eludere, neq; patienter ferre poterat: hic impatientia uictus, surgebat ex conuiuio, & commotus abibat, cogitans quomodo pari referret. Tandem uero decreuit se eum sumpto gladio in certo quodam loco quem ille alter transire cogeretur, cum domum iret, præstolaturum, & uenientem stricto gladio aggressurum, ac sic territum in fugam conuersurum, ut in posterum haberet, quo illum rursus exagitaret, & quod illi de eius timiditate uicißim obijceret. Vbi igitur alter ignarus harum insidiarum, ex conuiuio domum se conferret, & ad locum insidiarum perueniret: ibi ille, qui erat in insidijs, euaginato ense, ut proposuerat minabundus in eum irruit: quasi eum statim esset occisurus, & inuerso gladio semel atq; iterum percußit. Verùm quia hic fortaßis natura fuit audacior, & iam quoque uino incaluerat, quod aliâs in prælia trudit inermem, fugere non uoluit, sed sinistro brachio tunica inuoluto ictus excipere, gladiumq; subire conatus est, & sic cum eo luctari. Quod ubi intellexit, ex insidijs prosiliens, cogitauit se leuiter eum esse uulneraturum, ut sic quiescere aut fugere cogeretur. Vulnerauit autem ipsius poplitem, ita ut ex illo uulnere paulo post more-

moreretur: Homicida uerò contulit se in academiam Friburgensem, in qua etiam postea factus est doctor Theologiæ, ibiq; cum esset, quotiescunq; illi lictores tantum casu obuiam uenerunt, obstupuit, existimans ipsum comprehensuros esse.

Morio, cuius princeps febri laborabat, audiuerat forsan aliquando subita consternatione febrim remoueri. Cùm igitur aliquando dominum sequeretur in loco, ex quo erat præcipitium, memor eius rei, corripit dominum connixus toto corpore, quasi præcipitaturus eum, Dominus perculsus est supra modum, & liberatus est sic à febri. Iubet nihilominus comprehendi Morionem, & coniici in carcerem. Post aliquot dies producitur, & pronunciatur sententia, ut de eo fictè sumatur supplicium capitis. Ducitur ad supplicium, & lictor stringit gladium, ut terrorem illi iniiciat. Postea, ut ei mandatum erat, accipit baculum, & ferit ceruicem Morionis. Ibi Morio exanimatus concidit præter omnium expectationem. Quidam iudicant eum terrore extinctum esse. Alij putant læsos esse neruos ceruicis quinti paris, qui ducuntur in diaphragma.

Accepi à quodam amico ex Austria literas, in quibus est horrendum diabolici furoris exemplum. In quodam enim monasterio, monachi, uicinorum hominum filias & coniuges ad se allexerunt, & eas stuprauerunt, stupratasq; interfecerunt. Re patefacta, monachi sunt capti. Quid autem de illis futurum sit, ignoratur. Monasterium illud non procul distat à Vienna.

Anno 1554. hic Vuitenbergæ est lata sententia de quodam scurra, qui furatus est undecim pueros, & uendidit Iudæis Pragensibus: idem adiunxit se mendicis, & simulauit se morbo comitiali laborare ac sanguinem expuere, quem prius in os ad decipiendos homines assumpserat.

Huc allatus est casus memorabilis. Duo nobiles in Lusatia habitauerunt in eodem pago, & altercati inter se de quodam pastore, nescio quid fuerit negocij, cœperunt rixari. Vnus currit ad domum suam, & uult se armare & apprehendere bombardam. Ibi alter sequitur (erant enim affines) Vterq; apprehendit bombardam. Prior uerò eiaculatur, & conatur alterum interficere, sed frustrabatur, ictus non collimat. Alter etiam eiaculatur, & simul eodem ictu interficit suum sororium & sororem. Hoc est diabolicum sanè facinus. Allati sunt etiam alij quidam casus, sed ista est recens historia, hoc anno 57. facta.

Scriptum est huc non procul ab Vratislauia filium interfecisse parentem & fratrem, cùm quidem non intercessissent inter illos rixæ aut simultates. Inflammauit uerò diabolus ex leuissima causa eorum corda, & manus impulit. Est profectò opus diaboli sicut est horribilis illa oratio de Iuda: Diabolus intrauit in eum.

Habebamus adolescentē Tubingæ ingenio præstanti, & liberali specie corporis, qui interfecit alium, pro quo laborauit tota Academia, doctores & professores, & inter hos etiam Stöflerus, ut ille redimeretur quadringentis florenis. Nam princeps, qui fuit uir seuerus

uoluit

noluit eum capitali supplicio affici, sed S. öffleri authoritas tanta fuit apud principem, ut aliquid tamen impetraret. Ille adolescens postea cùm esset liberatus, et punitus pœna scholastica, uidelicet exclusione, ueniens in patriam, post paucos menses interficitur. Ita Deus est uindex scelerum, & non curat pactiones humanas.

Ante paucos annos Magdeburgi quidam affectus est supplicio, qui ante triginta annos perpetrauerat cædem, & iam neminem superstitem putauerat conscium istius cædis.

Selymus pater huius tyranni Turcici, interfecit suum patrem, & tantum regnauit octo annos. Fuit maximè formidabilis post partam primam uictoriam, etiam Imperatori Maximiliano. Et erat summo ingenio præditus. Interfectus est autem illo ipso loco, ubi assecutus erat patrem, & eum interfecerat. Hæc narratio paulò aliter habetur in loco de ingratitudine erga parentes.

Alfonsus Diasius, qui anno 1546. fratrem suum Ioannem Diasium interfecerat Neoburgi in Bauaria, propter solam Euangelij confeßionem, cum ipse Alfonsus uersaretur in aula Pontificis, in iudicio Rotæ. Postea uerò anno 1551. seipsum interemit in Concilio Tridentino. Inuentus est enim seipsum suspendisse à collo suæ mulæ.

Cuidam ciui in uicinia oppidi Vuitenbergæ erat interdictum, ne domo exiret propter contagionem pestis, quia pueri ipsius erant mortui. Exiuit autem et uoluit sibi à caupone quodam uendi cereuisiam. Cumq;

ille recusaret, & cum eo rixaretur, ipse afflatu diaboli accensus, cauponem transfodit. In illo tumultu, cùm Consul accurreret, ipse minatur etiam consuli: & nisi alij prohibuissent, consulem oppidi interfecisset. Transfodit quoq; illum, qui illud facinus prohibuit. Postea conijcitur in carcerem, & statim sumitur de eo supplicium.

Antuerpiæ quidam homo ualde diues alium quendam suæ gentis hominem in sua domo, cui multum debebat, interficit, sumpto prius ab eo chirographo, quo testaretur ipsum nihil sibi debere. Magistratus uolens scire ubi ille creditor mansisset, curauit inquisitionem in omnibus ædibus fieri. Tandem homicida motus conscientia, timet sibi ne deprehendatur, ex sepulchro recens facto, curat cadauer refodi, ac in proximum puteum abijci. Fortè in uicinia uetula quædam stat, uidens cadauer ex domo homicidæ ablatum in uicinum puteum abijci, magistratui indicat. Magistratus abiectum cadauer inquiri per lictores iubet. Quo inuento, autorem homicidij ceperunt, & in illa sella, in qua alterum occiderat, in medio foro, supplicio affecerunt.

Duo adolescentes egregia indole, cùm consortes alicuius sceleris essent, & supplicio afficiendi, ibi satellites cuiusdam Præpositi propter indolem & egregias uirtutes quæ elucebant in eis, Præpositum sollicitarunt, ut pro eis intercederet. Præpositus cum precibus uehementer urgeretur, importunitate & petacitate uictus, dixit: obsequar uobis. Accessit iudicem

& ab

& ab eo impetrauit, ut dimitterentur. Dimißi sunt, & dimissos ad se recipit, ac splendidè uestiuit. Postea ad se uocauit, dicens: Videtis filij, quo beneficio uos affecerim, quòd parentis loco fuerim in hoc præsenti periculo, in quo nihil nisi mors uobis expectanda fuit. Pro hoc beneficio & pietate, si mihi seruire uolueritis, exacto anno liberaliter & magnificè uobis stipendium soluam. Ibi promittunt, studiumq́; operam & fidem reuerenter deferunt, & aliquandiu fidelißimè inseruiunt. Præpositus ubi uideret illos ita fideles, & reliquos satellites sceleratos & belluones esse, cogitauit de illis euehendis, siquidem bonam de illis spem conceperat, quos uita donasset. Accersiuit itaq; ad se, & consilium suum illis aperuit, scilicet illos cubicularios suos constituere decreuisse, & concedere illis pecuniam, & totam rem familiarem. Illi conditionem accipiunt, pietatem & fidem pollicentur. Sed ut fieri solet, quando animus semel à Diabolo obsessus est, qui est homicida & mendax, non cessat instigare & hortari ad scelera. Sæpius itaq; deliberarunt de Præposito tollendo: siquidem de omnibus rebus domesticis ipsis constabat. Intendunt consilium sæpius, sed semper prohibentur. Accidit autem, ut amicus Præpositi inuiseret eum: quo abeunte, reliquos famulos ei adiunxit, qui eos illa nocte apud se retinuit. Ibi statim illi perfidiosi consilium captantes de nocte surgunt, & ad ianuam conclauis, in quo dormit accedunt. Quod cum bifore esset, & Præpositus semper pessulum obijceret, canemq́; in lecto ad pedes haberet, ten-

tant ianuam euellere ex cardinibus. Canis audito strepitu latrat, & quo magis præfectus prohibet ne latraret, eo magis latratum ipse intendit, donec Præpositus surgeret, & dolum statim subolens abigeret canem. Cumq; unam ianuam auulsam esse sentiret, accedit fenestram, & spectat in hortum, ubi fortè uidet famulum coqui cum lychno: quem submißè uocabat. Famulus nouitate rei consternatus, spectrum se uidisse putabat. Cùm tamen instaret Præpositus, ibi famulus ille accersitis alijs ministris, ad conclaue Præpositi uenit. Hoc cum nebulones illi duo audirent, posuerunt se in lectũ, altumq; somnum finxerunt. Præpositus ubi uideret illas insidias, accedit lectum ipsorum, uiditq; eos stertentes. Vbi uerò excitasset illos, expergefacti oculos purgabant, ac si illis nihil constaret. Sed duriter eos allocutus est: Vos, inquit, scelerati & nefarij latrones, scitis quæ beneficia uobis præstiterim, & talem gratiam mihi referre uoluistis? & iußit illos uinciri, & statim illo die decollari. Hæc in Vngaria facta sunt.

Historia de crudelissimo facto Aethiopis, recitata Philippo Comiti à Nassauu, per Damianum Knebel, Secretarium Comitis de Hana.

Anno 1556. mense Aprili, quidam prædiues nobilis, non procul ab Augusta Vindelicorũ, à teneris puerum Aethiopem usq; ad illum annum aluerat. Cùm fortè fortuna nobilis domo abesset, Aethiops de nocte consur-

consurgens coniugem totamq; familiam, excepta filiola domini, ad octo homines interemit. Mane altero die cum rediret dominus, uidit ædes suas præter morem clausas, & cum propius adequitasset, apparuit illi in domus summitate æthiops truculentißimo aspectu, qui in hunc modum nobilem alloquitur: Scis homo crudelißime, qualiter me quondam innocuum tractaueris, quòd sanè ad hunc diem memoria retinui: illam iniuriam de tuis nunc demum uindicaui, Ecce enim partem de cadauere tuæ coniugis, quam tibi cum tota familia occidi, excepta filiola, quam unam reliqui, tibiq; restituam, si mihi incolumitatem uitæ promiseris. Pater extremè perturbatus, homicidæ incolumitatem promittit, At ille per fenestram infantem ante pedes patris proijcit: Scio, inquiens, quòd mihi non sis seruaturus fidem, nunc satis in temetipso & tuis illam iniuriam ultus, moriar & ego, & sic se de uestibulo ædium præcipitem dedit. Secretarius Hannensis Comitis sibi nobilem familiariter notum esse affirmat. Quo facto quid crudelius, magisq; ex proprijs diaboli instigationibus depromptum cogitari potest.

Viennæ pistoris seruus, cum sciret thesaurum & alias pistoris facultates, simulauit discessum à pistore. Post paucos uerò dies, iterum noctu in domum clàm redit, & dormiente familia initio tumultum in domo exuscitat. Ibi famulus uolens uidere quid esset, statim ex insidijs nebulo prosilit, & eum interficit. Simili etiam modo ancillam interemit. Ascendit postea in cubiculum pistoris, & pistorem cum coniuge sua

occidit

occidit. Venit tandem ad filiolam pistoris, quæ clamat: Ah chare Paule, noli me interficere: sed concede mihi uitam, omnia mea tibi dabo crepundia. Ille commotus primò, quòd eum nosset, postea tamen etiam eam interfecit. Confectis tot cædibus, rapit pecuniam ex cistis fractis, & euadit usq; Ratisbonam. Cum autem uicini uiderent postero die, domum integrum diem esse clausam, frangunt ex consilio Senatus fores: ingrediuntur, & inueniunt iacentia tot cadauera. Fama fertur, latronem Ratisbonam uersus esse profectum. Ita statim Senatus aliquos eò misit, qui postea latronem captiuum Viennam reduxerunt. Ibi affixus est uerutro, ante in Pfall. Clamauit uerò inter dolores, se nullam maiorem cruciatum sustinere, quàm illam uocem puellæ, cui non pepercisset: Ach lieber Paul / laß mich leben / ich wil dir all mein docken (puppen) geben.

Nos meminimus ante annos uiginti, Lipsiæ sceleratum aliquem in proximo pago Colgarten interfecisse patrem & matremfamiliâs cum pueris, & accepta pecunia aufugisse. Deinde uerò ipso comprehenso, cùm de eo Lipsiæ supplicium sumeretur, dixit: Se ferè triduo sedisse sine cibo & potu in latebris sub scalis, & deliberasse an deberet facere cædem illam, ac diu abhorruisse à tanto scelere. Tandem dixit, se audiuisse uocem aliquam susurrantem: Fac, fac, far fort, far fort: qua uoce afflatus est & impulsus ut pergeret. Illa uerè fuit uox diaboli. Perpetrato hoc scelere, non potuit fugere: sic postea de eo supplicium est sumptum.

Cùm

Cùm essemus Isenaci, in uisitatione, erat ibi iuuenis pauper, cibum in plateis à bonis hominibus colligens: qui fortefortuna uenit ad domum cuiusdam senis, quem rogauit, ut ipsi in hac calamitate opem ferret. Senex motus misericordia, iuuenem illum pauperem hospitio excepit. Erat autem senex utcunq; diues, & collegerat aliquam pecuniam: quam cùm pauper ille uideret, impellitur à diabolo, ut optimum illum senem de se benemeritum interficiat. Acceptis itaq; sexaginta aureis, qui erant senis thesaurus, domum claudit, & aufugit. Vicini cum uiderent domus ianuam esse clausam, & neminem tota die egredientem, aperiunt domum, & senem illum in area domus iacentem mortuum uident: unde statim suspicantur de hoc iuuene mendicante. Illud igitur facinus perpetratum indicant magistratui, qui iußit homicidam per lictores inquiri. Hi quo magis illum quæsiuerunt, eo minus inuenerunt. Tandem uerò, cum satis diu quæsiuissent, uident eum absconsum sub scalis portæ ciuitatis. Captus uero, & coniectus in carcerem, à diabolo horribiliter est in carcere uexatus. Petiuit etiam à nobis, ut pro eo apud principem intercederemus. Nos quoniam scelus erat adeo atrox, hoc à principe iusticiam amante petere non ausi sumus: sed hoc promisimus ei, nos impetraturos esse, ut ipsi pœna supplicij mitigaretur. Et misimus ad eum Fridericum Myconium, ut significaret ipsi quid suo nomine actum esset. Sed miser ille ferè exanimatus præ summo dolore, nihil audiuit: tamen post triduum satis iam à diabolo tentatus, his uerbis

bis alloquitur Fridericum Myconium: O Domine Friderice, in quantis tentationibus uersatus fui, nunc (Deo auxiliante) libenter moriar: nam mortis metum iam superaui. Sic confirmatus in uera fide, & ardenti inuocatione, placidè mortuus est.

Quidam propè oppidum Kōthen captus, à quo etiam supplicium sumptum fuit, qui suam coniugem interfecit, cum paruula filiola. Illa non sunt humana. Interrogatus quomodo ad illa tanta scelera impulsus esset, dixit, se cœpisse amare alicubi aliam quandam, & ideo uoluisse tollere suam uxorem, ut posset alteram ducere. Ita diabolus dementat animos hominum. Interrogatus porrò, quare filiolam interfecisset? Respondit, ut eo facilior esset aditus ad alterā ducendam. Non est quærenda ratio, nos sciamus esse opera diaboli. In his exemplis debemus considerare nostram infirmitatem, & potentiam diaboli. Vtile enim est de istis rebus cogitare sed ita, ut crescat in nobis timor Dei, dilectio, & aliæ uirtutes. Præterea cogitate, talia exempla esse significationes minantes omnibus, et significare disciplinæ laxationem, & carnalē securitatem. Videmus nobis proponi multa exempla. Turca nostris ceruicib. imminet, & fames, aliæq; calamitates nobis sunt præ forib. Hæc exempla portendūt horribiles secuturas cædes. Mementote dicti Petri, dicentis: diabolus tanquam leo rugiens circumit, quærēs quē deuoret, cui resistite solidi in fide.

Ratisbonæ in conuentu, miser quidā homo certabat in quadam platea mittendis globis, iaciebat globum, quo forte petiuit Hispani prætereuntis caniculam. Hi-

spanus

ſpanus autem ſtatim ſtringens gladium, eum inſequitur inermem per ſpaciũ aliquot in plateas, neq; eum aſſequi poterat. Tandẽ ille miſer accipit iacentẽ gladiũ alicuius colluſoris, quo mox ferit Hiſpanũ, ac lethale uulnus infligit: unde ſtatim moreretur. Quare ex hoc atroci facto ſtatim illa nocte homicida capitur, ac res ad Imperatorem defertur. Obtinebat tandem miſer, ut Doctor Amantius, & Doctor Plicardus ei in patrociniũ cauſæ adiungerentur. Illi accedentes ad Marſchalcũ inferiorem, qui præeſt talibus iudicijs in aula Imperatoris, ipſi totum negociũ exponunt. Dicunt illum miſerum habuiſſe cauſſam defenſionis. Petunt ſimiliter, ut audiantur teſtimonia. Reſpondit Marſchalcus: ſe habere ſeueriſsimum mandatũ à domino ſuo Imperatore, ut administraret iudicia ſine reſpectu ullius hominis, ſiue Hiſpanus, ſiue alius ſit interfectus. Si ille habuerit excuſationem cum iure conuenientẽ, fore ut dimitteretur: ſi uerò minus habuerit probabilem excuſationem, fore ut plecteretur. Cauſa dicta eſt, & audita ſunt teſtimonia. Peractis illis, planè liberatus eſt ille miſer homo ab omni periculo, quòd fuiſſet caſus defenſionis. Poſtea dicebam ad eundem, ut diſcederet ex urbe, ne conſpectus ipſius præberet Hiſpanis noui tumultus occaſionẽ: & tamen ipſe manſit poſt nos. Ibi Imperator etiam potuiſſet dicere, fuiſſe extra modum culpatæ defenſionis, & ſummo iure eum plecti. Sed fuit defenſio, quia fuit inermis.

Quidam ſcholaſticus furabatur Lipſiæ, qui antea etiam propter ætatem iuuenilem furto perpetrato uirgis cæſus fuerat. Is dicebat ad iudicem: Tamen non

audes

audes me suspendere. Respondet iudex: Tibi non dicemus, quid nos facturi simus. Et suspendit eum, ac rectè fecit iuxta dictum Iurisconsultorum: Grassantibus exemplis, pœnæ exasperandæ sunt.

Diuites emebant per totam Italiam agros & prædia, item arces, uillas, pagos opulentißimos: & in illos seruos suos collocabant, sicut nunc etiam fit in quibusdam locis. Serui autem non relinquebant homines in possessionibus, & fiebat ut homines ex suis facultatibus expellerentur. Ita factum est, ut tota Italia seruis impleretur. Cùm autem Tyberius ueniret in Italiam, ibi homines cùm filijs & filiabus ei occurrerunt, & indicauerunt suam neceßitatem: nisi ipsi auxiliaretur, fame omnes perituros esse. Tum Tyberius promisit illis suum auxilium, si domum rediret. Cùm autem domum reuersus esset, ibi adiunxit sibi consules, & in medio populi orationem habuit. Cùm uerò consules uiderent diuitibus displicere illud negocium, ipsum deseruerunt: sicut fit in aduersis rebus. Mouit enim hac oratione ualde populum. Interea temporis, quando illa aguntur, cognatus suus Publ. Nasica per populum prorupit (populo cedente, non solum propter auctoritatem, sed etiam propter cognationem) & Tyberium cognatũ suum miserabiliter in conspectu populi interfecit. Quanquam homicida non coactus seceßit in exilium propter crudele factum, quod exercuit in suo cognato: tamen est absolutus à Senatu, ita ut in exilium secedere non cogeretur. Deniq; idem homicida est uicißim interfectus, iuxta regulam: Qui gladium

acceperit, gladio peribit. Et propter illam ipsam controuersiam est ortum bellum ciuile, quod magnum negocium Senatui fecit: & tandem nihilominus tales uenditiones & emptiones abolitæ sunt. Nam aliâs non potuisset stare Respublica.

In urbe Pomeranica, puer duodecim annorũ obiurgatus est à matre, aut etiam castigatus, quod ita gulæ & uoluptatibus operã daret. Puer ægreferens castigationem, seu obiurgationem, altero die manè dormientis suæ matris pectus cultro perfodit in lecto. Pater excitatus, exilijt de lecto, & puerũ apprehensum interficere uolebat, nisi fuga sibi consuluisset: puer tamẽ captus est, & fortaßis de eo sumptum supplicium: Iste puer tam iuuenili ætate naturaliter tam duro animo non potuit esse præditus, ut hoc facinus tam celeriter perpetraret: sed Diabolus hoc per puerum effecit, qui ita instituit & animauit puerum, ut talia committere auderet. Talia exempla debetis considerare, & quotidie recitare dictum Christi: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Item: Semper petite, Ne nos inducas in tentationem. Hæc, 17. Martij anno 1553. recitata sunt.

Quidam adolescens nobilis, ex petulantia occiderat seruum domesticum: ac ueniens Vitebergam à docto uiro eius rei ignaro, in numerum suorum discipulorum receptus est, ibiq; se honestè geßit. Interea mater cum amicis interfecti rem componit. Postea eum domum reuocat. Post biennium uerò, mater despondit ei uxorem uideam, adolescentulam opulentißimam: at inter eos sunt ortæ inimicitiæ. Nam ipsa erat scortum,

u &

& aliquoties ei puluerem, quo mures necantur, in cibum immiſcuerat. Tandem conſpiratione facta cum equite, auriga & ſarctore, impetum in eum faciunt in cubili, eumq́; interficiunt. At cum eſſet iuuenis robuſtus, diu ſe defendit, & ipſi mulieri, dum os ſuum obturare nititur, digitos morſu abſcidit, dicens: Hæc tibi, ſcortum, poſtremò habeto. Quo facinore perpetrato, mulier capitur, & decollatur, reliqui ſerui aufugerunt, quorum unus Magdeburgæ rotæ impoſitus eſt: alter alibi eodem ſupplicio affectus: tertio, capite truncatus eſt. Hæc ſunt manifeſtæ diuinæ iræ iudicia aduerſus homicidium.

Formoſa quædam mulier ætate nondum confecta, cùm mortuus eſſet maritus, propter inopiam frumenti, deſperauit ſe non poſſe cum illis duobus filiolis qui ex merito remanſerant ſuſtentari. Neq; enim labore ac ſudore tantum colligere aut mereri potuit, ut uictum haberent. Deniq; cùm non ſuſtineret amplius lamentationes filiorum, & ieiunos clamores audire, quamuis non uolens, tamen coacta iuit mendicatum, ſperans ſe collecturam aliquid, ut ſedaret filios pane & potu. Poſtea cùm totam ciuitatem perambulaſſet, nec quicquam accepiſſet, & inſuper etiam obiurgata ab aliquibus, dicentibus: Tu mulier, quid mendicas, cùm ſis tam robuſta? Bene poſſes laborare, ſi uelles, & tuos paruulos laborando nutrire. Illa reſpondens, dixit: Domini in his infelicibus temporibus non poſſum tantum colligere, & labore mereri, unde ego & filioli mei uiuant. Nam omnia nimis carè ueduntur.

tur. Postquam etiam mendicando uideret se nihil accipere, præsertim a ditioribus, qui potuissent liberaliter conferre, redit domum flens, ac dicens: Filij mei, eamus unà ad Albim, ac ibi nos præcipitemus, non enim habemus unde uiuamus. At responderunt filij: Charißima mater, ubi tu, ibi & nos uolumus esse: ac ita sumpsit filios illos ambos, unum ducens, alterum gestans humero: & progressa extra portam, proiecit filios primum in Albim, & ipsa deinde statim secuta est. Ita unà obierunt. Hæc historia 1547. in urbe quadam celebri facta est.

Cygneæ puer quidam habens cultrum in manibus, incidit fortè in eũ, ac seipsum transfodit. Pater ueniens domum, uidens hæc, mox ira commotus, interfecit uxorem: postea uerò & ipse factum suum perhorrescens, ex desperatione sibi consciscit mortem. Hæc omnia non sunt humana, sed diabolica. Ideo continuè oremus Deum, ut nobis det Spiritum sanctum, qui regat corda, & nostras totius uitæ actiones.

Ante annos 18. in hyeme, est interfectus quidam studiosus inter Dieben & Lipsiam, cuius cadauer proiectum est in aquam, ubi totas quatuor septimanas congelatum iacuit. Postea uerò in eodem loco inuentum & erutum ex glacie, in proximum oppidum deportatum est. Quòd ubi iudex cum multis ciuibus circumstantibus inspexisset, cœpit recentem sanguinem stillare cadauer. Fuit certißimum signum & diuinum testimonium de præsentia homicidæ: sed iudex

tam fatuus & stolidus erat, ut nullam inquisitionem institueret.

Vuinshemij fuerat quidam, qui aliquot cædes fecerat ante multos annos, & aliquas etiam grauidas mulieres dissecuerat. Tandem uerò accidit, ut circa pascha emeret tria capita uitulina, eaq; in saccum poneret, qui in modum retis nexus erat. Cùm sic iret per plateas, omnibus quotquot eum aspexerunt, uisus est portare capita humana cruentata. Defertur res ad Senatum, ac statim mißi sunt lictores, ut eum caperent: Adductus in curiam, & interrogatus, ubi nactus esset capita humana? ipse respondit, se emisse in macello. Accersitus igitur lanius, affirmat se ipsi capita uitulina uendidisse, non humana. Senatus animo perculsus, cogitauit hoc nihil boni portendere: iußitq; eum in carcerem deduci, & examinari per torturam. Ille sic existimatus, statim confessus est cædes perpetratas. Deinde capita ex sacco deprompta sunt, quæ rursus habuerunt formam capitum uitulinorum.

SEXTVM PRAECEPTVM.

CASTITAS ET Coniugium.

Hippolytum filium Thesei, natum ex priore coniuge, Pheara nouerca inuitauit ad incestam consuetudinem, sumpto ab eo iuramento, ut nouercæ petitioni obsequeretur. Sed mens mansit iniurata: id est, non potuit, quantumuis sanctè promittendo, obligari ad aliquid turpe. Nemo enim potest iurare rem aliquam

turpem:

turpem: & præclarè fecit, quod aduersatus est incæstam nouercæ consuetudinem. Sicut Hippolytus etiam à se nouercæ illicitas libidines repulit. Sic Peleus recusauit rem habere cum uxore Acasti, unde cum illa ob repulsam irata falso accusasset eum apud maritum Acastum, hic male suspicans de eo, obiecit ipsum Centauris: ubi dicunt diuinitus ipsi esse missum gladium, quo uicit Centauros, id est: Deus dans præmia castitati, defendit Peleum in maximis periculis. Sic Bellerophontem inuitauit ad consuetudinem turpem uxor Creti, quam cum negaret, ipsa accusauit eum apud uirum, à quo obiectus est Chimæræ. Verùm diuinitus missus est ei Pegasus, quo uolans in aëre uinceret Chimæram. Hæc sapientißimi homines tradiderunt, ut ostenderent quanta præmia sint castitatis, & Deum dare testimonia innocentiæ.

Duæ adhortationes ad nouas nuptias.

Quædam principissa, pia & sancta matrona, dimittens suam ancillam, cùm esset elocata, & migratura in aliam urbem, hanc admonitionem iniunxit, dixit ei. O mea ancilla, time Deum, & sis proba: quod si feceris, Deus te non derelinquet. Nam ego si id fecissem, in hæc pericula nunquam incidissem. Peruenerat enim in aliqua pericula, de quibus non fas est loqui.

Alia nobilis & pia matrona iniunxit filiæ elocatæ, iam à matre discedenti, inquiens, Charißima filia, timeas Deum, & sis pia & proba: sicq; erga maritum tuum te geras, ut ille postes ædium aspiciens lætetur, et non exhorrescat,

Rex quidam incluserat nobilem uirginem in arcem, in qua eodem tempore exceperat Imperatorem Carolum V. Cum uerò Imperator ingrederetur cubiculum, inuenit illam lachrymantem, miraturq́; quid esset? Ista inquit: Huc ducta sum mandato Regis. Imperator illam statim suis, quos norat esse integros, dedit adducendam parentibus. Postea in reditu Imperator illam arcem destrui curauit, & nihil atrocius egit.

Strabo dicit, quod non licuerit homini Germano ducere uxorem, nisi prius offerret caput interfecti hostis. Germani semper præ cæteris gentibus laudati sunt ob castitatem.

Apelles Venerem pictam, stantem in testitudine, pinxit: significare uolens, sexum muliebrem non debere, neq; posse procul uagari: sed debere se domi continere, & respicere ad eas res propriè, quæ ad gubernationem œconomiæ pertinent. Sicut enim testudo nunquam discedit à domo, sic mulieres in domibus suis se contineant, & non expatientur.

Virtutes piæ Matronæ.

Virtutes honestæ & piæ matrisfamiliâs, iuxta Paulum Apostolum, præcipuæ sunt quatuor: fides, dilectio, castitas, & modestia. Ecce ubi hæ quatuor uirtutes adsunt, ibi omnes adsunt, quæ in proba ac laudabili muliere requiruntur.

Quæ in contractu matrimonij requiruntur.

In matrimonio contrahendo hæc requiruntur: uidelicet, inuocatio, consilium, circumspectio & cautio, seu consideratio qualitatum.

Puer-

Puerperis quies debetur.

Quidam pastor ante 25. annos in oppido Kal, robustus, & iuuenis uir, insulsè uociferabatur in concionibus de puerperio, dicens: Quoniam mulieres sunt deditæ tantum gulæ & uoluptatibus in puerperio, satis est seruare puerperium per triduum aut quatriduum, nec diutius: postea uerò rursus debent redire ad operas. Quædam mulieres motæ eius publicis concionibus, egressæ sunt statim ex puerperio, & redierunt ad domesticos labores, & tandem mortuæ sunt.

Casus aliquot vbi quidam beneficio mulierum ex summis periculis tutò euaserunt.

Illustri & celebri facto, ad omnem posteritatis memoriam, pietatē suam erga coniuges suos declararunt, Minyarum uxores. Cùm enim uiri ex ea familia omnes circiter triginta, propter affectati regni suspicionem à Spartanis publicæ custodiæ inclusi, & supplicio capitali iam destinati essent, quod ex ueteri instituto Lacedæmoniorum nocturno tempore passuri erant, coniuges eorum ex nobilißimis familijs natæ, cùm (uelut postremò allocuturæ perituros uiros) à custodibus accessum impetrassent, carcerem ingressæ, commutatáq; cum maritis ueste, per simulationem doloris, uelatis capitibus eos abire passæ sunt, sua corpora pro illorum salute supplicio & præsenti periculo offerentes.

Non dißimili amoris fidelitate Iason seruatus à Medea dicitur. Rex item Galliæ Ludouicus, proximus ante Franciscum, cùm esset captiuus Caroli Gibbosi, liberatus est beneficio mulieris. Sic Sigismun-

dus rex Vngariæ, antequam imperium accepisset, fuit aliquando captus à suis nobilibus, & beneficio mulieris est dimissus. Paulo post cùm iterum esset instructus exercitu, ui cepit illos nobiles, qui eum tenuerant, & propè triginta decollauit.

Quidam comes de Gleichen, multis Erphurdiæ notus, cum uxore sua honestè uixit. Is cum in militia aduersus Turcos prælio captus esset, à Soldano rege in Turciam transuectus est. Vbi cùm diu in uinculis retentus, faciendis operibus rusticis defatigaretur, accidit ut filia regis uoluptatis causa expaciaretur, & ibi forte uideret Comitem suas operas exercentem, quem statim adit, interrogans, qua ratione eò peruenisset? Interea dum sic cum eo colloquitur, hominis forma & industria ita delectata est, ut ipsum inciperet amare. Proponit ei, si uellet ipsam ducere, se facile eum ex uinculis liberaturam, ac unà cum eo in patriam profecturam esse. Cui ille respondit, in sua patria sibi esse coniugem & liberos. At ipsa inquit, nihil obstare, cùm moris sit apud Turcos, ut uni marito duæ uel plures coniungantur uxores. His auditis, acquiescit facilè, pollicetur se fidem præstiturum. Tunc Regina statim, ut ex uinculis dimitteretur captiuus, effecit, & cum Comite abit. Sic Comes liberatus, postquam uenisset Venetias, inuenit ibi suum ministrum, iamdudum ipsum quærentem & expectantem: ex quo cognoscit, coniugem cum liberis & reliqua familia saluam esse. His auditis Comes Romam proficiscitur, & rem omnem Pontifici exponit, ut facta erat; quòd uidelicet

uidelicet alteri fidem dedisset uitæ redimendæ causa, & non ex petulantia aut lasciuia, cùm tamen prior coniunx domi sit salua & incolumis. Quare absolutus est à Papa, & acceptis ab eo literis reuertitur domum. Redeuntem statim agnoscit uxor, nihil offensa propter Turcicam reginam, & amore magno prosecuta est pellicem, cuius beneficio charißimum maritum receperat. Regina etiam facilè tulit Comitissam, itaut familiarißimè sine ulla discordia uitã inter se agerent. Deus autem, qui facilè tolerauit hoc matrimonium, ueram seu priorem coniugem multa prole beatam fecit, altera prorsus sterili manente: quæ tanquam famula tractauit & fouit alterius liberos. Horum monumentum adhuc hodie Erphurdiæ extat, in quo ex utroque latere uxores Comiti astant: altera regina, marmorea corona ornata: Comitissa sculpta est nuda, & infantes iuxta pedes eius reptantes.

Laudatur etiam pietas & patientia coniugis illustrißimi principis Electoris Friderici Palatini Dorotheæ, &c. quæ multis laboribus & uigilijs illustrißimo principi Electori Friderico ægrotanti suas insignes uirtutes, quas Paulus sanctis matronis attribuit, declarauit.

Quid pompa in nuptijs significet.

Christiani differunt ab Ethnicis, præcipuè duabus uirtutibus, uidelicet religione & castitate. Ethnici enim sicut fuerunt idololatræ, sic postea horribilibus libidinibus sunt polluti. Conuenimus ergo publicè in

Ecclesia, ut hac pompa testemur nos approbare coniugium diuinitus institutum & sancitum, ut uitentur prauæ commixtiones, & singuli castitatem tueamur, Ecclesiam amemus, eamq; tanquam sponsam Christi ornemus.

Pietas erga priorem maritum.

Quidam Bohemicus dominus, ambiuit honestissimam matronam Comitis Stephani Schlick, cum hic abfuisset duodecim annos, & fama esset eum esse mortuũ. Ad cuius petitionem sic respondere iussit: Quod in hoc breui temporis spacio prioris mariti Stephani nondum obliuisci potuisset: Quare illi domino suam petitionem recusauit. Vocauit duodecim annos, quibus abfuisset maritus, breue tempus. Sic bene optandum esset, ut in similibus casibus, omnes mulieres huius ornatissimæ matronæ uirtutes imitarentur.

Crux coniugem sequitur.

Menander inquit: Ducens uxorem, in medium pelagus nauigat, quasi in medias tempestates.

χειμὼν κατ᾽ οἴκους ἐστὶν ἀνδράσι γυνή: *Id est, Tempestas est mulier uiro in domo,*

Iocus.

Accidit in uicinia oppidi Vittebergensis, ut quidam iuuenis solea suum coniugem percusserit. Quòd cùm familia illa ex qua erat coniunx, admodum ægrè ferret, conuenerunt aliqui ex cognatis, accersentes ad se maritum, cum quo expostularunt, eo quòd cognatam ipsorum tam indignè tractasset. Ille uero non commotus, humaniter respondit: Boni affines, boni consulo

uestram

uestram admonitionem, sed quæso ut audiatis. Fateor *inquit, me commotum uerberasse, sed illa me prius multo durius stupario malleo percusserat.* Vos igitur *iudicate utrum fuerit durius, malleone stupario, an crepida percuti.* Illi *quærunt, quomodo sit percussus ab ipsa malleo stupario?* Respondit: *Sua lingua admodum mihi maledixerat.*

DE CONIVGIO SACERDOTUM, & cœlibatu eorundem.

In Iure Canonico, *quod medium uocatur, id est, illud, quod est inter primum & ultimum, habetur talis lex: Sacerdos ducens uxorem, suspendatur.* Hic *quidam indocti simpliciter* τὸ ῥητὸν *intellexerunt: id est, suspendatur laqueo de patibulo.* Vnde *multi honesti uiri sunt interfecti & suspensi, ut etiam* Tubingæ *unus ex sacrificulorum cœtu publicè dixerit de hac tyrannide:* Si *non est nimium, aut illegitimum, tamen utiq; nimis durum est.* Non *intellexerunt sensum: quia ius Canonicum hoc uult, suspendatur, id est, ad tempus aliquod ab officio remoueatur: seu mandetur ei, ut aliquantisper remittat officium, donec cum episcopo redeat in gratiam.*

Cum nuper *quidam petiuisset episcopatum, & ei dictum esset, quòd non posset fieri episcopus, quia haberet coniugem legitimam, ille respondit:* Apud *nos est mihi concubina, at apud* Lutheranos *est mihi coniunx.*

Cœlibatus *est multo commodior ad diuitias comparandas, quàm uita coniugalis.* Μεγάλη τυραννὶς ἀνδρὶ.

ἀνδρὶ, τέκνα καὶ γύνη: *Magnum impedimentum adferunt uxor & liberi, illis qui ad magnos honores et potentiam aspirant.* Cœlibi quidem ac libero, siquidem hic fortuna minus ex uoto succedat, alibi melius succedit: coniugato uerò uxor & liberi sunt instar fræni ac uinculi, quo constringatur, ne uel solum uertere uel ad altiora peruenire queat. Nisi enim quis sit perditissimus homo, hoc uinculo patitur se retineri. Quare cœlibatus est ualde commodus, ut dixit Papa Pius: Multæ fuerunt causæ adimendi coniuges sacerdotibus, sed maiores sunt restituendi. Magnæ inde ortæ sunt contentiones de successionibus. Imò audio regem quendam dixisse: Oportere uiolari alterum præceptum, Non mœchaberis, aut non furtum facies. Si ego sacerdotibus, inquit, concederem coniugia, tunc fierent furta, idest, ecclesiastica bona diriperentur. Videte, quàm astutè sit dictum.

Quàm sapiens prætextus est: Sacerdotes non debent ducere uxores, ut possint uacare studijs, ne impediantur œconomijs & cupiditatibus, quæ plerunq; œconomias comitantur. Profectò uerum est, quòd sapiens sit prætextus, & prudenter dictum. Ita dixit Campegius ad secretarium Palatini: Vos Germani habetis unam causam, qua ualde nos grauatis de coniugio, & uerum est: multa enim magna uitia sunt secuta cœlibatum, sed nos proferemus nostras excusationes in concilio. Ostendemus illam legem de cœlibatu non esse ortam à nobis: sed nos non potuisse sustinere regum & principum interpellationes, qui petiuerunt

tiuerunt ut sanciremus hanc legem. Videtis etiam hoc tempore, quàm multæ miseriæ sequantur coniugium. Tamen nihil est ordinandum contra uoluntatem Dei.

Quidam monachus in finibus Bohemiæ habens sacerdotium mediocre, iussus est aut relinquere sacerdotium, aut coniugem. Miser infirmitate generis humani labitur: ac dimittit coniugem, ut retineret sacerdotium cogitans interim, se uelle postea eam ad se rursus recipere. Sed hic in magnos terrores & tentationes post paucos dies incidit: quas ut finiret, mortem sibi consciuit. Non est inusitatum, homines sibi accersere mala, malè curando.

Eccius ultimum librum edidit de coniugio sacerdotum turpißimum. Non fuit cygnea cantio, sed ultimus crepitus: & sicut felis fugiens pedit, sic ille moriens hunc crepitum cecinit. Legi librum subinde accipiens partem ad cloacam, alioqui non legissem.

Faber Viennensis adhuc turpius scripsit, de quo Erasmus hos uersus fecit:

Mente cares, si res agitur tibi seria: rursus
Fronte cares, si sic ludis, amice Faber.

Sic argumentabatur: Semper habet lites alternaq; iurgia lectus: Ergo sacerdotes non debent ducere uxores. Est fallacia accidentis, uel secundum non causam, ut causam.

Episcopus quidam dixit, Lutheranos habere unum articulum, qui non poßit refutari, scilicet de coniugio: sed tamen concesso hoc unico articulo, concidere totum illum pulcherrimum ordinem Ecclesiasticum.

Maximi-

Maximilianus dixit : Papa egregiè nos uexauit, ipse nobis conceßit tantum unam uxorem , & ipse habet tot quot uult. Putat autem licere sibi omne quod libet : quia omnia iura habet in scrinio sui pectoris.

Noui quendam doctorem artis medicæ, quem multi alij quoque nouerunt. Nunc autem mortuus est : qui mihi fuit familiarißimè notus. Ille adolescens amabat uirginem, cui coniugium promisit. Parentes uerò ignari huius sponsationis, coegerunt eum ut susciperet sacerdotium. Ipse proficiscitur Constantiam, ibiq; fit subdiaconus, ut uocant , statim deinde manifeste fit promißio uirgini facta , aut ipsa puella patefecit. Illa res fuit inexplicabilis multis consistorijs, quod ipse esset subdiaconus, & simul sponsus. Iubetur itaque proficisci Romam. Ille proficiscitur : ibi cognita re , iussus est uirginem retinere, sicut coniugium promisisset. Duxit ergo illam honestam uirginem, ex qua postea suscepit duos filios, qui similiter ambo sunt artis Medicæ doctores, mihi etiam satis noti. Sed tamen pro satisfactione ei impositum est, ut ipse non haberet ius petendæ consuetudinis coniugalis : quod quid sit, iam non ulterius declarabo. Sed seniores , qui ista intelligunt, conijcere possunt, quàm inepta & iniusta ista fuerint.

Officialis citauerat quendam pastorem, quòd ipsi natus esset infantulus, & ei indicit mulctam quinque florenorum. Miser ille sacerdos primò petit sibi dari spacium , postea cum deberet afferre pecuniam, affert

duas

duas scopas. Officialis quærit, quare non pecuniam potius, quàm scopas afferret? Respondit Sacerdos: Ego ideo duas scopas affero, ut tu prius una tuam domum purgares: altera deinde ego utar in uerrendis meis ædibus.

DE ADVLTERIIS, SCORTATIONIBUS, libidinibus, earumq; pœnis.

Fuit una de pulchris legibus Aegyptiacis, quod si quis stuprasset uirginem ingenuam, excindebantur ei pudenda: si quæ uerò facta esset adultera, nasus ei præcisus est.

Pindarus ualde laudat ciuitatem Locrensem, quod bene fuerit constituta. In ea fuit legislator Zaleucus, ex cuius legibus multa adhuc paßim citantur. Dicitur autem is inter cætera tulisse legem, ut oculi effoderentur ei, qui commisisset adulterium. Deinde cùm filius eius contra legem peccasset, pater uoluit seruari eam: sed ita, ut filio oculus effoderetur unus, & sibi alter. Hæc est pulchra ἐπιείκεια.

Athenienses fecerunt legem longe diuersam à Lacedæmoniorum, ut qui corrumperet alterius uxorem, uolentem, nõ coactam, afficeretur capitali supplicio: qui uerò coactam, impunè dimitteretur. Credo illa sic sanxerunt, non aliam ob caussam, nisi ut atroci pœna legem Lacedæmoniorum à suis auerterent: quia illi negligentiores fuerunt in puniendis adulterijs.

Timoclea (puto fuisse Pelopidæ filiam, ciuis Thebani) interfecit unum ex capitaneis Alexandri, qui ei uim

inferre

inferre uoluit, hac arte. Odio dißimulato, dixit se monstraturum illi thesauros, quos habebat: & ducens eum in hortum ad puteum in quem eum præcipitauit. Re delata ad Alexandrum, cùm audiuisset eam esse filiam Pelopidæ, iußit ipsam duci in suum conspectum, nam Philippus pater Alexandri fuerat obses in urbe Thebana, apud ipsum Pelopidem. Illa uerò magnitudine animi freta, uenit in eius conspectum. Itaq; absoluit eam Alexander, & dimisit, iußitq; saluas esse omnes res, addens etiam ei custodes.

Fuit nostro tempore Consaluus, præstantißimus & summus Capitaneus inter omnes quos habuit Imperator, tantæ authoritatis, uirtutis & sapientiæ, ut per ipsum factus sit Imperator Hispanicus. Cùm enim cæteri nollent, ipse sua prudentia traxit eos, ut contra propositum suum, ipsum facerent regem. Hic cùm in direptione Genuæ præteriret ædes, in quibus erant tumultus, intrauit eas, audiuitq; matronam clamantem: cui uolebat miles quidam uim inferre: qua re comperta, ipse statim sua manu militem confodit.

Alexander Farnesius, qui duxit exercitum ad Ingolstadium, ibi in honesto gynæcio turpiter se geßit. Res indicatur Imperatori, qui iußit ipsi dicere: ut statim ex castris discederet, addiditq;: Si iam haberem istum nebulonem, statim eum mea manu confoderem. Nunquam tam atrox uox est audita à tam graui uiro, ex nostro Imperatore. Ille igitur audito hoc nuncio, statim aufugit ex castris, & rediit in Italiam.

Audiui sapientem & excellentem uirum, summo genere

genere natum, ſed qui non modeſtè uiuebat, cùm perijſſet ei filius incendio, dicentem: O me miſerum, mea peccata punit Deus in ſemine. Poſtea cùm ſe occultaſſet in aliena domo, ut illius uiri coniugem uitiaret, ipſe interfectus eſt.

Pauſanias dux exercitus Græcorum, ad Plateas uicit Mardonium ingenti prælio. Vnde diu non ſolum dux fortis & felix, uerumetiam modeſtus & probus eſt habitus. Poſtea uerò cùm eſſet Byzantij capitaneus, rapuit ciuis honeſti filiam, & eam ſtupratam interfecit. Hoc ſcelere cõmiſſo, ſtatim conſpirauit cum Perſis. Sed retractus ex Byzantio in Patriam, non potuit in effectum producere conſilium proditionis, quo nitebatur facere pacta cum Perſis, & Græciam ad Perſarum imperium transferre. Nam miles quidam, qui erat intimus Pauſaniæ, detulerat eum apud Ephoros. Verùm cùm ille non poſſet detectam à ſe proditionem probare, hoc egerunt, ut delator accederet ad Pauſaniam in templum, in quod fugerat, & ſtarent poſt cortinum duo Ephori, audirentq; eorum colloquia. Ibi cùm audiuiſſent proditionem, pronunciatum eſt de eo interficiendo. Ideoq; cùm nollet exire, clauſum eſt undiq; templum, ut fame periret: & mater eius Alcythea primum lapidem poſuit ad claudendam ianuam. Hoc ſcitote eſſe exemplum pœnæ libidinum & incontinentiæ in rebus ſecundis.

Hetzer homo doctus, et etiam Anabaptiſta, qui uertit ex Hebraicis Biblijs quædam ſcripta, ut Prophetam Eſaiam, &c. Conſtantiæ capitali ſupplicio eſt affe-

ctus, non propter confeßionem doctrinæ, sed propter alia perpetrata scelera. Ille insinuauit se in familiaritatem honestißimarum matronarum, cùm esset concionatôr (sicut mulieres facilè decipiuntur simulatione religionis) easq́; deinde stuprauit. Cùm afficeretur capitali supplicio, confessus est, se uoluisse sæpius agere pœnitentiam: sed ita in uinculis Diaboli *retentum fuisse, ut non potuerit resipiscere, sed semper relapsum esse. Velle etiam se iam libenter mori, & iusto* Dei *iudicio in hac pœna obtemperare.*

Lantgrauius Thuringiæ Albertus *habet coniugem honestißimam matronam,* Friderici *secundi* Imperatoris *filiam: ex qua habet duos filios,* Theodoricum & Fridericum. *Postea tamen nihilominus cœpit amare aliam, & non solum factus est adulter, sed etiam insidiatus est uitæ coniugis suæ,* Imperatoris *filiæ. Vnde paciscitur tandem cum illo mulione qui quotidie uehebat aquam in arcem* Eisenach, *ut interficeret mulierem. Ille promittit, uenitq́; ad custodem, & consiliarium* Dominæ, *narrat ei, quid promiserit, simulq́; excusauit suam promißionem, dicens:* Si *negassem, interfecisset me, nunc uos cogitate, quid uobis sit faciendum. Ibi dominus præfectus prætorio consuluit, ut aufugeret* Domina. *Ipsa aufugit, & ueniens* Francofordiam, *ibi transegit biennium in monasterio sola, & postea mortua est. Cùm uerò noctu digressura esset ex arce, clam sese per funem demisit ex fenestra non admodum alta, in subiectum scopulum, unde occultè aufugere posset. Sed antequam egrederetur ex cubiculo,*

uale-

ualedictura infantibus, arripuit maiorem natu, & momordit genam, ita ut puer alta uoce clamaret. Ibi magister curiæ, Quid facis, inquit: putans matrem interfecturam esse infantem præ dolore. Ah, respondit mater, putas me posse discedere sine magno dolore? relinquam filio notam discessus in gena. Sed uidete porrò in hoc exemplo, quomodo Deus puniat libidines. Postquam adoleuissent filij, pater seditione quadam uoluit eos eijcere ex Misnia: sed filij bellum gerentes contra patrem, expulerunt illum. Sic expulsus Erphordiam peruenit, ubi in summa paupertate mortuus est. Fridericus filius ille peruenit ad senectutem, & est sepultus Isenaci, cuius sepulchro inscriptum est Epitaphium, tale:

Ecce Fridericus cultor uirtutis, amicus.
Pacis, conditur hîc, stirps, Imperialis, & illic.

Initium motus Bohemici ante annos 140. aut circiter quod fuerit.

Quidam Abbas rapuerat sororem uiri nobilis: de qua iniuria cùm conquestus esset frater ille apud Ziskam, hic collectis amicis quibusdam fidelibus, & amatoribus iusticiæ, cum illis Abbatem oppreßit & interfecit: cæteros uerò monachos expulit, & prædam diuisit. Postea statim peruagatus est magnum Bohemiæ tractum. Ziska fuit Capitaneus, potuitq; uictoriam moderari.

Dicunt Constantinopoli tantam fuisse libidinum turpitudinem antequam à Turcis capta esset, ut omnes homines dixerint futuram esse ingentem mutationem.

Turci à communione rerum transeunt ad communionem mulierum. Quod quidem accidit tempore Carpocratis, qui contendit esse piam istam communionem omnium, allegans dictum: Da omni petenti te. Sed dicti sensus est: Communica iuxta legem Dei, sit æqualitas, sed ordinata iuxta legem Dei: non talis qualem tu tibi fingis aut excogitas.

Fuerunt aliquando Persici legati in conuiuio Macedonico, in quo etiam coniuges multæ intererant. Ibi cùm Persæ præberent signa obscœnitatis: Alexander adolescens abduxit uirgines, tanquam secessuras, uolentesq; sese illo secessu paululum recreare. Sed paulo pòst redit in conuiuium relictis domi prioribus, & adductis adolescentibus, indutis muliebri uestitu, qui erant moniti & iußi, ut sub uestimentis cingerent se gladijs. Itaq; cum iterum Persæ præberent signa obscœnitatis, adolescentes interficiunt eos. Rectè fecerunt: quia permißio securitatis datur illis qui non uiolant iura hospitij: illi uerò uiolauerant.

Machometistæ habent satisfactiones: ut si quis commiserit adulterium, qui est pauper, debet uestire duos homines: si uerò diues, decem.

Vuitebergæ fuit homo iocosus & officiosus, ex quo postquam ancilla facta esset grauida, plectebatur quidẽ triginta aureis, sed ita, ut maiores alioqui pœnas dedisset, nisi senatus pepercisset ei propter eius industriã. Ille uerò iocando ad hæc dicebat: Tempore papatus, si fecissem adulterium, potuissem me redimere duabus libris ceræ. Lex Iulia, & Attica, puniuit adulteros capite.

Memini

Memini nobilem quendam cæpisse mœchum, & fame necasse, sed ita, ut quotidie mitteret assaturam optimam, quo odore augeret dolorem famis. Ille uerò captiuus arrosit utrosq; humeros, & uixit usq; ad nonum diem.

Dauid fuit ad minimum quinquagenarius, cum factus est adulter: quia quadragesimo anno peruenit ad regnum.

Pallas à Neptuno petit, ut submergat classem Græcam. Neptunus causam interrogat, inquiens: Miror te sapientem deam, uelle tantam calamitatem Græcis euenire, quos antea defendisti. Respondit: Quia uiolauerunt templum meum. Nam Cassandra fuit stuprata in templo meo, & principes hoc non punîuerunt: ego igitur puniam.

Carolus Gibbosus ingressus in Italiam, cæpit Neapolim: Cum itaq; iam teneret Carolus Neapolim, duces in domo principis cuiusdam uiri uoluerunt uim inferre nobilibus matronis: illæ indicauerunt uiris, qui secesserant in arces. Viri clam redeunt in ciuitatem, ac iusserunt matronas apparare conuiuium. In quo cum Galli securè potarent, & luxuriarent cum mulieribus. interueniũt uiri armati, & præcipuos interficiunt. Deinde equitant ex urbe, abductis una secum mulieribus.

Agathias scriptor dicit, quosdam honestos doctos & magni nominis uiros discessisse ex Aegypto, eo quòd uiderint magnam turpitudinem & libidines quæ ibi erant. Filij enim concubuerunt cum matribus, &

patres cum filiabus: sicut adhuc dicunt fieri in Africa. Redeuntes illi Græci, inuenerunt in Græcia iacere cadauer insepultum: quare affecti miseratione (ut congruit humanæ naturæ) fecerunt ei sepulchrum. Idem cadauer postridie inuenerunt extra sepulchrum. Tunc oblata est eis species uel spectrum, ueniens ad unum ex ex illorum numero, ac dicens: Noli humare cadauer, *quod heri humasti: quia non decet ut terra subleuet eum, seu præbeat hospitium illi, qui polluit suam matrem. Ibi intellexerunt, naturam terræ abhorrere ab illa turpitudine, sicut his indicatum erat. Est narratio apud Agathium, de moribus Persicis.*

Conueniebat me quidam Comes, *discipulus meus, in conuentu Augustano, cui dicebam:* Certè te non amplius *præ deformitate agnoui.* Respondit: Ah peccata *mea sunt causa istius deformitatis. Postea uerò honestissimè uixit, nam morbus ille præbuit ei occasionem conuersionis. Habuit suam coniugem honestissimam mulierem (ex qua etiam ipsi filij procreati sunt) & sacras scripturas diligenter legebat, nihilominus tamen ueniunt pœnæ.*

Francofordiæ *ad* Viadrum *senex quidam uir, admodum diues, habuit coniugem iuuenculam, cum qua seruus eius habuerat consuetudinem. Mortuo autem domino, seruus uiduam relictam in matrimonium ducit, intra octennium omnes facultates atq; opes decoquit: insuper etiam* 1400. *florenorum nomina contrahit. Inuenerat autem in dote uiginti duo millia florenorum promptam pecuniam, item pagos: ita ut*

diceret

diceret se existimasse, hanc pecuniam sibi & nepotibus suis sufficere posse, etiamsi in magno luxu uiuerent.

Eccius sedebat Erpburdiæ in conuiuio inter honestißimos uiros: qui cùm adduxissent suas coniuges, statim cum ijs petulanter ludere cœpit, sicut erat homo impudens. Ibi una ex illis duriter eum reprehendit, inquiens: Es tu Doctor? non existimo te in honesta familia, sed in lupanari educatum. Ipse uerò non habuit folium fici, quo suam tegeret deformitatem: nec etiam cogitauit dictum Plauti, Seruum hominem decet habere oculos continentes, manus & linguam.

Noribergæ, quidam leuis homo habebat coniugem, à qua libenter fuisset liberatus: Cùm uerò audiuisset, in renouatione doctrinæ Euangelij licere aliam ducere, propter scortationem: palàm scortabatur, quam ob caussam etiam in carcerem coniectus est. Cùm uerò interrogaretur, cur id fecisset? respondit, ut uxor eius ipsum accusaret, propter scortationem, & ita contingeret, ut ab eo liberaretur. Norimbergenses rectè & benè eum puniuerunt. Ita enim cæsus est uirgis, ut elapso triduo moreretur.

Memini, tempore Ludouici regis Galliæ Romæ factam esse dispensationem, ut frater duceret sororem in regno Gallico: illi tamen noluerunt coniungi, quia natura abhorrebat, cùm Rex uellet eos coniungere.

Romæ quidam Cardinalis appetiuit coniugem formosam alicuius pauperis: & promisit marito duo millia coronatorum, ut eam sibi aliquandiu concederet.

Maritus accepta pecunia, dimiſit uxorem. Poſtea uxor ad maritum redire noluit: dicens ſe iam alteri eſſe uenditam.

Legitur in Anatomia Veſalij, de quodam Hiſpano, qui cùm uideret de collo inhoneſtæ mulieris pendentes gemmas precioſiſsimas, uniones, ſmaragdos, & alias auro circumdatas, delectatus eſt illis, ſic, ut in conſuetudine, quam cum illa habebat, omnes deuoraret. Poſtea uerò reiecit per inferiora.

Quidam dux habuit coniugem, quæ ſcribens binas literas, alteras ad maritum, alteras ad amatorem. At in inſcriptione errauit: ita ut literæ ad amatorem ſcriptæ peruenirent ad ipſum Ducem: & ad maritum ſcriptæ, amatori traderentur. Dux uidens & legens has literas, ſtatim profectus eſt ad coniugem, & in primo conſpectu eam interfecit. Poſtea profectus eſt Romam, & abſolutus à Pontifice, impoſita ei hac ſatisfactione, ut conderet monaſterium, quod & factum eſt.

Dicunt Vincentiam hoc modo ueniſſe in Venetorum poteſtatem: quia Vincentiæ dominus iuſsit ad ſe adduci ciuis cuiuſdam filiam, quam pater ei mittere noluit. Abducta igitur eſt ui, & poſt aliquot dies remiſſa patri diſſecta in calatho. Pater re deliberata cum amicis quibuſdam & Senatoribus, mittit cadauer, ut erat diſſectum, ſenatui Veneto, eiq; pollicetur deditionem urbis. Ita tyrannus oppreſſus & expulſus eſt.

Ante paucos annos, miſer homo compreſsit ſuam filiam. Mater uolens occultare infamiam filiæ, interfecit pue-

puerum. Re *autem patefacta, sumptum est supplicium de illis tribus personis.*

Pastor quidam erat in oppido Vueiden, *nobis omnibus, præsertim senioribus notus, is habebat coniugem honestam, & filiolum, quem mihi moriturus commendauit, cumq; haberet consuetudinem cum multis alijs, tandem etiam ancillam suam compreßit.* Translatus *postea in alium pagum, non procul à* Salfeld, *ibi conabatur in campo quandam grauidam comprimere: illa euasit tamen, ac conquesto est marito & fratri suo hoc facinus.* Pastor *uerò hac de re conuictus, fugit ad* Episcopum Mersburgensem, *eo tempore ibi uersantem.* Factus *est igitur papista, relicta coniuge.* Postea *post biennium equitat per illum pagum, quia* Deus *trahebat illum ad supplicium.* Ibi *cùm uidet illum equitantem frater illius mulieris:* Ah *tu nebulo, inquit, rectè iam te prehendo.* Tantâne *est tua audacia, ut audeas adhuc transire hunc pagum? & apprehenso equi freno, ipsum capit, ac sic statim eum abducit ad arcem* Caiensem. Nos *eramus tunc* Ienæ, *tempore pestis.*

Eodem *tempore & alius quidam* Anabaptista *erat coniectus in carcerem, propter quem oportuit me quoque accedere.* Cùm *igitur huius occasione eò uenissemus, ibi ille scortator exemptus ex carcere, deplorauit suam calamitatem, ac petiuit ut pro eo intercederemus.* Interceßimus: *sed princeps, ut erat pius, & honestus, noluit ueniam concedere.* Itaq; *statim est de eo supplicium capitis sumptum.* Erat *homo ingeniosus, & satis doctus & industrius.* Erat

etiam ille qui primus mihi aduersatus est in uisitatione seu inspectione Ecclesiarum. Stabat iste nebulo, & uociferabatur de necessitate operum: Oportere ista opera ita fieri, cum ipse esset magnus scortator. Erat apud ipsum Antonius Musa, qui eum consolabatur & absoluebat, ad quem dixit: Domine Antoni, ago tibi gratias, quòd me reduxisti ex hac dubitatione ad emendationem uitæ. In primis autem Deo gratias ago, quòd redij ad pœnitentiam. Confessus etiam tunc est, quòd ancilla admouisset cultrum ad iugulum, ut eam comprimeret. Quare non immerito tandem secuta est pœna. Non debetis dubitare, quin tanta scelera certæ pœnæ sequantur. Possum consumere integrum annum commemoratione talium exemplorum. Possem uobis etiam commemorare multas historias, non tantum quas legi, sed etiam quæ mihi experientia sunt notæ, & ipsemet uidi. Ideo timeamus DEVM, & nos ab ipso regi petamus.

Mandatum de castitate seuerissimum est, ut euidenter probant horribiles pœnæ in genere humano. Non est quòd dubitetis de eo: Scriptura dicit expresse: Omnis anima quæ fecerit has abominationes, eradicabitur. Dicit, Omnis anima: significans tam Reges & Principes, quàm infimo loco natos. Ideo considerate familias potentum. Quantumuis potentes multum sibi licentiæ permittunt, tamen apud eos uidetis etiam sequi tristissimas calamitates. Inspicite familiam quandam, quæ nobis nota est. Cogitate quales sint libidinum confusiones in potentibus familijs? quales fuerint?

quæ

quæ secutæ sint pœnæ? & quæ sequantur aut impendeant. Quia τά βασιλέων παθήματα πάντες ἴσασι, inquit Euripides: id est, Regum calamitates omnes norunt. Hæc non dico in cuiusquam contumeliam, sed dico confirmationis & exempli causa. Possem commemorare multa, quæ memini. Vlmæ quidam honestus uir habebat coniugem mœcham, quam cùm accusaret apud familiam, familia ægrè ferebat ipsam fieri infamem. Cùm igitur uideret eam à familia non corrigi: ipse, sicut uir magnanimus, cogitabat quid sibi esset faciendū. Simulabat se profecturum ad mercatū Francofordiensem in ipso die festo Mariæ, quo die ibi magnum est festum. Discedit eques suo more, sed equo in proximo pago relicto clàm domum redit, cùm alij essent in templo, & occultat se sub scalis. Ibi latuit toto die armatus, à meridie usq; ad uesperam. Ancillæ magnificè cœperunt apparare cœnam: mœchus circa sextam uel septimam horam noctis, cum essent tenebræ, accessit. Maritus interea sub scalis latitans, omnia pertulit: sed dixit, se uix potuisse continere, quò minus ipsum ingredientem & ascendentem gradus domus interficeret. Sed cogitans se non potuisse tueri illud facinus legibus, & quod fuisset accusatus tanquam homicida: concedit illis tempus cœnandi, & cubitum eundi. Cum esset media nox, & cum putaret eos esse sopitos, tunc ipse gradus ascendit. Interea mulier audiens strepitum, perterrefacta est, surgitq; & aperit cubiculum, circumspectans num aliquem uideat. Sed ille ita se occultauerat, post fornacem, ne uideri ab illa posset.

Cùm

Cum igitur uxor rurſus ingreditur cubiculum, ibi mox eam maritus ſequitur, quia aliâs non potuiſſet ingredi cubiculum: Ecce, inquit, toties accuſaui te, & tu negaſti: iam ego deprehendo uos ſimul. Interea mœchus ſurgit de lecto, & arripiens gladium, parat ſe ad defenſionem. Maritus contra ſtricto enſe ipſum inuadit. Mulier intenta uoce exclamans, uocat miniſtrum, ut eis opituletur. Sed tota familia ſic erat ſomno ſopita, ut nullus hominum ueniret. Maritus itaque (Deo adiuuante) primum ipſum adulterum affigit parieti, & confodit. Poſtea ipſam aggreditur, dicens: Tu belua, ego coactus ſum tam diu iſta ferre: nunc te comprehendo: iam quoq; de te ſumam ſupplicium. Ah, inquit illa, concedas mihi tantum ſpacij, ut agam pœnitentiam, & ſumam ſacramentum. Non faciam inquit. Satis eſt, ſi doles pro perpetratis facinoribus, ac ſic moriaris. Atq; ita illam quoq; interfecit. Poſtero die iuit ad Senatum, & dixit ſe hoc feciſſe. Non potuit eum Senatus reprehendere, nec habuit ius: quia conceditur iure ciuili, occidere mœchum. Hæc hiſtoria eſt facta non ante multos annos. Memini hanc hiſtoriam, & ſoleo mecum tales conſiderare. Poſſem etiam uobis ualde multas ſimiles recitare.

In bello Mediolanenſi Gallus quidam, hoſpes honeſti uiri nobilis, cœpit cum uxore eius liberius colludere, & alia inhoneſta flagitare. Mulier hæc indicat marito, inquiens: Ego inſtruam conuiuium, & dabo illi ſoporiferum: tu uide, ut fortiter illum interficias. Sic illa res proceßit. Non eſt diſputatio de iure.

Illa mulier honestè fecit, & uir generosè & fortiter istum occidit.

Tragicus casus punitæ libidinis.

Nepos Pontificis Cardinalis, habuit consuetudinem cum medioris ciuis, coniuge, qui permittebat illam turpem consuetudinem. Quod facinus ubi resciuit illius mariti frater, grauiter eum accusauit, quod ita dedecoraret familiam suam. Sed is, quantum potuit, se excusauit. Quomodo autem uterq; punitus sit, breuiter exponam. Cardinalis mittit nuncium eo, & mandat instrui conuiuium: se enim ista nocte uenturum esse. Mulier exequitur mandatum. Sed Cardinalis mirabiliter impeditur, ne illa nocte aduenire posset. Cùm igitur in multam noctem eius aduentum diu expectassent, tandem maritus dixit ad coniugem: Agè eamus unà in cubiculum, quod instructum est Cardinali. Vxor assentitur. Dum simul cubant, mariti frater, qui clam latebat in ædibus, irrumpit in cubiculum, & accedens imprudentius ad lectum, fratrem unà cum coniuge transfodit. Manè cum cognouisset errorem, antequam in exilium iret, curat per quendam sacerdotem, etiam Cardinalem ueneno extingui. Sic Deus horribiliter libidines puniuit.

Noui Comitem, ingeniosum uirum, & Imperatori Maximiliano præ cæteris principibus, propter industriam ualde gratum, qui male regebat uitam suam, (erat enim suprà modum libidinosus) cum tamen esset in alijs rebus satis circumspectus. Tandem fuit inter-

interfectus à suo scriniario; hac occasione. Cum aliquando comes scriniarium cum literis aliò ablegaret, ille intellexit se ablegari propter uxorem. Quapropter manens domi, se occultabat. Sic postea ex improuiso adortus est Comitem, eumq; interfecit.

Cato melancholicus habebat pulchram coniugem, quæ placuit Hortensio, homini docto & eleganti. Petiuit ut Cato sibi eam concederet. Cato putauit esse grauitatem, ut amico petenti uxorem gratificaretur. Ita eam concesßit Hortensio. Mortuo uerò Hortensio, rursum eam ad se recipit.

Monetarius, cum esset Cygneæ, uenit ad puellam quandam, dicens, se diuina uoce ad eam missum esse ut cum ea haberet consuetudinem: quod nisi fieret, non posse uerbum Dei prædicari. Hæc pastori illius loci illa puella confessa est, in periculo mortis.

Cum essemus Ratisbonæ, fortè Stigelius uesperi rediturus in hospitium nostrum, incidit in Hispanum ducentem alicuius ciuis coniugem. Illa cum uidet obuiam uenire hominem Germanum, Inquit: Iuues me, ille abducit me repugnantem & nolentem. Ibi Stigelius statim adoritur Hispanum, sicut fuit fortis & animosus uir, & apprehendit ipsius gladium, ne eum stringere possèt. Age, inquit, quare abducis alterius coniugem? Auditis illis, statim eam dimisit. Stigelius deinde interrogat eam, quæ esset eius domus? Ibi ipsa & alij ciues præsentes monstrant locum, ad quem etiam ipsam deducunt. Stigelius reuersus ad nos, totam historiam commemorauit.

Στρα-

Στρατήγημα, quo honesta & pudica virgo suam pudicitiam tutata est.

Quidam dominus admodũ libidinosus, cum aliquando in Burgundia iter faceret, à ministris seu curatoribus hospitij, qui eius animũ norant, ductus est in quoddam hospitiũ, in quo erat uirgo præstãtißima forma. Cumq́; parentes metuerent pudicitiæ ipsius, cogitauerunt eam antequam dominus ad hospitium ueniret, ad aliquẽ ex amicis ablegare, ut ibi interea delitesceret. Filia cum esset rogata à parentibus, ut suæ pudicitiæ rationẽ haberet, & ad aliquem amicorum se conferret, negauit, se hoc facturã, ac iußit parentes bono animo esse: se enim fore suæ pudicitiæ custodem. Interea dum dominus aduenit, ornat se uirgo, ac uenienti obuiam procedit, & blandißimis uerbis excipit. Dominus, primo aspectu puellæ commotus, statim iußit sibi cubiculũ monstrari. Cumq́; uirgo eũ duxisset in cubiculũ, continuo, ut erat peronatus, irruit in eam, ac uoluit eam comprimere, puella non admodum reluctata, petiuit ut prius dimitterentur ministri, ne essent spectatores. Dominus iußit statim omnes discedere. Ibi cùm puella esset sola, rogat principem, ut permittat sibi prius detrahi perones. Dominus assentitur, ac porrigit utrunq; pedem. Cùm itaq́; puella utramq́; ocream dimidiam detraxisset, reliquit eum, & fugit per ianuam paruam, deducentem ad plateas in altero latere ædium. Dominus, qui erat implicitus ocreis, non potuit eam sequi. Puella statim depositis omnibus ornamentis, ac sumptis uilibus uestibus, quas prædisposuerat, per posticum clàm omnibus aufugit,

&

& apud ciuem quendam latitat, sed nec parentes sciebant quo aufugisset. Postero die, cùm non inueniretur filia, & parentes inciperent metuere, ne quid grauius filia in se perpetrasset: cœpit & dominus non nihil de uita uirginis esse sollicitus & uocatis parentibus, iußit diligenter filiam inquiri: promisitq; bona fide, filiæ nihil à se periculi fore, nec amplius de pudicitia eam apud se periclitaturam. Insuper etiam dotem amplam pollicetur. Nam quantum ad se attineret, se uoluisse eam stuprare, & propterea ei dotem debere. Constituit igitur ei pro dote quatuor millia coronatorum, ac parentes adhortatur, ut quoniam iam nubilis esset puella, statim de aliquo cogitarent, cui eam in matrimonium collocarent. Hæc domini uirtus & liberalitas cùm esset euulgata, puella rursus prodijt. Cumq; ad ædes paternas parentum iussu redijsset, procidit ante faciem principis, ac ueniam deprecata est. Dominus humaniter ei respondit, ac dotis loco quatuor millia coronatorũ dedit. Statim autem adolescens adductus est, qui eam amare credebatur: cui uirgo desponsata est, & post aliquot dies, præsente illo Domino, nuptiæ cum magna lætitia ipsius & amicorum sunt celebratæ.

DE DIVORTIIS.

Eusebius allegat exemplum ex historia Iustini, qui narrat cuidam matronæ sic consultum esse, ut quoniam maritus crudelis & sceleratus, turpißimè etiam uixerat, peteret diuortium. Et credo magnam seueritatem Ecclesiæ fuisse in ea re. Tale exemplum est Fabiolæ, quæ nobilis & honesta matrona Romana disceßit à uiro

discesßit à uiro mœcho, nupsitq; alteri: id fecit Romanis *legibus.* Quanquam *reprehensa est, tamen* Hierony*mus defendit, & eam excusat.*

Huc *quoq; referri potest exemplum* Catonis, *qui in amici gratiam fecit diuortium, eiq; coniugem suam credidit, quam mortuo eo recepit.* Vide *plura in præcedenti loco, de* Libidinibus.

Alcibiades *habuit formosisßimam & honestisßimam mulierem* Atticam, *quæ petiuit diuortium.* Ille *uerò cùm ueniret in forum, comitatus cœtu adolescentum, et grege suorum potatorum, amplectitur eam, ac rursus domum reducit.* Sic *iocatur, fuit hilaris, & ipsa mansit apud eum.* Ita *mundus turpiter iocatur, & deridet coniugia.* Vnde *turpes sequuntur etiam euentus.*

Turcis *est grata licentia ducendi uxores, quot quisque uult, quia apud* Mahometistas *non est coniugium.* Ducunt *enim quot uolunt : & dimittunt coniuges sine caussa, quando uolunt.* Sed Lex Moysi *non concessit diuortia sine caussa.*

Non *omnis qui abest à sua coniuge, est desertor, & perfidiosè abest.* Vt *cùm absunt quidam propter militiam, alij propter legationes necessarias reipublicæ: interdum etiam propter priuatas negotiationes, ut mercatores.* Habent *etiam illa suum modum.* Certè *potestas debet uti seueritate in his rebus.* Ante *paucos annos quidam concionator in oppido* Zeitz *duxit uxorem.* Aliquanto *post uenit altera seu prior uxor, & magistratui dixit, hunc esse suum maritum.* Senatus *rem domino* Episcopo Iulio Pflug *exposuit.* Hic *re in-*

tellecta, curauit eum includi in carcerem: & rectè fecit. Potuisset uti maiori seueritate, sed non uoluit facere, ne diceretur odio doctrinæ fecisse. Expulit eum deinde, dimisitq; incolumē. Iure usitato in legibus, quarum hodie usus est in Romano iure, potuisset decollari. Magna est malitia multorum hominum, à suis coniugibus temerè migrantium.

Ante aliquot annos, pastor in Dieben coniunxerat personas quasdam satis temerè, & scripsit literas, in quibus expreßè posuerat hanc sententiam: Ego Episcopus in Dieben, coniunxi has personas, hoc tempore. Si quis petit huius mei propositi rationem, ueniat ad me in meum episcopatum, ubi ipse exponam meum in hac causa iudicium. Illustrißimus Princeps collocauit eum in carcerem Torgæ: & sic uenit in ipsius episcopatum. Postea uero fuit pro eo deprecator.

DE AMORIBVS.

In Achaia est statua Iunonis, quæ tenet in una manu malum granatum fissum: ad quam statuam aduolat cuculus: quia Iupiter fingitur se conuertisse in cuculum, quando appetiuit Iunonem. Est phantasia, excogitata à quodam, uolente depingere amorem: quia omnis amator est cuculus.

Pindarus: Occultæ sunt claues persuasionis amorum in dijs & hominibus, uerecundia tenente, palàm attingere puellas, id est, ex occulta caussa. Catullus:

Odi & amo: quare hoc faciam, fortasse requiris,
Nescio, sed fieri hoc sentio, & excrucior.

Pro-

Propertius.

Quid quæris? Quare, non habet vllus amor.

Fuerunt pulchriores uxores in Iudæa, quàm Bersabæa: & tamen Dauid illius accenditur amore. Ita amor plærunq; tam uulgaria quàm elegantiora prosequitur, iuxta usitatum uersiculum:

Si quis amat ranam, ranam putat esse Dianam.

Vnde Cicero inquit: Sine unumquemq; sibi scribere: Suum cuiq; pulchrum: suam quisq; sponsam amat.

Romani admodum appetiuerunt Atticas mulieres, quia hæ fuerunt admodum formosæ, nobiles, eruditæ & medicæ.

Musæ cecinerunt Thebis in nuptijs Cadmi.

ὅτι καλὸν φίλον ἐστι, καὶ οὐ καλὸν οὐ φίλον ἐστι.

Causam esse credo naturalem sympathiam consensus stellarum.

Gallus amat celerem pede non remorante puellã,
Quæ leuis est certis, ac magis apta modis.
Hispano magis illa placet, cui forma benigna est,
Cui Venus ex oculis semper amica ridet.
At Italus timidæ lætatur amore puellæ.
Dulcia quæ Veneris prælia sæpe fugit.
Virgo sed audaci quæ prouocat ore magistrum,
Illa est Germano dulcis amica viro.

Menander.

Ταλαὸς, ἔρως ἄνευ τόλμης.

Amor sine audacia, est carmen

Capnio dicebat: Quando senex uult amare, & ducere uxorem, accipiat longam furcam, & suspendat de ea crumenas plenas auro, ac porrigat per fenestram, amicæ, uideatq́; num uelit aperire, & inspicere quid in ijs contineatur.

An amoris coniugalis obliuisci quis possit?

Cum ad quendam ciuem Norimbergensem quidam ex suis amicis uenissent, mirantes secundum suum coniugium, quod oblitus fuerat, siquidem priorem coniugem perditè amauerat. His respondit, charißimi amici, dicens: Verum est, ingentem pectoris dolorem sequi si coniuges separantur: attamen illius doloris in spacio unius mensis plurimū obliuisci quis poterit. Es ist war/ sagt er/ lieben freunde/ das ein groß hertzleid ist/ wo Eheleut von einander scheiden/ iedoch kan man solches schmertzen in vier wochen viel vergessen.

Moguntiæ quidam amauit puellam, & impetrauit ut ad eam admitteretur. Asinus ille astans puellæ, deliberare incipit, dicens: Si attigero te, nascetur puer, quem postea magnis sumptibus enutrire cogar. Respondet illa: Tu fatue, ego te illo honore uolui afficere, ut cognosceres meam erga te beneuolentiam, & tu cupis me dehonestare? Et sic ipsum per gradus præcipitauit, & ex domo expulit.

Doctoris Martini Lutheri de ducendis choreis iudicium.

Choreæ sunt institutæ & concessæ, ut ciuilitas discatur in frequentia, & discant adolescentes uenerari fœmi-

fœmineum ſexum, atq; contrahatur amicitia inter adoleſcentes & puellas honeſtas, quo poſtea certius eas ambire poßint. Papa damnauit Choreas, quia aduerſarius fuit nuptijs legitimis. Ideo ſimul ad nuptias inuitantur etiam honeſtæ aliquæ matronæ, & uiri qui ſunt ſpectatores, ut omnia modeſtè fiant. Sed unum eſt quod mihi in ducendis choreis diſplicet, & uelim id publicè à magiſtratu prohiberi, ne adoleſcentes in gyros ducerent puellas, præſertim in publico multis ſpectantibus.

DE VESTITV, ET MOdeſtia in inceſſu.

Non eſt de nihilo dictum: mulier quando ueſtem deponit, pudorem etiam deponit, quanto magis uir ueſtem deponens, pudorem ſimul deponit?

Verſus Ennij, quem citat Cicero.

Flagitij principiũ eſt, nudare corpora inter cines.

Habui quendam diſcipulũ, qui iam eſt doctor Iuris, & conſiliarius cuiuſdam Ducis: tum uerò erat pugil. Hic cum eſſet reuocatus à patre domum, uenit ad me, dicens: Domine præceptor, da mihi pecuniã. Ego itaq; interrogabam: Quid uis pecunia facere? Reſpondit: Curaui mihi caligas, quia non audeo prodire in conſpectum patris hiſce caligis. Ad hoc ego nonnihil iratus intuli: Quis malus genius tibi illum præpoſterum & ſerum pudorem iniecit? Quare antea non es ueritus etiam meos oculos, qui non minus offenduntur?

Audiui à doctore Iuris de Duce Eberhardo Vuirtembergenſi, pio principe. Venit in conſpectum eius

Quidam ſcholaſticus, indutus longa ueſte, quem uiderat Princeps aperta tunica habere caligas diſſectas. Cum itaq; hic peteret ſacerdotium aliquod, nec quicquam aut certè parum Latinè loqui poſſet, dixit ei princeps: Ira uade, ira uade, quaſi diceret: Ego ſum iratus tibi, propter ueſtem, non ad ſacerdotium conuenientem: uade, ne tibi aliquid deterius accidat.

Honeſtißimus quidam dux habuit nobilem apud ſe, ſic ueſtitum ut nunc eſt moris, ad quem dixit: Quæſo mihi gratificare, eas ad ſartorem, & ſinas te ueſtiri ex optimo panno, meo more, & depone ſciſſas iſtas ueſtes. Ille inquit, Meo arbitrio me ueſtiam. Reſpondit optimus dux, Et meo arbitrio te pellam ex mea aula: & ſtatim oportuit illum diſcedere ex aula.

Olim in rebus publicis clarißimi ciues acerrimè uetera inſtituta defenderunt. Quoties enim Romæ ſumptuariæ leges prolatæ ſunt, ut more maiorum ueſtiret ſe ciuitas? Cato quanta contentione tuetur legem Oppiam apud Liuium, quæ modum ſumptibus mulierum præſcribebat.

Auguſtus cùm uideret Romanos peregrino ueſtitu delectari, ſentiens quantum ea in re mali ineſſet, longa oratione ciues obiurgauit, & ad togæ uſum reuocauit, illum etiam Virgilij uerſiculum citans:

Romanos rerum dominos, gentemq; togatam.

Apud Virgilium, cùm molliciem obijcit Troianis Turnus, à ueſte coniecturam facit. Ait enim:

Et tunicæ manicas, & habent ridimicula mitræ.

Animaduerterunt enim docti uir, ſermonem, habitum,

tum, inceſſum, & alios motus corporis, tanquam actionem eſſe animi, in qua uelut in ſpeculo cuiuſq; natura cerni poſſet. Sic & Eccleſiaſtes dicit: Amictus, riſus, & inceſſus, produnt hominis ingenium.

Turcicus Imperator iußit ſibi aliquando omnium gentium habitus pingi. Cùm itaq; pictor plurimarum gentium ueſtes depinxiſſet, tandem pingit nudum hominem, & iuxta eum uarios pannos. Iuſſus igitur à Rege interpretari illam picturam nudi hominis, cùm expoſuiſſet cæteras imagines, tandem dixit nudum illum Germanum eſſe, cui certa forma ueſtitus pingi non poſſet, quod quotidie nouam excogitaret.

Socrates calceis Sidonijs contra ſuam conſuetudinem uti noluit, tametſi ipſius confeßione apti erant pedibus. Nec ille moroſus in re parua uideri debet. Pars quædam grauitatis atq; conſtantiæ fuit, ne quidem in paruis rebus ſui dißimilem eſſe.

Homerus ait: honeſtum habitum ad exiſtimationem augendam conducere.

Namq; viro veſtis magnum decus addit honeſta.

Non enim gemmæ, aut aurum, aut purpura, quarum rerum uſus in ciuitatibus bene conſtitutis etiã interdictus eſt honeſtis hominibus, magnopere ornant uiros: ſed quia pro ingenijs, ac moribus ueſtitum ferè quiſq; ſumit, magnam commendationem habet honeſtus habitus, quòd eo boni uiri delectari iudicentur.

Inter corruptelas rerum publicarum, merito affectatio ſiue nouitatis ſiue peregrinitatis in ueſtitu numerari debet.

Lacedæmonij hospitem Milesium, cùm alijs delicijs affluentem, tum in uestitu sumptuosiorem, quàm pro Spartana consuetudine, iusserunt ciuitate excedere, ac domi Milesiam exercere.

Dauid suas gentes, cum à uicino Rege per contumeliam uestes decurtatæ essent, ac barba contra morem rasa esset, iußit extrema regni ipsius oppida tenere, nec prodire in publicum donec barba creuisset.

Xenophon scribit Lacedæmonios in institutis suis præcepisse, ut pueri in publico manus intra uestes cōtinerent, nec deijcerent oculos ab his quæ ante pedes essent. Et ait hæc duo instituta esse, ut ad uerecundiam, pudorem & modestiam à prima statim pueritia assuefierent.

Albertus dux Bauariæ, auus huius Principis, ualde doctus & honestus, cum redijsset ex Parisijs in patriā, & esset factus Baccalaureus, credo Decretorum (nam Lutetiæ eo tempore nullum solebant promouere Baccalaureum in iure Ciuili) uenit domum in cucullа Baccalaurei, & illam cucullam cum alia ueste baccalaurei multos annos gestauit. Si iam non Princeps, sed aliquis mediocris fortunæ, ueniret domum in habitu scholastici modesti, aut ex studiosis sic domi appareret, ab alijs diceretur insanire.

Dicitur communi prouerbio: Vestis non facit monachum: uestis enim non est animi uirtus uel uitiū: sed sæpe est signum modestiæ & honestatis, uel econtra.

Nihil est pulchrius, quàm uidere uirum cataphractum. Veteres pulcherrima habuerunt arma, distinctos thora-

thoraces auro & argento. Sidonius Apollinaris inquit, se inuitatum ad nuptias Burgundiacas, iisq́; præsentes, cum alijs suæ gentis nobilibus, uidisse spectaculum pulcherrimum chorearum Burgundicarũ: in quibus uir cataphractus, indutus armis pulcherrimè ornatis auro & argento, duceret in chorea proceram uirginem, & saltaret in panoplia tam facile ac leuiter, atq; si sine ullo onere fuisset.

Dux Fridericus, laudatißimus & sapientißimus Princeps, si quando accidit ut nactus esset caligas rectè factas & accommodatas suis pedibus, solitus est tam diu illis uti, ut sarctor eas resarcire cogeretur. Quia querebatur sibi rarò rectè fieri caligas: idq́; nobis omnibus accidit.

Apud Xenophontem uitio datur Voluptati, quòd sæpius in suam respexerit umbram, & oculos ad uaria loca uolutarit. Sed illa modestia nihilominus est in nostro Imperatore Carolo V. quòd sicut alijs magnis modestiæ laudibus afficitur, ita ut præcipuè oculos uagabundos non habebat. Dicam uobis historiam. Cùm post electionem Imperator Antuerpiam ingressus esset, Senatus urbis ut lætari se aduentu Cæsaris, & ipsi gratificari uideretur, ludos & spectacula in plateis, per quas transeundũ erat Imperatori, exhibuit: inter quæ, pro more ludorum, pulcherrimæ ac uenustißimæ erant uirgines, toto propemodum corpore nudæ, nisi quòd tenuißimo tantum & pellucido uelamento circumdatæ essent. Cæsar urbem ingressus, & ad eum locum in quo exhibebantur spectacula delatus (cùm tamẽ ab alijs un-

diq; magnus fieret concursus) ne quidem respexit ad uirgines. Narrauit hæc mihi optimus & honestissimus uir Durerus pictor, ciuis Norimbergensis, qui una cum Cæsare urbē est ingressus. Addebat idem, se quàm libentissimè accessisse, cùm ut agnosceret quid ageretur, tum ut perfectionem pulcherrimarum uirginum rectius consideraret, dicens: Ego, quia eram pictor, aliquantulum inuerecundius circumspexi.

Quidam Princeps, cùm sibi uestem extraneam conficì curasset, interrogatus à suo consiliario, quare tam peregrina ueste uteretur, dixit: nihil referre, quæ sit uestitus forma. At ille subiecit: Vestis indicat principem esse talem uirum, qui suis consiliarijs nolit obtemperare. Das dorfft er jm in das Angesicht sagen.

Non sine offensione honesti homines turpem illum uestitum caligarum uidere possunt: & certè deformant tantum corpora, & requirunt magnos sumptus. Præcipuè uerò Saxones non debebant uti illis caligis, qui uolunt habere laudem constantiæ, tibiasq; elegantes ac suris musculis bene distinctas haberent. Ex hac uestitus leuitate ortus est hic uersiculus:

In curta tunica saltat Saxo quasi pica.

Sic se deformant turpibus illis, & tanta cum pannositate dependentibus caligis.

In uicino quodam oppido templum ingrediens, uidi quendam cantorem ad pulpitum stantem, & indutum tam breui tunica, ut uix nates tegere posset. Ita impudenter ille nebulo astabat in conspectu Dei, cùm

honestæ

honestæ matronæ ad sacram Domini cœnam accederent. Si ego fuissem consul illius loci, coniecissem illum scurram in carcerem. Cogitate quantum doleant animi nostri, cùm uidemus turpitudinem in uestitu. Luxus in uestitu & in epulis, multa secum uitia trahit.

In Italia est consuetudo, ut uiri & mulieres prorsus sine uelamentis ueniant in balnea. Hanc consuetudinem si quis uellet in Germania constituere, ille esset uirgis cædendus.

Doctrina de uocatione pertinet ad iusticiam & modestiam, Quidam, quem & ego noui, & multi etiam inter uos, cùm esset hospes in alia regione, rogatus ut concionaretur, recusauit: quia dicebat se non posse in illa monastica ueste concionari, sed in curta ueste uelle manere. Vestis non sanctificat, sed tamen offendit oculos. Ego credo multos, qui incedunt breuibus uestibus, esse sanctiores quàm ego sum: sed tamen non decet honestos homines. Quia illa leuitas in uestitu est etiam signum & significatio leuitatis in moribus, & in alijs uitæ actionibus.

Gregorius Nazianzenus, cùm uideret Iulianum Athenis, statim iudicabat ex illius incessu, quanquam humili, qualis esset futurus, dicens: Quantum malum nutrit respublica Romana.

Nuper quidam, cùm priores caligæ ei perijssent rogatus, ne sibi tales caligas scissas amplius fieri curaret, respondit: Si non curarem mihi fieri similes, à meis socijs deriderer. Sic ille suos socios

pluris

pluris faciebat, quàm honestorum hominum de se iudicia.

SEPTIMVM PRAEceptum.

DIVITIÆ, EARVMQVE incrementa & decrementa.

Crassus dixit, neminem esse diuitem, nisi qui posset alere annuum exercitum. Plutarchus eum reprehendit & addit: Ad bellum inexhaustæ opes requiruntur: Krieg ist ein bodenloß ding. Crassus fuit tam diues, ut sexaginta tonnas auri possederit. Regno Franciæ esset difficile, annuum exercitum sustentare.

Pomponius Atticus sic definit diuitias, ut Epicurus definiuit: Diuitiæ sunt ad legem naturæ composita paupertas: id est, Ne uiuas in sordibus, & habeas necessaria, non tantum pro sustentatione tui corporis, sed etiã pro tua familia, pro educatione liberorũ & alijs rebus necessarijs: id est, si rectè consideras, ut habeas panem quotidianum. Alia huius dicti non multum priori dißimilis expositio. Est conuertibilis propositio: Paupertas ad legem naturæ composita, est copia rerum, ut inde tu, tuiq; commodè non sordidè contra naturam uiuant: sunt copiæ rerum, conuenientes naturæ.

Pythias tam diues fuit, ut potuerit alere decies centena millia hominum, totum uidelicet exercitum Xerxis. Idem tamen postea factus est tam inops, ut fame tandem mortuus sit.

Fridericus à Dõn dixerat ad seniorem dominum de Orlemund: (quæ fuit nobilißima familia in Thuringia

ringia, iam uerò est extincta) Nobilißime Domine, tu es ex nobilißima & antiquißima familia in tota Thuringia, ideoq; sic aut sic te compares. Ibi ille respondit: Vnd wenn ich schon so adelich were/ das mir die Rephüner federn auß der nasen flügen/ was hülff es/ wenn ich kein gelt hette.

Fridericus de Dön solitus est dicere: Quid mihi prodesset, etiamsi tam nobilis essem, Atq; Alexander Magnus, nec haberem pecuniam? Profecto nullus me non haberet despectui. His quoq; addebat uersiculum:

Nobilis est ille, quem nobilitat sua villa.

Rectius sic se habet antiquus uersus:

Nobilis est ille, quem nobilitat sua virtus.

Iam uerò inuerso ordine iactatur.

Simile dixit Pflug, pater Iulij Episcopi Naumburgensis:

Nobilis est ille, quem nobilitat sua villa.

Hastu Gelt / so trit herfür/
Hastu nicht Gelt/so trit hinder die Thür.

Habebam aliquando mecum hospitem, Hispanum, bonum uirum, qui, cùm casu loqueremur de præsentibus negocijs, dicebat: Bonum est semper habere pecuniam in loculis. Respondit ei: Verum est, omnes sic sentiunt de illa propositione.

Wer zum heller ist geborn/ der kömpt nimmermehr zum groschen. Prouerbium est, significans quod Deus uelit aliquos pauperes esse, nec omnes esse diuites. Vult esse diuersitatem donorum, iuxta prouerbium Salomonis: Pauper & diues unà habitabunt.

Narra-

Narratur historia de Sigismundo Imperatore, cùm eius equus mingeret casu in flumine, ibi quidam ex equitibus suis dixit: Ille equus habet sui domini naturam. Imperator miratus, quærit ex seruo, quid uellet sibi hoc dicto? At ille: In undam spargere equum urinam, ubi antea abundet aqua: sic illum erga eos beneficum esse, qui antea diuitijs abundarent. Animaduertit hoc Imperator, & dixit: Age, experiare tuam fortunam, quando diuerterimus. Postquam uenissent in hospitium, statim Imperator iußit apparari duas pyxides eiusdem formæ & magnitudinis, & deinde etiam impleri, unam auro, alteram plumbo, æquali tamen pondere. Peracta hac re, iußit ad se accersi seruũ, permittitq; ei eligere utram malit. Seruus iam hanc, iam illam aspicit, incertus utram malit sumere: tandem, arripit plumbeam pyxidem. Tum inquit Cæsar: Iam uides culpam non esse meam tuæ paupertatis & inopiæ, sed fortunam tibi aduersantem.

Plautus ait, quòd res secundæ superbiam deceant. Vbi enim quis se opibus aliquibus excellere uidet, statim superbia fastuq; animi inflatur. Sic namq; usuuenire uidemus, ut qui potens est, & alios ualet contemnere ac supprimere, is uerè superbire poßit.

Quando mendicus euehitur ad honores uel opes, tunc non est sui compos, & plerunq; alijs est insolentior, ut dicitur:

Asperius nihil est humili, cum surgit in altum.

Sic aliquando mulier quædam pia & honesta, laborans

borans maxima angustia rei familiaris, ad me dixit: se uiuente marito nõ fuisse apud se annos quindecim, propterea quod maritus subito fortunæ afflatu nouẽ millia Ioachimicorũ accepisset: qua pecunia consumpta à liberis decoctoribus, nunc iterum se mentis compotem factam esse dicebat. Hæc sæpe ad nos iter faciebat, studio audiendi Lutherum. Rectè igitur monet Poëta:

Fortunam reuerenter habe, quicunq; repente
Diues ab exili progrediêre loco.

Seneca: Quid appetis aurum, cùm nihil sit nisi terra sulphurea? Sed facile fuit illi huiusmodi iactare. Quando enim hæc scripsit de paupertate, habuit sexaginta tonnas auri. Vnusquisq; sanè libens ac patiens talem paupertatem ferret.

DE PROFVSIONE.

Quidam Augustæ in conuentu inuitauerat Duces & alios quosdam Dominos, ad cœnam quandam, quæ ita splendidè apparata erat, ut quando fercula deportabantur, seu leuabantur, ibi aperirentur asseres mensæ, unde aues euolarent, & sic deinceps rursus sternebatur mensa.

Quando Cleopatra certauit cum Antonio de sumtibus cœnæ, ibi illa facetè lusit cum isto centauro, ut nihil aliud dicam. Antonius fuit homo solaris, & tamen magnificus, ideoq; præparauit magno sumptu conuiuium. Postridie inuitauit Cleopatra rursus Antonium in conuiuium tenuißimi apparatus, sed demit de auricula gemmam, seu margaritam, & imposuit aceto, in

to, in quo mox soluitur, ut sal (tam mirabilis est συμπάθεια in rerum natura) ac sic Antonio *eam propinauit.* Postea *facta æstimatione gemmæ, hæc longè superauit cœnam* Antonij.

Poloni *superfluitatem assumunt à* Germanis, Italis *&* Hispanis, *ita ut credam nullum talem apparatum esse, qualis est* Polonicus. In Germania *est etiam superfluitas, ubi dena fercula apponuntur.* Noui *principem, qui cum aderant hospites, tantum apponebat eis quadraginta fercula.*

Vidi *nuper forte matremfamiliâs sedentem & flentem in domo sua, propterea quod domi suæ tantum octo fercula proponerentur.* Quia *dominus seu paterfamiliâs cœpisset sumptus aliquantulum diminuere, cùm antea duodecim fercula mensæ apposita fuissent.* Flebat *ideo, quia illi inutiles sumptus aliquantulum diminuebantur, cum duo fercula satisfecissent:* Also fressen wir Deutschen vns selbst lahm / kranck / todt / vnd in die Helle. *Illa, proh dolor, paßim in mundo fiunt.*

Iohannes Fridericus *dux* Saxoniæ, *difficultate œconomiæ motus, statuit non alere amplius priuatis alimentis ministros & aulicos suos: sed singulis certam pecuniam dare, qua alibi cibos caperent, ne haberet necesse tantos sumptus culinæ impendere.* Hoc *per unum annum tentato, mutauit sententiam, eo quòd multò plus hac ratione alendis suis impenderet, quàm ipsi priuata culina constaret.* Dixit *se octingentos florenos plus quàm antea exposuisse uno anno, in comparando cibo.*

Tanta eſt apud Germanos prodigalitas & profuſio, ut mutari non poſsit.

Nobilis quidam ualde diues, ac mihi bene notus, uocauit ad ſe in oppidum Naumburg ſuam coniugem, & alios amicos, ubi magnum conuiuium ipſis inſtituit. Poſtquam paululum compotaſſent, ex ſtulta profuſione effregerunt & comminuerunt fornacem, atq; etiam lectos diſſecuerunt: ita ut poſtea in ſubducendis rationibus, uiginti floreni tantū pro damno eò dato, atq; adeò furore, computati ſint. Audiui uerò ex hoſpite dicente: ſe nolle centum florenos accipere, ut illam ἀσωτίαν iterum uideret.

Paulus Pontifex dixit, ſe habere duos filios, unum prodigum, & alterum frugalem. Prodigum uocauit, regem Galliæ Franciſcum: frugalem uerò noſtrum Imperatorem Carolum. Sed rex Galliæ aliquando dixit: Quid profuit noſtro patri unquam filius iſte frugalis, qui non poteſt tantum obtinere in ſuo imperio, ut reprimat rebelles illos in religione? Ego habeo quietum regnum, in quo omnes repugnantes patri meo Pontifici tollo.

Noui adoleſcentes duos nobiles, qui adeo luxurioſè uiuebant, ut etiam uinum Rheticum uino Rhenano æſtiuali tempore, tanquam ſordidæ aquæ, imponerent, ut maiori cum uoluptate bibere poſſent. Vinum autem Rhenanum aliâs ſuis tanquam uiliſsimum potum bibendum dabant. Hi poſt aliquot menſes in tantam redacti ſunt paupertatem, ut etiam cum coniugibus & liberis, non ſine maximo uitæ diſcrimine, ex ci-

uitate à creditoribus expellerentur: & nisi parentes fecissent, creditores in liberos & coniuges impetum fecissent.

Vir admodum diues in Borußia petiuit ab Astrologo, ut sibi natiuitatem erigeret, & finem uitæ prædiceret. Quod cùm faceret Astrologus, & certum tempus mortis constitueret, ille lautißimè interim cum suis sodalibus uixit, ita ut omnem penè substantiam dilapidasset, cùm finis uitæ instaret. Sedebat autem in sedili expectans mortem, quæ longè adhuc aberat. Et cùm iam parcius uiueret, etiam sanitas augebatur. Cùm autem nihil de patrimonio amplius restaret, coactus est sæpe colligere eleemosynam ad fores templi, nec ullus sociorum eum postea agnouit. Petens autem dicebat: Lieben Herren helfft einem / der sich im Reichthumb verstiegen hat. Amici autem nolentes turpitudinem aspicere, effecerunt ut nancisceretur publicum munus, unde 50. aureos aut plus habebat. Ibi ex dimidia parte uiuebat, dimidium in alios usus collocabat, ita ut multum lucrifaceret. Tandem nactus maius officium, plures opes quàm ante habuerat, corrasit. Sic didicit deinde parcius uiuere, & malum sodalitium uitare. Inuenies autem multa millia, quibus non iterum talis fortuna eueniat.

Sedi olim alicubi in conuiuio, ubi quidam honestus uir nobis dixit: Habui ex dote uxoris meæ mille trecentos aureos. Quæ porro alioqui habeo ex quotidiana practica, illa consumo, nec possum inde multa compar-

comparcere. Hanc autem dotem uolui reseruare, pro uxore & liberis. Dedi cuidam nobili, sed propter ipsius prodigalitem perijt mihi. Quid faciam? tulit æquo animo bonus uir, quem adhuc uiuere credo. Nobilis quidem ille uera fuit lamia: plurimas uiduas decepit, aliosq; non paucos sorte fraudauit. In Anglia certauit cum rege pompis, in apparatu conuiuiorum, ludorum & spectaculorum. Ita permittitur quidem alicui ludere, quandiu pecunia ipsi suppetit: sed postea hac consumpta, audiendum est ipsi illud Ouidij:

Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Fuit in aula regis Ferdinandi unus de præcipuis consiliarijs eius, qui prius fuerat decoctor, & (ut uocant) Bancorupto, quum posteaquam perueniret in aulam, sicut sæpe fit, propter ingenij & consilij dexteritatem apud regem ditescebat: quia tales homines sunt industrij, & fuit in magna Regis gratia. Cum hoc fortè unà sederet in conuiuio Dux Brunsuicensis frater ducis Henrici, episcopus Mindensis, & uideret ipsum esse in magna gratia & authoritate apud Regem, interrogat alium quendam aßidentem, quomodo uocetur? Ille respondit: Bancorupto. Episcopus non satis intellecto nomine, alloquitur eum, & propinat poculum, inquiens: Domine Bancorupto, ego propino tibi bonum haustum. Ille boni consuluit, accepto poculo, ac dißimulat illos sermones. Interpellat uerò unus ex aßidentibus Episcopo, dicens: Non est hoc ei nomen proprium, sed Bancorupto

est nomen contumeliosum. Ibi episcopus irascitur alteri: & parum abfuit quin eum gladio petiuisset.

Cum aliquis probro daret regi Galliæ, quòd soleret parcere pecuniæ, respondit Imperator Carolus V. Credite mihi, si potest bene guardare suam pecuniam, haud stultè facit.

Dux Fridericus aluit tantum centum equos in aula sua. Et quando ibat ad comitia, habebat comitatum triginta equitum. Dixit enim, impediri consilia magno comitatu.

PARSIMONIA.

Qui colit Seruatium, coletur à Vincentio: Wer hebelt wenn er hat/ der nimpt wenn er darff. Item: Bonus Seruatius, facit bonum Bonifacium: Nemo ex nostris studuit magis parsimoniæ quàm doctor Augustinus: qui quolibet anni tempore coemebat, conseruabat, & distribuebat ea, quæ ad œconomiam necessaria erant.

BENEFICENTIA
& liberalitas.

Nulla est elegantior doctrina de liberalitate et parsimonia, quàm quæ est apud Salomonem: Fontes tui deriuentur foras, & tu dominus eorum maneto.

Deus hanc ipsam ob causam condidit homines & angelos ut essent creaturæ, quibus se & sua bona communicaret, iuxta dictum: Bonum est communicatiuum sui. Deus enim sua bonitate omnia condidit, non ut ipse solus illis frueretur, sed ut alijs illa sua bona

commu-

communicaret. Huc etiam illæ pulchræ regulæ pertinent: τὸ ἀγαθὸν κοινωνικὸν ἑαυτοῦ. Quo natura est præſtantior, eo magis eſt κοινωνική. Item χρηστὸς ἀνὴρ κοινὸν ἀγαθὸν, ὥς φασιν.

Dux Fridericus Palatinus Heydelbergæ humaniter excepit ruſticum ſibi offerentem pyra, ſimulq; petentem neſcio quid. Princeps beneuolus ſtatim accepit donum, quantumuis exiguum: ac id, quod ab ipſo petiuerat, perfici mandat. Acceptis ultro citroq; beneficijs, ruſticus à principe dimittitur, Illud non fuit ſordidum, ſed fuit ſignum pij Principis, benefici, & beneuoli erga ſuos etiam infimos ſubditos.

Dux Fridericus ante annos triginta, cum eſſet magna frumenti difficultas, ita ut modius uenderetur octodecim großis, dedit multis colonis in Miſnia & Franconia ac uicinis locis frumenta. Poſtea uerò à diuitibus, & illis qui potuerunt reddere, recepit quod dederat: reliquis autem totum donauit. Illa fuit concinna liberalitas. Ariſtoteles enim inquit: Liberalitatem debere eſſe concinnam.

Credo noſtris temporibus non fuiſſe magis beneficum & liberalem uirum, quàm eſt D. Iacobus Fuggerus. Audiui à Stigelio, quòd Venetijs, cum ipſum Fuggerum conueniret quidam mercator pauper, peregrinus, petens ab eo duo millia florenorum: ille ſtatim dixit, Veni deinde, iſto tempore, ad iſtum locum, tunc hanc pecuniam dabo. Cum dediſſet, dixerunt ad eum ipſius familiares: D. Iacobe, ualde miramur quòd

tantum pecuniæ huic peregrino & ignoto largiaris. At ille ſubridens, reſpondit: Bene noui hunc uirum, cuius integritatem & conſtantiam tanti facio, quanti ullius mercatoris in hac tota regione. Idem D. Iacobus Fuggerus per ſuam beneficentiam & liberalitatem ſuas facultates adeptus eſt.

Cùm pugna ad Mulbergum eſt commiſſa, multi nobiles uiri cum principe Electore Friderico ſunt capti, & inter reliquos Cancellarius Iodocus de Heide, & Secretarius Vuolffgangus, quibus captis erepta ſunt omnia, quæ ſecum tunc habebant: ac relicti ſunt uincti ad arborem uicinam pago Piſtritzs, ubi cùm fortè præteriiſſet Secretarius Cæſaris Obernburger, ſtatim exprompſit decem aureos: quos dedit eis, ac promiſit per ſuum puerum curaturum, ut haberent cibum ex culina Cæſaris, & ita properat ad Imperatorem. Poſtea uerò in oppido Vuiteberga, cùm eſſent liberati, uoluit Cancellarius reddere pecuniam Secretario Obernburger: ſed is non accepit, dicens, ſe tunc cùm daret pecuniam, propter properationem & uaria negocia, quibus tunc animum occupatum habuerat, non potuiſſe cogitare: alioqui decuiſſe in illa amicorum calamitate alia officia humanitatis & amicitiæ amicis præſtare, ſed ſtatim poſt doluiſſe, quòd amicis non plus pecuniæ dediſſet: itaque orare ſe, ne hunc quoque dolorem ſibi addant, ut cogant illum pecuniam expoſitam recipere. Sic humaniſſimè factum & dictum eſt.

Menander:

Menander: χρήσὸς ἀνὴρ κοινὸν ἀγαθόν. Id est, Bonus & beneficus uir, est publicum bonum. In multis ciuitatibus aliqui tales reperiuntur, qui suis sumptibus priuatim alunt ministros, adiuuant ministerium, benefaciunt Reipub. fouent scholasticos, aliosq; egenos: tales uiri uerè sunt publicum bonum. Talis erat Lipsiæ pius & honestus uir Henricus Schurer. Ille multis benefaciebat pauperibus, credebat illis pecuniam: & qui non poterant restituere, illis donabat. In primis uerò beneficus erat erga pauperes scholasticos, ac benefaciebat ministerio Ecclesiastico. Hic primum ipse quoq; pauper fuit: sed postea pro fideli sua dispensatione ac beneficentia, à Deo super plura constitutus, & opibus auctus, agnouit & diuinam benedictionem & gratiam, in diesq; magis ac magis beneficum se erga ministros Ecclesiæ, literarum studiosos, aliosq; egenos exhibuit.

In historijs de uita Germanorum principum & hæc, non contemnenda inter cæteras, habetur, quæ nos meritò ad eleemosynas erogandas, omnigenamq; liberalitatem Christianam commouere debet. Episcopus Mediolanensis cum suo ministro iter aliquò faciens, cùm inter eundum in uia mendici ab eo eleemosynam peterent, iussit ministrum omnem pecuniam illis pauperibus dare. Habebat autem tantum tres aureos. Minister diu secum deliberat, an tota substantia mendicis esset danda? Tandem cogitat: Ne mihi meoq; domino deinde uesperi esuriendum, & carendũ sit, reser-

uabo nobis pro uiatico unum aureum. Numerat igitur eis duos aureos, & abijt. Cùm iam paulò ulterius proceßiſſent, quidam nobiles pij & boni uiri Epiſcopo obuiam ueniunt, quibus hic Epiſcopus propter ſuam pietatem & beneuolentiam erga pauperes erat notus: Ideoq; mandant, ut miniſtro epiſcopi ducenti coronati numerarentur, unde Epiſcopus ſe ſuſtentaret, & haberet facultates, ex quibus pauperibus uictum præberet. Miniſter pecuniam læto animo accipit accurrens ad Epiſcopum ac inquiens: Domine, hi nobiles mihi ducentos coronatos numerarunt, ut tibi darem. Tunc Epiſcopus: Ah tu me & te decepiſti. Quid ita? ait miniſter. Nonne (inquit ille) te iußi ut dares omnes tres aureos pauperibus, & tu ſeruaſti unum? nonne ita feciſti? Reſpondet miniſter: Confiteor me feciſſe, Quia putabam nobis carendum eſſe: Ideo reſeruaui unum. Vide, inquit Epiſcopus, tu mihi & tibi nocuiſti. Si enim dediſſes tres aureos, accepißes trecentos.

Carolus Magnus ſemper in ſua aula habuit menſam plenam mendicorum. Et ſi quando Cæſar cibum in aula caperet, ijdem mendici non procul ab ipſius menſa erant collocati. Venit aliquando ad Carolum Magnum cuidam Saracenicus princeps (quia eo tempore multi iter in Germaniam & uicinas regiones faciebant) qui cùm à Cæſare benigne eſſet acceptus, & ad prandium inuitatus, Princeps in aulam ingreſſus, omnia diligenter explorat. Cùm autem iam ad locum prandendi ueniſſet, uidet multos Satrapas holoſerico & aureis cathenis

thenis ornatos, alijs mensis aßidere: & inferius mensam plenam uiris, annis pannisq́; obsitis. Rogat itaq́; Imperatorem, *quinam isti pannosi & miseri essent?* Respondet: *Sunt amici & serui nostri* DEI, *quem nos Christiani colimus.* Rursus *interrogat* Regem, *quinam isti alteri essent, putans* Satrapas. Rex *inquit: Sunt mei ministri.* Tunc *ille:* O, *si tuos ministros præfers amicis & seruis* DEI *tui, ego nolo amplecti uestram religionem, cùm tam pannosi & miseri sint amici* DEI *tui, ministri uerò tui tam splendidi & ornati sint.* Hic *repræhendit hypocrisin beneficentiæ Cæsaris, quam erga pauperes exercebat.* Etsi *autem uerum est, Cæsarem erga hos pauperes suo quodam consilio honesto beneficentiam declarasse: tamen illud principis dictum non est probandum, quod sit offensus his amicis* DEI, *ut* Regis *uerba sonabant, quo minus Christianam religionem amplectendam esse censuit.* Debet *enim discrimen esse inter mendicum &* Regis *satrapam.*

Brettæ *in mea patria, in bello* Bauarico, *uicini multi, plurem quàm* 300. *capti fuerunt: quos omnes non solum illæsos, sed etiam gratis, sine* λύτρῳ, *propter uicinitatem dimiserunt.* Et *cùm dimitterentur, nihil ab eis petitum est, nisi ut huius beneficentiæ in simili uicinorum calamitate memores essent.*

Magna *est beneuolentia* Turcicorum *militum.* Si *manipulus habet panem pro uno nummo, diuidunt in decem aut undecim esurientes.*

Imbre Bascha, quem Solymannus, unum ex præcipuis suis consiliarijs interfecit, magnum hospitale in urbe Thessalonica condidit.

Homerus, χαριζόμενος παρεόντων, gratificans pro præsenti copia: Nembt für gut/was das Haus vermag. Item, δόσις ἀγαθή τε φίλη τε, meum munus bonum & amabile.

Fortè in uia conueniunt cæcus & claudus, ubi cùm sine duce progredi cæcus non posset, claudo etiam uehiculo opus esset, retinebatur uterq; suo malo. Videt autem claudus cæcum ualidos lacertos, firmos pedes, deniq; robur integrum corporis habere, nec quicquam morbi in eo hærere, nisi quòd oculis captus erat. Quare prudenter inijt rationem, ut inter se communicarent operas, & alter sarciret id quod deerat alteri: ut cæcus tolleret in humeros claudum, claudus monstrator uiæ esset. Exponit suum consilium cæco, & suam operam pollicetur. Etsi sarcina imponebatur non leuis cæco: tamen cùm humanitate socij caperetur, non detrectat hanc conditionem, ac sublato in humeros claudo, pergit, & gubernat eum claudus. Ita amanter communicatis operis, iter susceptum conficiunt. Hæc est imago: beneficentiæ, & beneuolentiæ mutuæ in Republica.

SORDES.

Quidam nobilis uolens frugalis uideri, dicebat: Non decebat familiam recenti pane pascere: cito enim multum deuorat, neq; ministris tam bonus potus

esset concedendus, ne assuescant se nimium ingurgitare. Item, frugi paterfamilâs non debebat equis tam bonum ac recens pabulum proponere, ne nimium absumant. Hæc ita solo lucro intentus ratiocinabatur, nihil pensi habens, quid noceret aut congrueret eorum ualetudini. Nequaquam hæc fuit frugalitas, sed mera auaritia & sordes.

Noui duos Canonicos, admodum sordidos. Horum alter reliquit plus quàm triginta millia aureorum, homo arthreticus, ita sordidus, auriq; cupidus erat, ut si quando ingentes cruciatus, quos ex morbo perpetiebatur, lenire uellet, iuberet sibi afferri peluim aureis impletam, quibus inuoluebat manus, taliq; inuolutione se in maximis doloribus & corporis ipsius cruciatibus oblectabat. Huius uerò mortui hæredes fuerunt, Episcopus Treuirensis, & alius uicinus princeps, qui pauperi cognato Canonici tria millia aureorum dabant, & reliquam hæreditatem ipsi inter se partiebantur. Sic sordidus bene collocauit suam parsimoniam, alijsq; satis opulentis reliquit, quæ ipse tanta auaritia comparserat.

Noui alium Canonicum, uiuentem in his terris Saxonicis, qui accepit hæreditatem doctoris Henningi, æstimatam duodecim millibus aureorum: & ipse iam antea ex suis facultatibus plus habebat, ita ut post mortem reliquerit ultra uiginti millia aureorum. Miser ille Canonicus in uita tantis fuit sordibus præditus, ut supplicationes soleret conscribere, etiam pro uno grosso. Hæredem autem constituit spuriam quandam

impudi-

impudicam mulierem, quæ tantam hæreditatem cum ſuis ſimilibus breui tempore decoxit.

Quidam Epiſcopus Mersburgenſis, *tam ſordidus fuit, ut uenderet partem eſocum ſeu ſalmonum*, quos *ipſi donauerant principes* Anhaldini, *&* aliquam par*tem ſibi reſeruabat.*

Alis Epiſcopus *tam auarus & ſordidus erat, ut equitans abſcondere ſoleret pileum ſub pallio, ne pluuia madefieret.* Potius *uoluit caput madefieri, quàm pileum.*Et *cum ei donarentur aurea* (*quæ* Arantia *uocant*) *poma, iterum ea uendere ſolebat, ut acciperet pecuniam, cum tamen quotannis haberet reditus uiginti millia florenorum.*

Romæ Curtiſanus *quidam, uel parſimoniæ, uel potius auariciæ cauſa interdicebat ſuis famulis, ne biberent uinum, & cum mitteret ſeruum in cellam allatum uinum, cogebat illum ſumere aquam in os ne uinum biberet: & cum reuertebatur, coram ſe expuere iubebat.* Famulus *uero in cella aliam aquam in uaſe quodam ponens, ſumptam aquam coram domino in cella expuit, & bibit quantum uini uolebat: deinde iterum aliam aquam in os ſumptam, reuerſus coram domino expuit.* Sic *facetè illum ſordidum hominem decepit.*

AVARITIA.

Cùm Heydelbergæ *frigus incidiſſet, ibi multi ciues precium uini auxerunt.* Illud dux Palatinus, *ut iuſtus princeps, ægrè ferebat, ac iubebat ſingulorum diuitum cellas perquirere: & ex qualibet cella, in qua*

multum

multum uini erat inuentum, unum uas extrahere. Præcepit etiam, ut illa uasa in cellam ciuitatis ueherentur, & uinum communi precio quod antea solitum erat, uenderetur. Ita & reipublicæ bene consuluit, & auaros istos fœneratores iustißimè puniuit, pecuniamq; in usum reipublicæ collocauit.

Anno (ni fallor) 43. cum diu annonæ caritas fuisset, & tandem ea leniretur, quidam rusticus in Salinis Saxonicis fortè circa Pascha frumentum spe lucrandi in urbem uexerat: quod quia uilius spe sua uendiderat, ualde dolebat. Cum ex urbe domum reuerteretur, sedebat mœstus in curru, & seruum insidentem equis increpat, eo quòd caneret. Iuuenis pergit in proposito canendi. Quare canis? inquit rusticus. Respondit iuuenis: Cur non canerem? quia facta est relaxatio annonæ. Quam hilaritatem rusticus ægreferens, præ mœsticia animi retro de curru se suspendit. Seruus non animaduertens heri tragicam mortem, lætus interea pergit. Paulò uerò pòst homines ei obuiam uenientes, alloquuntur eum, dicentes: Quare tuum herum suspendisti? Respiciens igitur seruus, uidit herum suum à curru suspensum trahi. Quapropter perterrefactus, orat illos homines, ut ipsi coram iudicio testimonium perhibeant, quod etiam fecerunt.

Historia à doctore Pomerano recitata.

Rusticus quidam auarus, cùm potiretur multo frumento, fore sperauit ingentem annonæ difficultatem: idq;

idq; sedulis uotis petebat. Cùm uerò ea secum ita in animo uolueret, cœpit deniq; miser eò omnem spem & fiduciam conijcere, ac molliter eo animo superbo delectabatur. Tum indies quoq; ingressus horreum suum, illud contemplari, & quasi animam suam uisere solebat. Accidit autem non multo pòst, quàm rusticus hæc facere consueuerat, ut ab amico ad cœnam uocaretur. Ibi largius fortè uino ingurgitatus, reuertens domum, non quieuit, nisi prius uiso frumento: non curans adhortationem suæ coniugis & familiæ ut à suo instituto desisteret. Accepta itaq; lucerna, frumentum in horreo uisitat. Cùm uerò ingreditur, & perambularet horreum, admirans suam felicitatem, propter frumenti copiam: ibi temulentus imprudens labitur, & candelam è manibus abijcit, quæ postea frumentum & horreum incendit & absumpsit, ut miser ægrè fuga sine uitæ dispendio euadere potuerit.

Quidam rusticus ex quibusdam signis coniectans futuram esse annonæ caritatem, retinuerat apud se frumentum, sperans se inde magnum lucrum & magnas diuitias consecuturum. Cùm igitur ascendisset aliquando in granarium, uolens se oblectare aspectu frumenti: ibi diabolus ita uexauit eum, offundens etiam oculis caliginem, ne frumenti quicquam uideret. Quare subito terrore perculsus, se in granario suspendit.

Cùm Iudæi rursus in Hassiam reciperentur, fortè ad nostrum amicum Dionysium dicebam: Quare permittis ut concedantur sedes Iudæis in Hassia? Respondit.

spondit. *Profecto ego uehementißime reprehendi & dissuasi, tamen nihil potui efficere.* Quare? Tum ille: *Quia unctio docet & efficit omnia, uidelicet, quod manus bene ungantur auro.*

Memini multa exempla, ubi magistratus emit omne sal quod in oppida inuehitur? & postea maiori precio quando nullum adest, uendit. Probibet etiam, ne peregrinum sine ipsius consensus uendatur. Hæc est magna auaritia & iniusticia illorum hominum.

M. Antonius quadam auaritia aliquando Romæ omne frumentum, quod inuenire poterat, coêmebat: postea cùm nullum amplius esset, multo maioris, quàm unquam uenditum erat, uendebat.

Fuit episcopus Byzantinus adeo ambitiosus, auarus, gloriæ cupidus, ut auderet se deuouere Diabolo, modo fieret Romanus Pontifex. Id cùm impetrasset, & iam designatus esset Romanus Pontifex, ideoq; uellet iam proficisci Romam, ibi in itinere ei obuiam uenit Diabolus, ablaturus eum ad inferos. Hic Episcopus uidens adesse animarum hostem, signauit se signo crucis, quo se contra hostem generis humani defenderet. Diabolus uerò usus hoc epigrammate eum abstulit:

Signa te signa, temerè me tangis & angis.
Roma tibi subito motibus ibit amor.

Tanta fuit auaritia Vespasiani, ut etiam census cloacis imponeret: & si potuisset, etiam uentris crepitibus imposuisset. Quicunq; enim cloacam habuit, illum oportuit Vespasiano quotannis certam pecuniæ summam pro ea soluere. Et cùm aliquando propter

istas

istas sordes indignas Imperator *à filio reprehenderetur: pater accipiens pugnum plenum aureis, quos ex cloacis collegerat, adhibuit naso filij, inquiens:* Fili *olfacias, num hæc pecunia oleat cloacam?* Sed *filij tanta fuit beneficentia & clementia erga subditos ac pauperes, ut si unum diem prætermisisset, in quo non aliquid beneficij in pauperes, uel alios suos subditos collocasset, dixerit: se malè illum diem perdidisse.*

Olim *tempore* Rudolphi Imperatoris: *magnum quiddam erat, si quædam regio (quam propter certas causas non nomino) cogebatur quindecim millia aureorum in una pensione dare.* Iam *id pro nihilo habetur.* Non *enim crederem talem pecuniam iam sufficere ad unum conuiuium, seu (ut uocant) ad unam banketam.* Si *non colligunt ex eadem regione tres tonnas auri, nihil est.* Ita *crescunt seruitutes, & exhauriuntur regiones, ut aliquando contra communem hostem* Turcam *nihil facultatum habituri simus.* Hæc *non in contumeliam ullius dico: sed cum alijs bonis uiris calamitates deploro secuturas.*

Cùm Alphonsus *rex* Hispaniæ *iter faceret in regno suo* Neapolitano, *occurrit ei mulier eiulans, & conquerens, quòd pastor illius loci non uellet sepelire ipsius maritum, nisi daret tantum pecuniæ quantum non posset soluere.* Rex *statim iubet adduci* Sacerdotem, *& mandat ei fodere sepulchrum.* Sacerdos *nihil mali metuens, fodit.* Cùm *itaq; effodisset, iubet eum descendere in sepulchrum, & præcipit ministris circa sacerdotem tam multum terræ conijcere, quàm erat egestum,*

stum, ut ibi teneretur captiuus. Sic uiuus stetit in sepulchro totum diem, & integram noctem. Porrò *cùm ille iam putaret moriendum esse: postridie iußit* Rex *refodi terram, ut iterum* Sacerdos *exiret sepulchro: admonuitq́; ut meminisset illius pœnæ, & sibi in posterum caueret, ne unquam de ipso talis querela audiretur.*

Antonius, *collega* Augusti Imperatoris, *fuit potens dominus: possedit* Asiam, Græciam, Aegyptum. *Propemodum habuit tantum, quantũ* Turcicus Imperator: *& tamen præ nimia auaritia non fuit contentus illis facultatibus, ita ut moueret bella non necessaria: quæ cùm non succederent, sibijpsi mortem consciuit.*

Bulgarus, *cùm interrogaret auarum principem, quo modo opes ipsius perijssent? respondit:* Auaritia *& temulentia. Sic nos etiam auaritia & temulentia perimus: neq; magnitudinem animorum, neq; pecuniam habemus.*

Venetorum prouerbium: prima pompa parua fuit, & ibi sunt factæ Venetiæ*: deinde fuit mediocris, tunc creuerunt* Venetiæ*: deniq; maxima fuit, in qua iterum* Venetiæ *sunt euersæ.*

Nouistis fabulam Fortunati, *qui reliquit filijs suis duos thesauros, unum marsupium, ex quo poterant proferri decem ducati, quotiescunq; possessor uellet: alterum pileum, quem cùm accipiebat aliquis, erat ubicunq; uolebat.* Ille *qui hoc figmentum excogitauit, uoluit significare duas maximas cupiditates: unam appetitionem facultatum inexplebilem: alteram curiositatem.* Omnes *enim sumus natura auari et curiosi, &*

hæc est excellentium ingeniorum magis quàm aliorum: auaritia uerò magis est sordidorum.

Summum quæstum Papa in religione exercuit. Cæsares, Reges, suas monetas excudunt ex auro & argento. Papa uerò ex omnibus creaturis suam monetam cudit: ex indulgentijs, ceremonijs, mißis, sacramentis, cibis, pœnitentia, clauibus, & huiusmodi pluribus. Ex solo uerò baptismo, nihil potuit mercari, quia infantes nudi & pauperes nascuntur, ideoq; nihil habent quod poßint exponere.

Non procul à patria mea, noui mangonem, qui emebat peßimos equos, pro uilißimo precio, eosq; deinde pulchrè ornatos, & assuefactos ad saltationes (sicut illi nebulones facere solent) cùm uiatores uel aurigæ præterambularent, producere & in gyram agere solebat, ac ita homines decipiebat. Vnde non rarò fiebat, ut emens equum ab eo, uix ad meam patriam perueniret, quin equus cadens moreretur.

Eremita quidam, cùm aliquantum mellis ex alueis apum, quos fortè habebat, collegisset, lætatus est istis diuitijs, dicens: Se iturum in urbem, & uenditurum mel illud, ac pro illa pecunia rursus empturum oues: quæ porrò cùm ipsi peperissent agnos, se uenditurum eos & ducturum uxorem. Sed contrà uenit ei in mentem: Quid si illa mulier & liberi, quos ex ipsa genueris, non erunt tibi morigeri? Sic, inquit, eam & liberos percutiam, simulq; sumit baculum, et percutiens ollam, in qua erat mel, fregit eam. Ita stultos spes uana fallere sæpe solet.

Episco-

Episcopus Pragensis, tempore Iohannis Huß, dictus Albicus, unicum extremæ auaritiæ barathrum fuit, hic claues cellæ uinariæ nulli alteri quàm sibi ipsi credidit, animalia uiuentia dono accepta mox uendidit: & quia coquus ipsius sumptuosior esse didicerat, hoc dimisso, abiectam anum culinæ suæ præfecit. Interrogatus aliquando, sonorum omnium quem molestißimè audiret? Maxillarum, inquit, ossa frangentium.

ELVSIONES VRBANAE.

Anno 1530. in cõuentu Augustano, cùm Carolus V. Imperator eo profecturus esset, facta est contentio inter Electores et Cardinalem Campegium, eo quòd hic uellet equitare ad latus Imperatoris: illi uerò resistentes sibi eundem honorem uendicarent. Tandẽ uero obtinuerunt Electores antiquam & usitatam consuetudinẽ, ut latus Imperatoris clauderent duo Electores, Moguntinensis et Coloniensis. Postea sequebatur rex Ferdinandus, & ad illius latus Cardinalis Campegius: In itinere autem, antequam ueniret Augustam, fossores Suuacenses dono obtulerunt Imperatori amplam & rotundam massam auri, cui insignia imperij artificiose erant insculpta. Imperator postquam donum grato animo accepisset, statim illum acceßit Cardinalis Campegius, orans: Quoniam multis uerbis abundanter imperator hactenus suum animum erga Romanam curiam declarasset, quod ipsi optimè uellet: ut hunc suum animũ hoc etiam dono ostenderet, & Romanæ curiæ ad pignus quasi beneuolentiæ hanc auri massam (quæ constabat inter mille florenis) donaret. Imperator, qui etiam scie-

bat ad quid utilis esset illa massa, & tamen apertè nolebat ipsi denegare, inquit: Hoc donū iam ordinatum esse suæ Cæsareæ maiestatis coniugi, ideoq; se non posse repetere, ipsiq́; in hac re gratificari: promittere se (ut ante) Romanæ curiæ suam beneuolentiam in alia quacunq; re. Est exemplum ambitionis & auaritiæ in Cardinali: & neutrum tamen successit: deinde in facto Imperatoris est pulchrum exemplum parsimoniæ.

Eccius in eodem conuentu Augustano, anno 1530. petiuit sacerdotium, quod tunc uacabat Augustæ, à Cardinali Campegio: simulq; dixit, se multum laborare pro Romana Ecclesia, & sustinere multa & magna onera, petiuitq; ut iam sui rationem haberet. Respondit Cardinalis: Bene, tu habebis sacerdotium. Eccius abit, putans rem esse certam. Interea uenit alius nobilis, homo uafer, & affert quadringentos florenos, dicens: Domine Cardinalis, ego peto mihi dari hoc sacerdotium. Respondit Cardinalis. Ego iam alteri promisi idem. Post longam uerò excusationem Cardinalis, ille astutus nobilis dicit: Ah rogo te, ne mihi hoc officium deneges. Facilimè componi potest inter te & Eccium: simulq́; dat ei consilium, quo utatur in reuocandis promißis. Dicito, inquit, Ducem Bauariæ publicis literis pro alio quodam intercessisse, cui illud sacerdotium præ cæteris tradi necesse sit. Eccius post dies tres uel quatuor iterum accedit Cardinalem Campegium, & petit sibi dari testimonium, seu literas quibus certò committeretur ac traderetur ipsi sacerdotium. Cardinalis uerò attulit excusationem, quam à nobili edoctus erat.

erat. Eccius autem propter eam indignam repulsam, acerrima ira commotus, uenit ad Philippum Melanthonem, aliosq; partis Lutheranæ, simul fortè congregatos, & conquestus apud ipsos de tanta contumelia, tandem adiecit: Quid uos mihi dabitis, ut deseram illos nebulones, & uestras partes sequar ac defendam? Ad quæ Philippus: Si causa nostra est uera, cur non spontè tueris ueritatem? Ipse uero uidens se suo testimonio conuictum, primo quidem paululum attonitus & cogitabundus sedit, ac quasi obmutuit. Tandem uero paululum se recolligens, inquit: Non tamen omnia sunt uera quæ defendi possunt, ac sic ab ipsis receßit.

Quidam iactans se esse fratrem Maximiliani Imperatoris, uenit ad eum, petiturus ut partem bonorum suorum inopi fratri donaret. Quærente Imperatore, quisnam suus pater esset? Respondit: Noster omnium pater Adam fuit. Ibi Cæsar duos crucigeros ipsi numerari iußit: ægrius autem mendico ferente, tam parum sibi donari: Reliquos quoque nostros fratres accede, inquit Maximilianus, quòd si singuli tantum dederint, longè me eris ditior. Simul quoq; danda est opera, ut sit unde reliquis dem. Longè enim minores sunt meæ opes, quàm ut singulis fratribus tantum largiri queam.

Quidam magni nominis Princeps, in sua aula habuit Doctorem: qui cùm primum in aulam uenisset, extremæ inopiæ fuit: sed cum cœpisset crescere in aula, ita ut fit, postea tantas opes collegit, ut poßideret centena

millia florenorum. Dominus autem donauerat ipsi monasterium, reditibus satis multis abundans. Postea uerò cùm uideret princeps, eum cumulare ingentes opum aceruos: tunc libenter illos Ecclesiasticos reditus ad se retraxisset. Dixit itaq; ad doctorem: Domine Doctor, ego miror, quòd ita secura conscientia possis bona ecclesiastica poßidere, postquam ex diuina gratia alioqui satis abundè habes, unde pro statu tuo magnificè uiuas. Respondit Doctor: Ne miretur T. C. quia dulcis est panis Christi. Dominus porrò latius cum eo disceptauit, ratus se ipsi persuasurum, ut monasterium sibi redderet. Subiecit igitur, Domine Doctor, magnum profectò peccatum est, tenere bona Ecclesiastica. Doctor, ut ualebat ingenio, respondit Domino: Si peccatum est me tenere bona Ecclesiastica, maius peccatum habet is qui mihi hæc tradidit. Ita latenter Dominum ipsum taxabat, & retinebat bona Ecclesiastica.

Abbas quidam habuit triplex uinum in suo monasterio, unum quidem insigniter bonum, aliud malum, aliud mediocre: prout autem ueniebant ad eum hospites, ita apponebat uinum, aut bonnm aut malum, conueniens cuiusq; dignitati. Habebat autem idem Abbas famulum, quem ita instruxit in apportando uino, ut quotiescunq; offerri uellet malum uinum, diceret ad famulum: Quomodo uales famule, heu utcunq;. Famulus cùm audiret uocabulum Vtcunq;, intelligebat malum sibi esse apportandum. Cùm autem ad famulum Quid gloriaris? intelligebat, mediocre sibi esse apponendum

nendum. Si uerò diceret, Noli me tangere: significauit optimum uinum esse apponendũ. Iste Abbas aliquoties ad se inuitabat quendam Poëtam, cui semper apponebat mediocre uinum, dicens famulo: Quid gloriaris, Poëta sentiens dolum, cogitat, quid sibi faciendum esset, ut aliquando etiam optimo uino potiretur. Cumq; iterum inuitaretur ab Abbate, & Abbas more solito diceret ad famulum: Quid gloriaris? prorupit Poëta in hæc uerba, inquiens:

Non conuertaris, si fers mihi, Quid gloriaris?
Si fers vtcunq;, tollat hunc Dæmon vtrunq;:
Ibis ad astra poli, si fers me tangere noli.

Id est, optimum uinum, his rhythmis seu uersibus impetrauit, ut Abbas diceret famulo, Me tangere noli: iubens ut optimum uinum proponeret.

Rex Galliæ, pater Francisci, indigebat subitò pecunia, itaq; per alium quendam ad suum Cancellarium ex Roma, & per postam mittit ei literas, significans Papam esse mortuum. Lectis literis, mox properat Cancellarius ad Regem, ei nunciaturus tanquam aliquid noui. Rex legit literas, simulans se nescire, & interrogat quid sibi sit faciendum: Respondit Cancellarius, consultißimum esse mittere Romam Legatum, & aliquem constituere Papam, qui sit à partibus regis Galliæ. At rex: Ad eam rem opus est pecunia, sicut dicitur: Nulla pecunia est satis magna, aspiranti ad Pontificatum. Cancellarius dicit, se adhuc habere duas tonnas auri, utrum sufficerent? Respondit Rex: Bene est, & ego aliquid pecuniæ addam. Cura igitur

unam tonnam auri perferri ad me. Postquam *eam* Rex *acceperat, subornat alium nuncium afferentem ei literas,* Papam *adhuc uiuere, & non esse mortuum.* Egregium *sanè inuentum, quo quasi cornicum oculos confixit, & auarum per suam auaritiam decepit.*

Audiui ex Stöflero, *optimo uiro,* Mathematico *præstantißimo, qui fuit familiaris* Episcopo Constantiensi, *quòd* Episcopus *aliquando allocutus sit ipsum his uerbis:* Stöflere, *pecunia indigeo, quid consulis?* Respondit Stöflerus*:* Domine Episcope, *habes in tua diœcesi multos sacrificulos &* Sacerdotes, *apud se concubinas alentes, illis præcipe seriò ut dimittant eas: & si nolint, redimant eas pecunia.* Ita *factum est, &* Stöflerus *fuit unus ex collectoribus illius pecuniæ.* Sic *magnam pecuniam collegerunt.*

Cuidam Pauperi, *casu in hortum incidit lepus, quo capto, inuitauit suos uicinos ad uenationem in suo horto felicem.* Ille *postea re manifestata, accusatur in aula.* Aula *scribit ad* Senatum, *ut istum pauperem puniret.* Cùm *id non fecisset* Senatus, *putans satis esse pro delicto tali, quòd spacio octo dierum luisset pœnas in carcere.* Cancellaria *resciscens non grauius ipsum punitum esse, postulat, ut* Senatus *ducentos florenos pro tanto delicto largiatur: uerùm ideo faciebat* Cancellaria, *ut pecuniam adipisceretur.* Quia *delinquens erat pauper, & non habebat pecuniam, ideo postulabat à* Senatu.

Augustæ *cùm in concursu hastili fortè ex equo delaberetur filius* Imperatoris Philippus *rex* Hispaniarum,

rum, ita ut etiam ex lapſu immineret ei periculum: accurrit unus ex conſiliarijs Imperatoris, & ut commodius eum ſubleuaret, deponit ab humeris precioſam ueſtem, qua erat indutus: hanc continuò ſuſtulit quidam Hiſpanus, & ſe ſubduxit.

Cùm eſſemus Auguſtæ in conuentu, ibi nobilis quidam intrat in tonſtrinam, & ad fores alligat equum. Præteriens fortè Hiſpanus, ſoluto ſtatim freno equum aſcendit, ac ſic diſcedit, nemine animaduertente. Hæc fuit elegans ars Hiſpani. Tale furtum fuit κλοπὴ, *non graſſatio.*

Venerunt aliqui Hiſpani ad quendam honeſtum uirum, ciuem Saltzburgenſem, petentes ut ipſis daret pro quingentis coronatis quadringentos Ioachimicos: quos dicebant ipſis maiori uſui fore in Germania, quàm coronatos, ſimulq; ſtipulati ſunt, ut conſeruaret coronatos ad annum, ut cùm redirent poſt annum, ac rurſus tot Ioachimicos afferrent, ille recepta ſua pecunia, ipſis uiciſsim coronatos redderet. Si uerò non reuerterentur, ut ipſe pecuniam ſeruaret. Ille homo credens eos nunquam redituros, & inhians pecuniæ, iuſſit ut Hiſpani prius ſuam numerarent pecuniam, & largitur eis tot Ioachimicos. Sed Hiſpani fecerunt aptè alium quendam ſaccum, priori ſimilem, & eiuſdem ponderis, in quo plumbum poſuerunt, eumq; magna celeritate ſupponunt in locum alterius, & abeunt, ac bonus ille uir ſeruat ſaccum. Elapſo uerò anno, cùm nullus Hiſpanorum rediret, aperit ſaccum & inuenit

aliquos coronatos in superiori sacci parte positos, in inferiore uerò plumbum esse cernit: atq; ita se delusum ab Hispanis intelligit.

Dionysius Syracusanus, cùm indigeret pecunia, uarijs usus est artibus, ut eam à subditis extorqueret. Venit igitur in publicum, dicens: Cererem ad se uenisse, & iussisse omnes matronas afferre sua ornamenta, ut festum Cereri instituerent, eamq; celebrarent. Cùm uerò attulissent matronæ sua ornamenta, Dionysius ui ipsis eripuit, & nihil ornamentorum eis restituit.

Illustrißimus Princeps Dux Saxoniæ Elector, donaturus D. Martino Luthero dolium uini, propositis duobus, iußit eum alterum ex eis eligere. Lutherus uerò dedit mihi eligendi potestatem, seu optionem. Nam quando sibi emebat uinum, tunc mihi prius gustandum dare solebat. Sæpe enim emebat uinum ex meo iudicio. Dixi igitur ad Principem: Illustrißime Princeps, dicam tuæ Celsitud. quid Lysander fecerit apud Dionysium. Lysander cùm esset apud Dionysium in Sicilia, & discedere uelle, obtulit ei Dionysius duas stolas, quarum unam eligeret, ac filiæ suæ daret. Lysander, ut erat Laconicus, respondit, Se harum rerũ esse ignarum: sed uelle se suæ filiæ utramq; afferre, ut ipsa eligeret, & utramq; abstulit. Cùm hoc illustrißimo Principi recitassem, intellexit quid uellem, & utrumq; dolium Doctori Martino donauit.

VSVRA.

Imperatoris lex de usuris est bona, & retinenda: quia non delet uocem Euangelij.

Quidam

Quidam sapiens uir dicebat: Prudens fuit Iurisconsultus, qui actionem de eo quod interest excogitauit & introduxit.

Quidam me conueniens, interrogauit num etiam deberet soluere usuras, cùm Deus eas probibeat? Cui respondi: Probibet accipere usuras, non uetuit ferre iniuriam. Est enim regula uniuersalis: Qui libenter mutuò sumit, eum non libenter soluere. Qui leuiter spondet, non multum soluere curat.

Alius mercator Augustæ, bonus uir, dixit: Si quis potentioribus aliquam pecuniæ summam dare mutuo uelit, amicitiam & societatem prius ineat cum his tribus hominum generibus, Doctore iuris, Theologo, & Milite. Nam si recuset reddere debitor, à Iurisconsulto actio contra illum institui potest. Si non obtemperet iudici, à Theologo conscientia eius permoueri potest. Si deniq; nec tum soluere uult, à milite ui cogi & expugnari potest.

Quando Lucullus uenit in Asiam, fuit tanta miseria & usura in Asia, ut nobiles uendere filios & filias coacti sint. Ibi Lucullus restituit ueterem legem de centesimis: id est, ut quotannis darentur de centum duodecim. Quantæ pœnæ uagantur per mundum omnibus temporibus.

Tyberius Gracchus, quando tulit legem Agrariam, habuit approbatorem Lelium, qui tamen arte se subduxit, postquam uidit se incurrere in odium. Stetit Tyberius Gracchus in concione, suadens, ut lex ferretur, ne diuites Romani occuparent totam Italiam

eiectis

iectis ciuibus, & collocatis in eam seruis. Hortantur nos, inquit Imperatores, ut dimicetis pro focis & aris, cum principes uestri neq; focos neq; aras uobis relinquant. Hoc est singulare πάθος quod recitatur à Plutarcho, tanquam singulare lumen orationis, ab absurdo sumptum. Sic Tyberius Gracchus suscipiens causam ciuium, ob eam ipse interficitur, lex tamen post eius mortem suscepta est. Hæc in loco de homicidijs paulo aliter sunt recitata.

DISPVTABILES CASVS.

Dux Ioan. Fridericus amisit annulum in pugna, quē diligebat, propter memoriam aui. Gemma erat in eo ualde pulchra, draconites cæruleus. Postea cum Dux esset in Salinis Saxonicis, in castris Cæsaris, post obsidionem huius oppidi Vuitebergæ, casu accidit ut inueniret eum miles famelicus, qui ueniens ad aurifabrum, obtulit illi annulum uenalem. Aurifaber uerò suspicabatur esse Ducis: agnoscens illum ex eo, quòd fortaßis olim apud Ducem uidisset. Miles petiuit pecuniam, quia esuriebat. Appendit aurum faber, soluit, & adiecit tres Ioachimicos. Miles libenter fuit contentus. Aurifaber statim egreditur in castra Cæsaris ad Ducem, & dixit: Se, quantum agnosceret, afferre annulum Principis: idq; adeo, ut si eius esse deprehenderetur, recuperaret ac retineret ipsum Princeps. Minister ostendit Duci, qui mox agnito suo annulo, fuit exhilaratus, & interrogat aurifabrum de tota actione, redditq; ipsi quantum militi numerauerat. Hic

oritur

oritur quæstio, an princeps habuerit actionem in rem seu rei uendicationem: id est, an debuerit reddere aurifabro illam pecuniam, an absq; precij repensione potuerit retinere annulum? Omitto iam hoc de iure belli. *Pono casum, quòd aurifaber uoluerit solui: & quæro, an Princeps debuerit soluere? Quòd non debuerit soluere, sic argumentor: Quicunque emit rem à non domino, non potest à domino rei precium petere. Aurifaber autem hic emit rem à non domino. Nam sicut amißione non perit dominium, ita nec inuentione acquiritur dominium. Ergo aurifaber non potuit precium à principe reposcere. Respondeo: Imo debuit soluere aurifabro pecuniam, quia officium non debet nocere præstanti officium. Iste aurifaber emit annulum, officij, non quæstus causa, sicut uidebatur etiam Principi. Ergo hoc officium aurifabro illi non debuit esse damnosum. Hæc est demonstratio, reipsa loquendo: quanquam labefactari poßit. Nam non sunt semper firmæ demonstrationes in materia morali, quemadmodum in Geometricis & Arithmeticis materijs. Quæ enim pendent ex uoluntate, sunt flexibilia. Probatur autem illud per tale principium seu demonstrationem: Gratia gratiam parit. Item: Officium nemini debet nocere.*

Ante 200. annos in ducatu Vuirtenbergensi, fuit triennium disputatio de decimis: & interdictum erat, ne templa aperirentur: id est, ne fierent publicæ conciones, &c. Monachi, & alij eis adiuncti litigabant cum Principibus & Comitibus: ac argumentabantur

ex

ex lege Mosaica, ut decimas ad se retraherent dicentes, Decimas à Deo ordinatas esse sacerdotibus. Responderunt doctores eo tempore uiuentes, Aliquotam partem, non totum esse dandum sacerdotibus. Quod hoc modo exponi potest, ut genus, & non species, in conseruatione ministerij obseruetur. Nos debemus necessarios sumptos ad conseruationem ministerij conferre, siue sint decimæ, siue sint aliæ res. Iudæis uerò erat mandatum, ut speciem obseruarent, & decimas ex agris sasacerdotibus darent.

In historia Ambrosij inuenitur, esse ei obiectum, Omnia esse regum: ideo debere ipsum cedere ex templo. Ipse uerò contrà constantißimè perseuerauit in concione Christi, dicentis: Domus mea, domus precationis est. Dixit etiam ad Gothos, qui nunc occupauerant Romanum imperium: Vos Gothi, qui olim habitabatis in plaustris, nunc ex templis plaustra facere conamini.

Quidam aulicus in nuptijs cuiusdam boni uiri mihi aßidebat, qui nactus occasionem à pellibus quibus teguntur Misnenses & Saxonicæ mulieres, mecum disputare cœpit de dominio Principum, seu gubernatorum & subditorum, & dicebat: Hodie uidi tot mulieres circundatas istis pellibus, & mecum supputaui precium quo sunt comparatæ, inueniq; ducentis aureis istas pelles non esse emptas. Ad quid hic uestium splendor? Nonne iure potiori Princeps illa bona poßideret? Erat igitur tale argumentum. Nos excedimus in luxu uestium. Ergo rectius debentur illi sumptus do-

minis. Interrogaui ipsum, an uellet concedere, ut Dux ipsius arcem siue splendidè, siue nō adeo magnificè extructam, ipsi auferret, & ad se raperet? Respondit, se id non permissurum, cùm Princeps sit minimè dominus bonorum, quæ sibi quisq; collegerit. Respondi: Nec Princeps est dominus eorum quæ subditorum coniuges tenent. Tunc ille sermonem suum repreßit.

Rex Anglicus aliquando in uenatione à uia aberrans, peruenerat in tuguriolū cuiusdam rustici, qui eum pro suis facultatibus satis humaniter excepit. Cùm aūt Rex nollet rustico obtemperare, ut de omnib. cibis à rustico propositis comederet, præsertim à quibus Rex nauseam capiebat: rusticus Regi colaphum impegit, dicens: Quòd quisq; esset Rex in sua domo. Rex memor eius dicti, quòd quilibet esset Rex in sua domo, rustico obtemperat, & de cibis parum comedit. Postero uerò die iubet Rex uenire rusticū secum in aulam, mandans suis ministris, ut eum adductum collocent ad mensam suam. Cùm uerò uenisset rusticus, et assedisset mensæ, ac proposuissent plurima fercula, tunc Rex alloquitur rusticum: Comede, inquiens, de omnibus: Ego sum Rex in domo mea. Rusticus obtemperat mandato Regio, & comedit de omnibus ferculis. Ibi Rex inquit: Tu fecisti sapientius me, quia uitasti colaphum. Ego si de omnibus comedissem, etiam à te sine colapho discessissem. Nota

Habebamus in uisitatione Saxonicarū ecclesiarum quendam Ecclesiæ ministrum, egregium & doctum uirum, & generosi animi, qui conquerebatur nobis, quòd rustici transcenderent sepem, & popularentur

ipsius

ipsius hortos: dicebatq;, quòd cùm sæpe conquestus esset eadem de caussa apud iudiciũ, iudex noluerit prohibere iniurias illas, sed responderit semper, ut nominatim indicaret, quinam essent facti eius autores: rusticos uerò iam indicatos, semper negasse factum coram iudice. Qua iniuria commotus, tandem ille pastor unum in ipso facinore deprehensum bene castigauit. Ille postea accusauit eum apud nos. Inuitabamus pastorem ad prandium, & eum omni molestia liberabamus, diximus rusticũ iure percussum esse, quia unusquisq; debet suam domum & facultates defendere.

Memini ornatißimam urbem ab Hispanis ex mera petulantia incensam esse, ita ut bona pars conflagrauerit. Cùm uerò ciues indignè ferrent, & conquerentur de iniuria, responderunt: Tamen omnia sunt nostri Domini Imperatoris. Illi non rectè dixerunt, non omnia sunt gubernatorum quod neq; boni gubernatores expetunt: sed ciues habent suas quasdam priuatas facultates, quæ non sunt magistratus. Ac non minus præceptum, Non furtum facies, obligat dominos, quàm ipsos subditos.

Doctus quispiam homo solitus est Iurisconsultorum quorundam sciolorum, disputantium de Lazaro, an ualuerit ipsius testamentum postquam reuixisset, ineptias, huiusmodi festiuo commento deridere. Non procul ab oppido quodam flumen agebat pistrinum, ex quo postquam non ita multo antè aquatum asinus descendisset, cùm in extrema ripa seu lutulenta seu tenuior aqua flueret, quàm ut os imbueret, in proximam

cymbam

cymbam forte pergit, unde uberiorem iusti amnis aquam hauriret. Porro cum ascendisset nauiculam, impetu detorquet a ripa in medium flumen: quo cum esset excepta, secundis uentis in scopulum fertur. Hæc *postquam impegit, fracta est nauicula: & imperitus ille nauclerus in undis perijt.* Doluit molitori (*ubi rem resciuit) iactura: & piscatorem, qui nauem ibi collocauerat, in ius uocat: damnum dedisse accusat, quod eius nauigio iumentum auectum sit.* Contra ille *factam ab asino pauperiem, seq; damnum accepisse exclamat, quod nauigium amiserit, in flumen ab asino impulsum.* Vtrinq; *acerrime a conducticijs rabulis certatum est. iudici caussa uisa est intricatior, quam ut liceret non consultis iuris professoribus pronunciare: deferunt ad legumleios.* His *uero negocium mirum uisum est, dum quisq; pro se asinum uindicare contendit: disputationes uarias instruunt: rixantur de asino in scholis & conciliabulis pertinacius opinor, quam* Græcus *ille de asini umbra.* Ita *quorundam disputationes futiliores sunt ista molitoris contentione.*

Francofordiæ *ad* Mœnum, *cum eius fluminis esset magna inundatio, ut multæ ædes obruerentur & euerterentur: ibi forte stans molitor quidam, uidit cunas in aquis natantes: quas cum caperet ut seruaret, inuenit in ijs infantem adhuc uiuū: qui tanto gratior & charior ipsi fuit, quod ipse propria sobole careret.* Quapropter *eum educauit, ac institui curauit.* Tandem *pater resciscens filium suum uiuum peruenisse ad molitorem, proficiscitur ad ipsum, & puerum sibi restitui*

postulat. Molitor ualde rogat patrem, ut sibi relinquat puerum. Sed pater non permittens se exorari, detulit rem ad iudicem: qui pronunciauit, ut patri filius restitueretur, simulatq; molitori soluisset sumptus necessarios in alendo filio impensos. Sic dextrè & iustè iudex caussam iuxta Iurisconsultorum sententiam decidit.

Conuenerant aliquando Leo, Equus, Vulpes & Asinus, ut quicquid prædando consequerentur, id totum inter se diuiderent. Contigit paulo post, ut taurus se illis in prædam offerret: quo dilaniato, leo iußit asinum diuidere prædam, & cuiq; partem debitam attribuere. Asinus, ut simplex & rude animal, fecit diuisionem secundum proportionem arithmeticam, & cuiq; æqualem attribuit partem. Ibi iratus leo inquit: Quis te iußit ita partiri, & mihi non plus tribuere, qui tamen maximè laborauerim? discerptoq; asino, iußit equum partiri. Equus erat æquus: id est, seruabat proportionem Geometricam, & dabat leoni duas partes: alteram quæ sua erat, & alteram discerpti asini. Leo ægreferens hanc etiam diuisionem, innuens sibi plus esse tribuendum, siquidem Rex esset, lacerauit etiam equum. Vnde postremo uulpi diuisio est demandata. Vulpes cauta erat, quæ congestis omnibus partibus in unum aceruum, inquit ad leonem: Hæc erit tua pars. Ait leo: Quis te hoc docuit? Respondit: Hi doctores docuerunt: monstrans simul asinum & equũ. Quæritur an rectè fecerit leo, discerpens equum & asinum? Sed breuiter respondetur: Quòd illa commu-

niter

niter fiant in uita, ut plerunq; potentiores inferiores (si quando cum eis meant familiaritates) premant, iuxta commune prouerbium Germanicum. *Mit grossen* Herren *ist nicht gut kirschen essen.*

In conuentu Spirensi, uenit ad me quidam senex miles, qui dicebat se disputare secum cum sua conscientia, de rapinis in bello, quid facere debeat propter restitutionem. Respondi: *Iustum bellum est, iusta causa auferendi res.* Ergo *possessor illarum rerum est dominus.*

Est difficile agere cum hominibus non rectè institutis. Iudex *urbis* Augustanæ, *aliàs bonus uir, in conuentu suspendebat furem cum mala conscientia.* Dubitabat *enim utrum rectè faceret: quanquam multum cum eo disputarem, & conarer eum in uiam reducere, tamen parum efficiebam.* Erroris *autem sui causa erat, quòd non teneret hoc principium & fundamentum:* Imperia *esse diuinitus constituta, & magistratum habere potestatem propter probabilem rationem exasperandi pœnas, iuxta dictum* Iurisconsultorum: Grassantibus *delictis, pœnæ exasperandæ sunt.*

Hic Vuitebergæ, *non ante multos annos, suspendebatur quidam fur, qui interrogabat:* Est *ne iustum hominem suspendere?* Nos *uicißim interrogabamus ipsum:* An *etiam iustum esse furari?* Dicebatur, *quòd idem antea bis euanuerat, & in locò ipsius stramen pependerat, at hic ars eius non succedebat.*

Asinus cuiusdam molitoris, præteriens uineam, ubi

premebantur uuæ, cùm in uasa mustum expressum inueniret, bibit bonum haustum. Postea dominus uineæ *adueniens asinum abigit, & conquerens de suo damno, molitorem in ius uocat.* Ibi *est lata sententia, ut quandoquidem asinus non consedisset, sed tantum prætereundo unicum haustum bibisset, liber ab actoris accusatione pronunciaretur.*

POENA EIVS QVI non est soluendo.

Scribitur *de patre* Empedoclis, *quòd* Thebis *sit impositus calatho, & perfusus aqua.* Talis *fuit ceremonia, qua infamia notabatur ille qui non erat soluendo. Aliæ leges non mitiores redigebant eum qui non esset soluendo, in seruitutem.* Et *si uerum est quod historiæ tradunt,* Draconis *lex fuit, ut obærati corpus distraheretur, & dissectum daretur creditoribus.* Quod *fuit signum seueræ disciplinæ.*

In *oppido* Bretta, *quando aliquis est decoctor, ita ut non sit soluendo, ille trahitur per ciuitatem, & perfunditur aqua, quod est nota infamiæ.*

In *quibusdam urbibus* Helueticis *hæc obseruatur lex, ut contrahens plus æris alieni, quàm sit soluendo, nulla admissa intercessione aut acceptione personæ, capitali supplicio afficiatur.* Legislatores *graues illius legis causas habuerunt, uidelicet ne leuibus hominibus ulla daretur occasio honestos decipiendi, ita pulchrè utilitas* Reipublicæ *in illa lege considerata est.*

OCTA-

OCTAVVM PRAEceptum.

VERITAS.

Democritus : ἀρχὴ μεγάλης ἀρετῆς, ὠνήσαι ἀλήθειαν, id est, Principium magnæ uirtutis, tueri ueritatem.

Simplex oratio & propria bonis uerbis, est optima, quæ nominatur Attica.

Veritas temporis filia : quæ sæpe fit, ut male homines iudicent, incitati aliquo affectu, posteaq; corrigant sententiam alio tempore.

Pindarus : Ad bonam causam tria uerba sufficiunt, nec mendax testis præsideat negocijs, id est, in bona causa non est disputatione opus, quia in uero non multæ sunt intricationes, sicut econtra Galenus dicit : τὸ ψεῦδος ἀκατάληπτον. Hanc ego iudico simplicissimam & ueram sententiam. Valde sudant hic interpretes, quid uelit Pindarus per illa tria uerba. Dicam meam opinionem : Tria uerba, id est, maior, minor, & medius terminus. Hoc est Dialectica speculatio.

Plato inquit : Satis beatum sibi uideri, cui tandem in senectute contigerit, ut sapientium ueras q; opiniones assequatur.

Χρόνος σωτὴρ δικαίων ἀνδρῶν : id est, tempus est seruator iustorum hominum.

Veritas (ut est in oratione Fabij ad Aemilium) laborare potest, opprimi non potest.

Simonidis dictum : Δόξα βιάζεται τὴν ἀλήθειαν : id est, opinio uim affert ueritati.

CALVMNIA ET obtrectatio.

Palamedem falso accusauit Vlysses, eiusq; proditor fuit. Sic Aristidem sui ciues prodiderunt. Cùm enim capitali sisteretur iudicio, astitit ei quidam qui non poterat scribere, cui cum daretur testula, ut inscriberet literam condemnationis, alteri astanti eam porrexit, dicens: Tu pro me scribe. At ille: Quid uis scribi? Respondit: Literam condemnationis. Et hic: Est ne condemnatus tibi notus? Respondit, Non: sed quia cæteri eum condemnant, & ego sequar maiorem turbam.

Cùm cuidam à me petenti scripsissem in librum, Calumnia turbat sapientem, & frangit robur cordis eius: uenit fortè ad me quidam bonus uir, Consiliarius præstantis Principis, legensq; hanc sententiam, quærebat, Vbi nam ea inueniretur scripta? Dicebam: In Ecclesiaste, ac monstrabam illi locum. Ad hæc ille: Profectò est egregia sententia.

Ex lege duodecim Tabularum, è saxo Tarpeio deiiciebatur, qui falsum testimonium dixisse conuictus erat. Conuiciorum uulnera sunt insanabilia: quia uulnus læsi animi nunquam tam bene curatur, quin maneat cicatrix aliqua. Sic apud Homerum Hector ad Achillem dicit: Timidi solent conuiciari.

Audiui à præstantißimo uiro, quando edebantur libri de bello Germanico, esse præsagium aliarum calamitatum, addebatq;: Si quis hostis fiat, incendijs grasse-

grassetur, homines abducat, tantummodo à conuitijs abstineat, quia uulnera conuiciorum manent incurabilia.

Memini caussas in quibus aliqui circumuenti iniustis iudicijs oppreßi sunt, & post mortem eorum patefiebat iudicium. Tres falsi testes, & accusator in ducatu Vuirtembergensi, cùm essem Tubingæ scholasticus, afficiebantur supplicijs capitalibus, & mittebantur corporum partes in quatuor loca regionis, ut extarent signa punitæ calumniæ, & falsi testimonij. Magna seueritas est. Ille uir qui fuerat oppressus, accesserat Ducem Virtembergensem, & dixerat: Domine Princeps, si inueneris me ex diligenti peruestigatione ueritatis iniquum & iniustum, amputes mihi hoc caput asfere. Princeps motus illa tam constanti interpellatione rem curauit accuratè inquiri: & postea ueritate comperta, usus est illa seueritate.

Quidam in urbe quadam Marchiæ, die Palmarum in concione sua, similitudine ex Lutheri Postilla desumpta usus est, qua comparauit CHRISTVM cum asino. Statim alius quidam insueta comparatione offensus, quærebat occasionem reprehendendi & calumniandi illum, surgensq; clamabat esse rem indignam, Christum conferre cum asino. Ille opponit testimonium Lutheri. Alter, hoc dicto, scribit ad Lutherum, & petit ut emendet suam Postillam. Nos eum ridebamus. Adeò ex leuibus occasionibus oriuntur sæpe dissensiones. Sed aliud est occasio, aliud caussa, inquit Polybius.

φοιτᾷ βροτόλοιγος ἔρις κενεὸν λελακυῖα: id est, oberrat seu ambulat homicidialis contentio, quæ noua canit. Hoc dictum citat Clemens ex Empedocle.

Thucydides de suis ciuibus: Estis contemptores usitatarum rerum, & admiratores absurdarum.

Lutherus dictum Christi, Pax uobis, uerterat, Halt fried. Illud Emserus calumniatus est, inquiens: Meinstu das sie einander geschlagen haben? Est calumnia. Vocabulum, pax, usurpatur generaliter, sicut nos dicimus, Saluete: id est, Deus det uobis omnia fausta & salua: Gott gebe euch alles guts. Sunt uerba optantis alicui bona, non est imperatiua oratio.

Concionator in oppido quodam Misniæ, dixerat fortè in concione, Constantinopolim sitam esse in Italia. Id ludirector reprehendens, dicebat: Esse in Græcia. Quod & ipsum non est uerum. Nam est in Thracia sita: Concionator secutus Germanicum prouerbium, opinatus est, Was nicht Deutsch sey, das sey Welsch.

Ego aliquando cùm Erasmo Reinholdo, postquam uxor eius mortua esset, contuli familiares sermones: quibus unà intererat alius quidam, qui minus sincerè nostra familiaritate usus est. Cùm enim nos ioco proponeremus, quod in monasterium aliquod (si adhuc apud nos extarent) nos conferre, ibiq; suauiter uiuere ac Philosophari uellemus: ille tum quidem in præsentia nihil contradicens, postea cùm à nobis discessisset, iocum nostrum peruersè interpretatus est: & iam scripsit contra me, non secus ac seriò dixissem, ac multa nunc secus interpretatur quàm olim. Tales multi

alij

alij calumniatores reperiuntur: ſed nihil refert, Deus *iuſtè iudicabit omnia.*

In principum aulis primas tenent gnatones et calumniatores, unde dicam uobis regulam certiſsimam: Quicunq; *uult citò creſcere in aulis, tantum uideat quo ſe domini uoluntas inclinet, & cui nam ſit infenſus, hunc obſeruet: & quicquid is agit, id ad dominum deferat, ac in peiorem partem interpretetur, licet nonnunquam etiam aliquid mendacij de ſuo addere, modo prætexat aliquã grauitatis et ſanctitatis ſpeciem ſine affectibus.* Talis *gnato fuit* Epheſtion *in aula* Alexandri Magni. Ibidẽ *quoq; calumniator nominatus eſt* Midias, *qui (ut refert* Plutarchus) *ſemper dicere ſolitus eſt: calumniare audacter, quia ſemper aliquid adhæret.*

Sunt quidam antagoniſtæ, qui in omnibus rebus alijs contradicunt. Horum *poteſtis multa euidentiora noſtri temporis exempla habere.*

Diſputabant *quidam apud* Alphonſum *regem, quid potiſsimum prodeſſet lippis oculis, & acueret uiſum?* Primò *alius aliud ſtatuit.* Tandem *quidam dixit, nihil ita mederi, quàm inuidentiam: quia inuidus eſt intentus, & ſemper occaſionem aliquam captat, ut inueniat quod reprehendat, ac etiam optima ſuis reprehenſionibus & calumnijs deformat.*

Non *multi ſunt anni, cùm quidam nebulo ederet teterrimam* Caroli Magni *uituperationem, in qua uituperatione inter cætera habetur, quòd ipſe* Papiſtas *ditauerit, cùm tamen fuerit præſtantiſsimus & optimus* Imperator.

In urbe Syluæ barciniæ uicina duo concionatores inter se multũ litigabant de dicto Angeli ad Mariã, Aue gratia plena: ita ut unus contra alterũ publicè in suggestu, & priuatim in ædibus pugnaret: sed uterq; non intellexit quid significet uocabulũ κεχαριτωμένη. Est autem huius uocabuli propria & genuina significatio esse dilectam per misericordiam non propter merita, seu opera, aut qualitates in naturalibus uiribus.

Illustre discrimen est inter ἀγαπᾶν & χαριτοῦν: quorum hoc per misericordiam, illud ordine naturæ nõ significat, sicut Apostolus Paulus inquit de æterno patre: κεχαρίτωσεν ὑμᾶς ἐν τῷ ἀγαπημένῳ.

Aedituus quidam accusauit suum pastorem, quòd infantem baptizasset indutus chirothecis. Tanta est calumniandi libido, ut non pudeat multos etiam ob leuißimam causam palàm accusare & calumniari.

Timon Atheniensis scripsit contra omnes Philosophos, & solitus est de omnibus malè loqui. Idem cùm Respub. uersaretur in periculo, dixit, se magno gaudio affici, quòd iste peßimus populus lueret pœnas: et ualde sibi placere ingenium Alcibiadis adhuc iuuenis, & peruersè omnia agentis, ac fore, ut aliquando Rempub. euerteret. Quod postea etiam factum est.

Philocrates interrogatus, cur omnibus malediceret? Respondit: Quia omnibus malefacere non posset. Hæc est responsio ἀπροσδόκητος. Isocrates enim interrogabat eum de obiecto seu merito, quæ uidelicet esset caussa impulsiua, qua in re sic eũ omnes læsissent, ut eis offensus esset? Ipse uerò respondit de subiecto, seu morbo

morbo animi sui. Est *igitur uariatio causæ, ut dictum est.* Vt *si quis quærat:* Warumb schabet man den käß? & *alter respondeat:* Wenn er federn hette / so rupffete man ihn: *id est*, Quare *decrustatur seu circumraditur caseus? & alter respondeat:* Quia *non habet plumas, alioquin enim deplumaretur.*

Capnio *dicere solitus est de his qui omnia uituperant, eos similes esse muscis: quæ omnia contaminant, & nihil prosunt.*

Vuicelius & Cocleus *dicunt nos prodidisse* Rhodum, & *nescio quæ alia fecisse.* Hæc impudentia *mendacia non opus est refutare: dicant ipsi talia, quoad uelint.*

Scipio iunior ætatis suæ anno 56. est mortuus: sed maior Scipio peruenit ad maiorem senectutem, ac tandem mortuus est in uilla sua. Hic *adeò auersatus est litigare cum ciuibus, ut ideo relicta* Roma *in rus abiret. Cùm tribuni contra ipsum uociferarentur, potuisset facilius imperium rapere, quàm* Iulius: *sed contentiones fugiens, hoc unicum dixit:* Ciues *meministis, me hoc die & hoc anno feliciter pugnasse contra* Carthaginenses: *oro ut mecum ascendatis in templum, & mecum publicè gratias agatis.* Et *recte fecit iuxta dictum* Cypriani: Non *est miser qui audit conuitium, sed qui facit.* Item Philemonis *dictum:* Nulla *carmina magis musica, quàm ferre conuicia hominũ.* Idem *duobus litigantibus:* Altero *(ait) maledicente, qui tacet sapientior est* ἥδιόν ἐστι ψέγειν ἢ ἐπαινεῖν, *id est, dulcius est uituperare quam laudare.*

Donaui

Donaui Eobano Hesso ualde elegans Aldinũ exemplar Epigrammatum, quod erat eleganter excusum. Cùm illud à me peteret, facturũ me esse dixi, sed ea conditione, ut scriberet carmen optimum de re peßima. De quanam re? ait. Iußi eum de calumnia scribere. Idq; fecit, ac de hac re iam omnium pulcherrimum extat.

EOBANI HESSI ELEGIA DE CALVMNIA omni tempore uiuente.

Dicere quos habeat uesana calumnia mores
Me breuibus numeris docte Philippe iubes.
Obsequor, & merito, quis enim tam recta monenti
Non etiam iustas pareat ante preces?
Sed breuibus numeris & paruo carmine dici
Tanta lues nulla conditione potest.
Interea Solymi requiescant carmina uatis
Dum canitur Musis Eumenis ista meis.
Pinximus hanc olim dum nos populosa teneret,
Subdita Sarmaticis Prußia sideribus.
Hac uulgata suas pinxere uolumina frontes,
Ne tanti lateat clausa figura mari.
Pinxisti hanc celebri Pegnesidos urbis in aula,
Nuper honor patriæ Pyrgicamere tuæ,
Pinxerat ipse suis hanc nuper in ædibus omni,
Sturdiades nobis dignus honore cani.
Sed tamen inuentor quis primus imaginis huius
Extiterit forsan, quem fugit ille roget.

Cocus apud regem falso accusatus Apelles
 Indignum tabula uindice pinxit opus.
Considet in solio ueluti Rex auribus amplis,
 Videris, auritum dixeris esse Midam.
Hic est ille Midas quem falsa calumnia uerbis,
 Auersum uero, credere falsa facit.
Huic geminæ adsistunt dextra leuaq; puellæ,
 Consona quæ proprijs nomina rebus habent.
Prima loco motam tenet Ignorantia mentem,
 Altera Suspicio credere falsa docet.
Tum uelut Alectus armata calumnia flammis,
 Insontem tacita circuit arte uirum.
Circuit & captum rapit ad regale tribunal,
 Et sontem falsi criminis esse facit.
Hanc ternæ comites à tergo pone sequuntur,
 His sua pro rebus nomina conueniunt.
Inuidia siquidem compulsa calumnia fraudem
 Aduocat, hæc tacitas excitat insidias.
Hæc sunt arma, quibus miseros mala perdit Erinnys,
 Qua furiosa nihil tartara peius habent.
Post Metanœa sequens tristi circundata palla,
 Quod cito crediderit pœnituisse docet.
Namq; ubi de tenebris emerserit Alethea,
 Omnia, ceu tenebras, discutit orta dies.
Hactenus expressa est depictæ causa tabellæ,
 Si capere immensum parua tabella potest.
Nam quis inexplicitæ queat omnia nomina pestis
 Edere? quis uarias explicuisse uices?

Quæ

Quæ tot imaginibus tot deformata figuris,
Totius immensas obsidet orbis opes.
Quot nec Apellæam poterit manus ulla per artem,
Dædela nec Rodij pingere cura senis.
Nam quos non aditus, quæ non subit atria regum?
Quæ fora, quæ non hæc limina pestis adit?
Repit & occulto subit in penetralia lapsu,
Et nisi principibus non amat esse comes.
Raro etenim uulgo plebeias occupat aures,
Et minus hic rabies ista nocere solet.
Summa petit, semperq; alta, quos prendit, ab arce
Non secus ac rapidi fulminis igne ferit.
Hoc peior, quod aperta nocet minus, omnia turbat
Improba seu quadam sub pietate latens.
Friuola commodiore modo fortuna ferenda est,
Opprimit illa latens, hæc manifesta nocet.
Noxia nulla magis miseris illuserit Ate,
Deijcit illa bonos, hæc ferit ulrra malos.
Non hac blanditiæ, non assentatio demens,
Quamuis sint sociæ, plus nocuisse queant.
Inuidia infelix minor hac si sola fuisset,
Et minor insonti pœna futura fuit,
Deniq; quæcunq; est aliquem metuenda per orbem,
Huic bene conferri pestis acerba nequit.
Omnibus inuolitat furiosa calumnia terris,
Et uacuum de se non sinit esse locum.
Non habet hæc pensi quicquam, quo nomine, quáue,
Dum premat, insontes opprimat arte uiros.

Atq;

Atq; ut facta uolens uelut hæc generalia mittam,
Res est in species ista secanda suas.
Prima loco sancta sub relligione moratur,
Atq; ista sedem legit in arce sibi.
Inde quod obruerit sacratæ fulmine dextræ,
Idem est & stellas enumerare labor.
Inde quod aßiduè scelerata per arma trucidet,
Tam facilè est dici quàm sine uoce loqui.
Aspice Pontifices petrina in sede tyrannos,
Et quotuplex ista fulmen ab arce cadat.
Nam aliam dices habitare calumnia sedem,
Non alia potui lætior esse domo.
Quisquis enim non ista, DEI *ceu numen adorat,*
Plumbea Romani fulmina Pontificis.
Hunc rapit ardentes succensa calumnia uultus,
Sistit & auritum protinus ante Midam.
Proximus hic uitio, quantumuis purus & insons
Occidit, & pœnam pro pietate luit.
Nunquam illo Metanœa loco se ostendere uisa est
Vsq; adeo nihil hic pœnituisse potest.
Sint scelerata licet, sint deformißima dictu
Quæ fiunt illic, ut pia facta probant.
Namq; nec Alethea illic scelus ulla reuelat
Vsq; adeo falsum gens facit ista nihil.
Decipit incautas nulla ignorantia mentes,
Hæc alibi, non hac seruat in arce locum.
Tam faciunt quicquid faciunt prudenter, ut ipsum
Si liceat, poßint fallere fraude DEVM.

Quatuor

Quatuor at reliquis Dea sæua instructa ministris
Omnia pro solita conditione gerit.
Suspicio siquidem, quæ non sunt, credere cogit,
Inuidia officio non sinit esse locum.
Ducit in insidias fraus semper auara nocendi,
In facinus caussas fingere docta suas.
Præcipitant demum insidiæ si forte potestas
Si data, si non sit, qualibet arte nocent.
His armis aggressa pium furia ista LVTHERVM,
Conata est auida perdere sæpe manu.
Gratia seruauit, ne perderet obuia CHRISTI,
Solus hic infamis non timet arma Deæ.
Ecquid enim sacram turbare tyrannida Papæ,
Audet ab Arctoa turbidus iste plaga?
Ecquid ut ad redeat priscos Ecclesia ritus,
Hic noua peruersa dogmata mente serit?
Hic nihil in totam concita calumnia sectam
Sæuiat? hic placidæ nomina pacis amet?
Non ita, nam caræ generosa palatia Romæ,
Plena dolis linquens, inferiora petit.
Atq; ita pontificum sedes aggressa minorum,
Nulla non miserum circuit arte gregem,
Hic agit innumeros regina calumnia motus,
In sibi contemptæ uilia membra domus.
Hinc armat sacræ ceu relligionis in hostes.
Non hæc nata suæ gentis in arma manus.
Hinc ita sæuit atrox, ita digrassatur in omneis
Quos premit, ut paci non sinat esse locum.

Hinc

Hinc tormenta, cruces, laqueos, incendia, flammas
 Aptat, & innocuo uulnera mille gregi.
Sicut nostra nouo uiderunt secula ritu,
 Pontifices auidas cædis habere manus.
Quando alios sæuis hausere incendia flammis,
 Hinc alij medijs obruerentur aquis.
Innumeri laqueo, & gladijs periêre cruentis,
 Quando etiam Reges ista tyrannis agit.
Limina quando ducum, quando alta palatia Regum,
 Tam sine fine nocens ista Megæra colit.
Non tamen omnigenum, nam sunt qui fortiter istis
 Laudibus Heroes nomina prima tenent.
A quibus ista procul scelerata calumnia prostat,
 Et quibus est ueræ cura salutis opus:
Subrepit tamen illa nocens & friuola pestis
 Vndiq;, & insidias hic, & ubiq; struit.
Nec quisquam, nisi fortè latens, & nomine cassus,
 Effugere hanc furiam qualibet arte potest.
Omnia peruolitat, perrumpit & omnia furtim
 Rimatur, nullo se tenet illa loco.
Præcipuè tamen in sacri pia dogmata uerbi
 Sæuit, & hic totis uiribus acta furit.
Vsq; adeo, ut rari quos nulla calumnia turbet,
 De populo fidei Christidos arma ferant.
Vt nulli poßint ueræ pietatis honorem
 Adserere, in quos non sæuiat ista lues.
Sic premit insontes, sic euehit illa nocentes,
 Vt uis falsa dolum non sit iniqua magis.

Hoc periêre modo tot millia tempore nostro,
Qui nisi quod saperent, non habuere nefas.
Nec tamen exemplis libet hic mordacius uti,
Liuor ab exemplis sæpe uenire solet.
Notior est pestis, uulgatior ista tyrannis,
Quàm sit ut exemplis inuenienda fides.
Si tamen ulla fuit tempestas dura per orbem,
Hac nostra nunquam durior ulla fuit.
Quam tot iniqua modis tot & artibus afflixisset,
Tartareo pestis nomen ab hoste trahens.
Quam tibi dum breuibus numeris describere conor
Crescit in immodici cura laboris opus.
Tam late, tam regnat ubiq; & sæuit in omnes,
Hoc paradisiaco sæuius angue malum.
Nec uinces ratione alia, non arte leuabis,
Quam pestem hanc animo si patiente feras.
Sola potest tantam patientia uincere cladem,
Non nisi de superis sedibus illa uenit.
Hæc istam curare luem medicina potens est,
Cui comes in superos est generosa fides.
Verus amor, spes fixa Deo syncera uoluntas,
Miscent hæc medica pharmaca certa manu.
Istius antidoti uires obieceris hosti.
Per mala tot, CHRISTO principe, uictor eris.
Sic non ulla suis nocuisse calumnia telis,
Nec poterit quicquam fraudis obesse tibi.
Hactenus hæc breuibus tibi scripta Philippe camœnis,
Qua mea consuesti dexteritate feres.

Non quia non, si cuncta sequi uoluisse putemur,
Copia in hanc causam longa futura fuit.
Non, quia non etiam fuerit bona, temporis ipsa,
Si uoluissemus conditione frui.
Sed quia naturæ uitium sic omnia nostræ
Reijcit, in paruas præcipitanda moras.
Nunc tamen ista leges subitis properata lituris,
Quando satis præsens nulla camœna fuit.
Sic tamen ut noris, si qua hic non forte probaris,
Iudicio tolli carmina posse tuo.
Aut tibi si qua minus faciant satis, omnia cures
Præscripta ut redeant conditione mihi.
Maior ut accedat reuocatæ copia mensæ,
Et cultu poßit splendidiore legi.
Viue diu, mihi tam longa dignißime uita,
Quàm diu adhuc aliquas Albis habebit aquas.

Plato citat dictum Galeni: Qui amat λογομαχίας*, nunquam peruenit ad ueritatem. Sunt autem plurima talia ingenia* ἐριστικά.

ASSENTATIO & SIMVLATIO.

Seneca.

Adulatores non tantum sunt suorum dominorum arrisores, sed etiam arrosores.

Cicero. *Nullus Euripus habet tam uarias agitationes, ut populi uoluntates.*

Timon: ἄνθρωποι κενῆς οἰήσεως ἔμπλεοι ἀσκοί, *Homines uanæ opinionis pleni uentriculi seu sacci.*

Plato inquit: Cogitationes hominum esse instabiles, ut illæ imagines quæ cernuntur in aquis.

Memini ducem Saxoniæ Mauricium de quodam assentatore dixisse: Stercus domini sui comedit ut canis. Dionysius habuit colacem, qui lingebat eius sputum. Tales omnibus temporibus reperiuntur.

Dux Saxoniæ Fridericus acutè solitus est dicere, eos maximè esse metuendos, qui proximi essent pedibus, ne calces conculcent: alios non ita posse nocere.

Cardinalis quidam solitus est dicere de ijs qui aliud loquuntur, & aliud meditantur. Est uox Iacob, & manus Esau.

In Tripartita historia, libro 6. cap. 28. fit mentio Eceboli, qui fuit rhetor tempore aliquot Imperatorum, & semper se accommodauit ad uoluptates & opiniones de religione eorum, penes quos summa potestas fuit. Tempore Constantini principis, acerrimè defendit doctrinam Euangelij, & taxauit idololatriam. Postea uerò cùm pio patri succederet impius filius, defensor idololatriæ, ibi rursus strinxit calamum aduersus ueram Ecclesiam.

Menander.

ὁ βίος μάλιστα τοῖς πονηροῖς ἥδεται, πρῶτα δ' ὁ κόλαξ ἄριστα πάντων, δεύτερα ὁ συκοφάντης. ὁ κακοήθης τρίτα λέγει.

In hac uita gaudent improbi potißimum: sed assentator omnium primas tenet, uiuitq; longè omnium iucundißimè. Deinde sycophantæ proximus est honos: audire enim calumnias, est admodum dulce. At tertius conceditur locus inuido, qui artes nocendi scit astutissimè. Inuidentia enim est proprium πάθος diaboli:

de

de qua antiquum dictum est: Virtutem sequitur inuidentia, sicut umbra corpus.

Cùm Dionysius scripsisset tragœdias, exhibuit eas legendas Philoxeno poetæ, cui cùm non placerent, libero animo id tyranno indicauit: ostenditq; ipsi errata. Ille iratus iußit eum abducere in Latomias, & post aliquot menses inde exemit eum, iußitq; iterum indicare, ut suum iudicium de poemate diceret. Cùm & tunc indicare nollet, nisi prius ostensis erratis, iterum eum abduxit in carcerem. Ille non fuit assentator, sed fortiter contemptis periculis, tyrannum coram de uitijs admonuit: quod etiamsi ego uel alius non faceremus, tamen laudanda est eius constantia.

Demosthenes.

Difficilis est assentatio, quando hoc proponitur, quod est ingratum cupiditati.

Plautus.

Odi argutum ciuem sine uirtute, tanquã præficam.

MALA CONVERSATIO.

Κακῆς ὁμιλίας οὐδὲν μεῖζον κακόν. *Id est, Mala conuersatione nullum malum maius, iuxta dictum Pauli: Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Demosthenes citat hanc sententiam ex Aeschine: Talis est unusquisq;, qualium conuersatione delectatur.*

Sicut basiliscus inficit res quascunq;, ita umbra malorum hominum sæpe nocet bonis.

Κακὸν κακῷ συμπέριοχε: *Id est, Malum malo computrescit, & colliquescit: malum malo causa destructionis mutuæ.*

Nulla est societas tam parua, in qua non sint aliqui mali. Duodecim fuerunt Christi discipuli, & inter eos Iudas proditor.

SOPHISMA.

Cùm essemus Smalcaldiæ, uenit eò legatus Romani pontificis ad principem Electorem, afferens ei literas. Princeps, ut est consuetudo, surrexit deliberans, & iußit illi per alium responderi: quia Principes non solent loqui latinè. Ille phantasticus dicebat: Quid est opus responsione? princeps iam est assensus. Et ita argumentabatur: Qui tacet, consentire uidetur. Ego uerò dicebam: Hoc est sophisticum. Incanduit ille inquiens. Non sum sophista, sum doctor Iuris. Quasi doctor Iuris non posset esse sophista. Est regula Iuris, sed non ualet in coniecturalibus. Nam dicit, Videtur: Et argumentum, Videtur, soluitur per non uidetur.

In aditu Franconiæ est sylua, quæ erat Abbatis Fuldensis: sed oppignorauerat eam alij cuidam Domino. Cùm autem Abbas ante paucos annos suam partem redimere uellet, inuentum est hoc sophisma: non posse sciri pondus aureorum, quos ille olim dedisset.

Interfui iudicio, in quo erat Doctor quidam, honestus uir, cuius antagonista erat rabula indoctißimus. Hic uociferabatur, & sæpe iterabat illa uerba: Domine doctor, uerte folium, ibi inuenies alium textum: Herr Doctor / keret das blat vmb / da stehets anders. Ita dicunt βωμόλογοι indocti.

Mit worten deuschet man die Leut. *Hoc prouerbio*

uerbio Germani significare uolunt, quòd ignorantes proprietates uocabulorum, facilè decipiantur.

Cancer & serpens unà faciebant iter (id est, homo simplex & sophisticus) Videbat cancer interdum progredi serpentem, interdum facere gyros. Cancer progrediebatur, iubebat serpentem rectà uia incedere, ipsumq; sequi. Cùm serpens non uellet rectè incedere, apprehendit cancer collum eius chelis, & eum strangulat. Sic corrigitur eius perplexus cursus. Iam eris rectus, inquit cancer, cùm te hoc modo punio. Hoc est præmium sophistices.

FOEDERA.

Ante paucos annos Imperator Carolus V. & Veneti inierant fœdus contra Turcam, cùm Veneti antea confœderati essent Turcico Imperatori: Ibi Andreas de Doria deseruit Venetos. Nam naturale odium est inter Venetos et Genuenses. Constitit igitur magno Venetis illa discessio à Turcico fœdere. Turcicus enim Imperator noluit eis placari, nisi cederent duabus præstantissimis urbibus, Monembasia uidelicet & Calliopoli. Est autem Monembasia urbs proxima Mycenis, quæ deinde dicta est Epidaurus. In Homero dicitur Vitifera. Ibi enim sunt generosissima uina: unde & uinum Maluaticum, quod apud nos habemus, aduehitur. Calliopolis uerò paulò superius sita est. Sic Veneti iterum coacti sunt pacem componere, ac nouum fœdus facere cum Turcico Imperatore, quia uidebant se desertos esse ab Andrea de Doria.

Fridericus Dux Saxoniæ dicebat: Bonum est facere fœdera, sed uæ illi qui seruat.

Fœdera apud omnes gentes sancta atq; inuiolabilia fuerunt. Quibus autem, & quàm uarijs ritibus ab antiquis feriri soleant, paßim apud Homerum, alioſq; Poëtas & Historicos uidere licet. Hoc unum in præsentiarum admonendi estis, quòd plerunq; in fœderibus conuiuia in mutuæ beneuolentiæ symbolum adhiberi soleant. Nec solum hostes ad concordiam redeuntes, sed commilitones quoq; & socij in præsenti periculo constituti, atq; in hostes ituri, prius hoc sese mutuo beneuolentiæ uinculo adstringere ac deuincire solent. Sic apud Homerum Iliados T. post reconciliationem Agamemnonis & Achillis, elegans ab hoc recitatur uersiculus, Græcus ad prælium præparantis: Nunc uerò abite ad cœnam, ut congregemus Martem. Sic etiam mensa Christi tessera quædam esse debet, non solum Christi in nos amoris atq; beneficiorum, sed mutuæ quoq; inter nos beneuolentiæ, & sub uno capite Christo in mystico corpore unionis. Verùm hoc, proh dolor, tempore pleriq; contentiosi hoc institutum adeò detorserunt ac peruerterunt, ut ipsi nos mutuo laceremus atq; conficiamus. Cùm autem omnia fœdera icta sunt cum aliquo ritu, tum præcipue mensæ debent esse mutuæ beneuolentiæ symbola.

DECEPTIONES
& elusiones.

Sanseuerinus non fuit multò ante nostram ætatem

Princeps

Princeps in regno Neapolitano, & amicus Iouij Pontani. Ille profectus est ad montem Sinai, sicut usitatum fuit etiam nostris principibus Germanicis proficisci in terram sanctam: ut Dux Fridericus cum duce Christophoro Bauariæ, fuit Hierosolymæ. Oportuit autem in Aegypto iter facere per Idumæam: ibi occurrerunt ei Arabes equites cum magno impetu. Quod uidens deductor, seu interpres eorum, dixit: Domini non possum uos protegere contra istos latrunculos Arabes, nec publica fides data ab Imperatore uos iuuabit; sed oportet uos redimere pecunia. Benè, inquit Sanseuerinus, uidebimus, descenditq; de equo, ac iubet apparare mensam, quasi essent pransuri, promere uasa, cibum, potum, & aßidere tanquam ad mensam. Cumq; equites acceßissent ad eos, iußit Sanseuerinus per interpretem eis indicare, illos sibi uideri militares homines: se etiam esse militarem, & suscepisse istam profectionem, ut cognosceret quale esset genus militiæ, & quales homines militares in illis terris: oratq;, ut descendant de equis, & cum ipso prandeant. Quòd cùm factum esset, colloquuntur inuicem de rebus militaribus, de formis gerendorum bellorum: & sic unà familiariter prandent. Cùm essent pransi, iubet Sanseuerinus promi munera, & illa inter eos distribuit: deditq; uni bombardam, alteri gladium. Sic distributis muneribus incolumes dimittuntur. Elapso triduo in reditu, reuertuntur Arabes cum maiori turba, & captiuum Sanseuerinum cum suis abducunt. Ille existimat iam actum esse de ipsorum salute, & istos omnino immemores esse

prioris beneficij accepti. Illi ducunt eum in arcem, & uicißim honorificè tractant ipsum cum suis comitibus. Elapsis autem aliquot diebus, deducunt ipsum cum suo comitatu incolumem & saluum, præbentq; se defensores & monstratores uiæ. Tantum enim ualet uirtus apud Barbaros, iuxta dictum Pindari: Virtus etiam apud hostes in admiratione est.

Cùm quidam monachus Dominicaster, concionator ducis Saxoniæ Friderici (qui admodum à Luthero & alijs doctis uiris laudabatur) aliquando in concione quædam uitia in Principe etiam taxare uellet, nec palàm id facere auderet: arte quadam & stratagemate in populum deriuauit, hac similitudine usus: Amici, inquit concionator, ille textus, eiusq; expositio non est dißimilis ei qui detraxit pellem lepori: & cùm à reliquo corpore facilè detrahitur pellis, postquam ad caput uentum est, difficilior est detractio. Ita concionator, cùm populi uicia taxat, ut sunt adulteria, & alia peccata (nominans præcipuè ea, quæ in Principe taxare uolebat) non est quòd metuat difficultatem: sed cum uentum est ad caput (digitis interea monstrans Principem astantem) Diabolus pellem à capite abstrahat, Da streiffe dich der Teuffel. *Fridericus sapiens & bonus Princeps, etsi intelligebat se taxari & reprehendi: tamen sine indignatione adeò tulit modestè, ut monacho etiam nouam uestem dono daret.*

Capnio iter faciens, cùm circa meridiem in oppidum

dum quoddam uenisset, ubi aliquot horas ipsi expectandum erat: cumq; intentißimum esset frigus, & hypocaustum nimia rusticorum multitudine esset occupatum, neminem habebat cum quo colloqui posset: nec ipsi quid, quo tempus falleret, offerebatur: insuper præ nimio rusticorum tumultu & uociferationibus, nihil aut loqui, aut legere poterat. Petijt igitur sibi poculum aqua repletum, nec non particulam cretæ dari. Quæ cùm accepisset, duxit circulum in mensæ superficie, cui signum crucis inscripsit: opposuit dextræ poculum, quod aquam continebat: sinistra cultrum in mensa fixum habuit: & librum quem habebat secum, circulo imposuit. Rustici interim omnes oculos & uultum in hunc conuertunt, nihil loquuntur, placidè & quietè quid tandem futurum sit expectant. Cùm autem rustici ita taciti sederent, alter alterum inspiciens, ille interim operam literis nauauit.

In aditu Asiæ fuit templum, in quo pependit nodus uariè colligatus: & fuit dictum, eum qui soluisset illum nodum, fore dominum Asiæ. Cùm plurimi antea uenissent ea de causa in Asiam, ut Lysander, Iason, nec potuissent nodum illum soluere: tandem Alexander aspiciens illum, statim dissecuit gladio, & sic soluit. Inde inexplicabiles disputationes uocantur nodi Gordij.

Rabula Norimbergensis alium quendam aduersariæ partis egregiè uolebat traducere & diffamare. Sed legibus Norimbergensis ciuitatis cautum est, ne

quis

quis alium conuicijs lacessat coram iudice. Is igitur ut effugeret pœnam, rem ita componebat. Scribebat (ut solet fieri) duo exemplaria, in quorum altero nihil erat conuitiorum: in altero uerò conscripserat aliquas paginas conuiciorum plenas: sed ea iterum deleuerat, ita tamen ut adhuc legi possent. Ea ambo exemplaria more usitato iudici exhibet, & curat, ut illud in quo erant conuicia, causidico aduersæ partis daretur. Res procedit. Ille alter perlectis conuicijs, postridie uenit in iudicium accusans alterum, quòd contra leges conuicia scripsisset, quæ coram Senatu & omnibus legi iubet, ac petit de illo sumi pœnam. At Reus: Se quidem, inquit, primo calore scripsisse conuicia: sed postea memorem legis, ea rursus deleuisse: deinde tempus etiam describendi breue fuisse, ut describere aliter non potuerit. Se igitur pœnam non debere pro deletis chartis, affirmat. Sic itaq; absolutus est, & nihilominus perfecit id quod uoluit: nempe ut illa conuicia publicè legerentur.

Cùm Alexander deleturus esset urbem Lampsacum, & Anaxander deprecari uellet, ne id faceret, accederetq; ad Regem eius rei impetrandæ causa. Alexander ei occurrit, quia intellexerat eum hanc ob causam uenire, ut pro Lampsaco deprecaretur, inquiens, Iuro me non facturum esse id quod postulas. Tunc Anaxander ait: Precor itaq; ô Rex, ut Lampsacum deleas. Alexander sancto iuramento perterritus, quia promiserat se non facturum esse quæ postularet, ab expugna-

pugnatione destitit, Lampsacumq; incolumem dimisit. Ita Anaxander urbem seruauit. Hæc fuit uenusta ac salutaris εὐξαπέλεια ac elusio.

IVDICIA ET MONVmenta de varijs rebus.

Rex quidam Danicus legit multos libros Sibyllinos, & dixit eos continere multa mirabilia: sed non esse bonum eos uenire in manus hominum.

Valla magnum mouit tumultum, disputans: symbolum Apostolorum primum esse traditum & excogitatum in concilio Nicæno, nam non facit discrimen inter symbolum Apostolorum & Nicænum. Allegabat dicta ex Iure canonico: & in quibus contra Grammaticam aliquid erratum erat, reprehendebat. Erat enim bonus Grammaticus.

Eramus unà in conuiuio, D. Martinus, D. Hieronymus Schurff, & ego: cùm hic fortè esset alius doctus uir, ubi cùm de uarijs rebus, tum etiam de studijs colloqueremur, ille doctus uir dicit: Recens perlegi Odysseam Homeri, quæ erat Germanicè edita: quo libro non quicquam legi ineptius. Certè bellum aliud gestum esse, & fuisse etiam ibi præstantes Principes in utraq; parte, non dubium est. Inde aliquæ mutationes secutæ sunt.

Apelles, Cùm Venerem depingeret, curauit sibi triginta pulcherrimas uirgines eligi, quas intueretur. Similiter fecit Durerus, honestus uir, pictor Norimbergensis: cui gratificatæ sunt honestimæ matronæ

uirgines. Inde pater Lucæ pictoris, optimus & honestißimus senex, iocari solebat in Gynæcio: antiquis pictoribus uirgines se nudabant, & contrectando in eis proportiones membrorum inueniebant.

Francofordiæ ad Mœnum est præclarißima pictura Dureri, qua expressa est assumptio Mariæ uirginis, cum ornamentis flosculorum.

Oda septima Pindarica tantæ fuit admirationis apud Rhodios, ut fuerit scripta in templo aureis literis, siue id in pariete, siue in membrana factum sit.

Ratisbonæ in monasterio est Testamentum nouum, scriptum aureis literis in membrana, quod uidi.

Basileæ fuit etiam nouum Testamentum græcum, aureis literis scriptum: quo ego usus sum adolescens. Erasmus eius facit mentionem, quia eo est usus in emendatione noui Testamenti.

Albertus Durerus, pictor Norimbergensis, sapiens uir, dixit: hoc interesse inter Lutheri & aliorũ Theologorum scripta, quòd ipse legens in prima pagina tres uel quatuor periodos scriptorum Lutheri, scire posset, quid esset expectandũ in toto opere. Et hanc esse laudẽ scriptorum Lutheri, uidelicet illam perspicuitatem & ordinem orationis. De alijs uerò dicebat, quòd postquã perlegisset totum librum, oporteret attentè cogitare quid uoluisset author dicere, uel de qua re disserat.

Imperator Carolus V. interrogabat legatum Brunsuicensem, dicens: Audiui in curia uestræ urbis multa esse monumenta ueterum Imperatorum. Est ne hoc ita? Respondit Legatus: Sic esse, & quædam monumenta

menta recitauit. Bene, inquit Imperator: ipse ueniam aliquando, ut eam inspiciam. Vidi ibi monumentum Henrici Aucupis, & coniugis eius, quæ fuit comitissa Northeimensis.

SYMBOLA ET SCVLpturæ in numismatibus.

Concordia res paruæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur. Summi Reges & Principes, sibi & alijs talia breuia præcepta ex sapientum libris electa sæpe præscripserunt. Sicut Augustus sæpe magistratibus in prouincias misit tales sententias. Et Agrippi Augusti amicus dixit, plurimum sibi profuisse hanc superiorem sententiam ad concordiæ studium cum Augusto.

Rex Alphonsus Hispanus, habuit pro symbolo Pellicanum: quam auem dicunt pullos proprio sanguine uiuificare, cùm editi sint exanimes, & adhuc sine motu, sicut etiam catuli leonum. Sed leo ingenti rugitu & halitu catulos animat, & uitam addit. Pellicanus autem sibi fodit pectus, & fundit sanguinem in pullos, quo ipsi uiuificantur. Hoc pinxit Rex, & ascripsit symbolum: Pro lege & grege. Significauit hoc symbolo, bonum principem debere cum periculo uitæ religionem & subditos defendere. Sic illi heroes dimicarunt: nos tantum quærimus aliena bella.

Medio tutissimus ibis. Medium tenuere beati.

Symbolum Maximiliani Imperatoris est: Tene mensuram, & respice finem. Sic numismatibus suis incudit.

cudit. Alias scripsit, Tene mensuram, & serua modum. Contraria huic est hæc antiqua sententia: Omne nimium uertitur in pfudich, uel nigrum monachū: id est Omne nimium conspuitur, aut fit deterius, uertitur in Diabolum. Quia diabolus est niger monachus.

Caroli V. Imperatoris sunt duæ columnæ Herculis, cum subscriptione: Plus ultra. Quid ipse hoc symbolo significare uoluerit, ignoro: fortaßis putat, restare aliā uitam post hanc uitam. Non intelligamus, eum aliquid uelle pro sua sapientia ultra mediocritatem.

Lysimachi aureus habuit hanc inscriptionem: πρόνοια καὶ τύχη: id est, prouidentia seu consilium & successus fortunæ. Hæc enim duo in rebus agendis debent esse coniuncta. Agnouit uir fortißimus, professusq́; est, ipsum non suo consilio aut uiribus quicquam feliciter transigere potuisse, nisi Deus adiuuisset, & euentus felices addidisset. Deus enim iuuat laborantes.

Augustus habuit capricornum ascendentem in horoscopo, ideoq́; ipsum incudit in auream suam monetam. Vespasianus quoq; habuit capricornum. Noster Imperator Carolus V. etiam habet capricornum, ascendentem in horoscopo. Regula communis habetur: Omnis habens capricornum in horoscopo ascendentem, facit mutationem in imperio Romano. Dicitur enim esse fatale signum in mutationibus Imperiorum.

Siclus Iudæorum est noster dimidius Ioachimicus: id est, quatuor drachmæ. In uno latere huius Iudaicæ monetæ fuit caliculus thuris, in altero latere, uirga

Aaronis.

Aaronis. Caliculus thuris ſignificat, in illo ſolo populo fuiſſe ueram inuocationem: thus enim ſignificat ſacrificium & inuocationem. Virga autem Aaronis ſignificat doctrinam legis, & gubernationem ſacerdotum: admonet nos hæc, quòd in illo ſolo populo fuerit uera Eccleſia, ſincera uerbi diuini doctrina, & uera inuocatio. Veteres enim uoluerunt in numiſmatibus ſymbola ſculpere, quæ aliquid monerent.

Vidi aureum excuſum in urbe Monaſterienſi, cui inſcriptum erat: Rex in templo Dei.

In ſtatu a Mercuriali fuerunt hæ ſententiæ ſculptæ, τῆχε δίκαια φρονῶν: uade, ambula uolens iuſta. Altera, μὴ φίλον ἐξαπάτα: ne decipias amicum.

Fuerunt literæ ſalui conductus, ſeu fidei publicæ, quibus promittitur ſecuritas uiatori iuſto: non ſis latro, ſed iuſtus, nec decipias amicum.

Iulianus poſt Conſtantinum Magnum, rurſus amplexus eſt doctrinam Ethnicam, & pinxit ſuam imaginem in numiſmate, cui Iupiter imponit coronam, & Pallas inijcit ei trabeam, Mercurius uerò præbet ei ſceptrum.

Symbolum D. Goſtaui, regis Sueciæ.

Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.

Eiuſdem.

Deus dat, cui vult.

Vidi nuper monetam ueterem, in cuius altera parte fuit Zopyrus, in altera Zoilus. Fuit imago aulæ,

Zopyrus significauit, in illo numismate, benè merentem. Nota est enim Zopyri fidelitas erga Darium: qui cùm aliquando habebat malum granatum, dixit se optare tot habere Zopyros, quot malum haberet grana. Zoilus uerò significat calumniatorem: quia comitantur calumniæ benè merentes.

Valerianus excudit monetam admodum pulchram, cum inscriptione cornucopiæ: non uidi pulchriorem aureum.

In moneta Theodosij, in uno latere fuit ipsius imago, & in altero latere uexillum crucis, & non aquila. Credo ipsum primum ex Principibus Christianis uexillum in moneta excusum habuisse.

Habui monetam, quæ fuit Ludouici Pij, cuius inscriptio erat, Cludouicus, inde postea fecerunt Clodouicus.

Symbolum Rodolphi, optimi Principis in Dessaw, (qui fuit Dux Maximiliani Imperatoris, in Italia) pinxit leonem, & ante eum uirginem, sub quercu nudam, cui leo porrigebat pedem, & uirgo timida semper uerebatur, ne à leone discerperetur, ac inscripsit: Alle zeit mit sorgen.

Etiam in Italia quidam recens fecerunt pulchra symbola. Dux Ferrariensis cudit aureum cum inscriptione: Quæ Cæsaris, Cæsari: Quæ Dei, Deo. Optarem nos multos aureos possidere, eo ipso, ut symbola melius consideraremus.

In templo Delphico fuerunt hæ tres sententiæ scriptæ: μηδὲν ἄγαν, γνῶθι σεαυτὸν, ἐγγύη, παρὰ δ᾽ ἄτη.

Regis

Regis Hispaniæ Philippi, Caroli V. Imperatoris filij, hoc symbolum esse dicitur, Nec spe, nec metu. Ignoro quid sibi uelit hoc symbolo.

Friderici Imperatoris symbolum est, T. Q. P. Tantum, quantum possum. Significauit, non esse tentanda maiora uiribus.

Ducis Ernesti Luneburgensis fuit, candelabrum cum candela ardente, additis his literis, A. S. M. C. Alijs seruio, meipsum contero.

Ducis Henrici Brunsuicensis est, M. Z. M. V. Meit zeit mit vntrew.

Ducis Mauricij Saxoniæ, V. G. M. A. Vieleicht gerets mir auch. Fortes fortuna adiuuat.

Regis Daniæ, S. M. C. Spes mea Christus.

Reginæ Daniæ, A. G. S. D. VV. Ach Gott schaff deinen willen.

Ducis Iuliacensis, Spartam nactus es, hanc orna.

Ducis Saxoniæ Ioannis Friderici, Fide, sed cui, Vertrawe/vnd nicht zu viel.

Imperatoris Ferdinandi, F. I. E. P. M. Fiat iusticia & pereat mundus. Item, O. M. D. M. M.

Duces Saxoniæ illud usurparunt, Verbum Domini manet in æternum. Initio autem electum fuit à Duce Friderico hoc pacto. Cùm iußisset Dominus Spalatinum colligere aliquot bona dicta, ex multis, quæ ille conscripserat, hoc unicum elegit.

Idem symbolum, Verbum Domini manet in æternum, usurpauit Georgius Marchio Brandeburgensis, quod, quandiu uixit, seruauit: Idē princeps Georgius

simile dictum habuit in moneta sua : Si Deus pro nobis, quis contra nos ?

Lutheri : Viuit, scilicet Christus. Si non uiueret, uellem me non unam horam uiuere, & hæ literæ habent mysterium, quod Lutherus explicare noluit.

Noua moneta ciuitatis Tigurinæ : Conserua nos Domine in pace. Moneta ciuitatis Schaffhusiensis: Deus spes nostra.

Symbolum Erdmanni Copernici.

Certa quidem spes est, quòd vitam qui dedit, idem
Et velit, & possit suppeditare cibum.

ERAS-

ERASMI SYMBOLVM. TERMINVS.

ὅρα τέλος μακροῦ βίου.

Mors vltima linea rerum.

CONCEDO



NVLLI.

ERASMVS ROTERODAMVS ornatiſſimo viro Alfonſo Vualdeſio, Cæſareæ Maieſtatis Secretario, S. P.

Quòd mihi pro tuo ingenio modeſtißimè ſignificas, idem ex aliorum literis dilucidè cognoui, extitiſſe, qui terminum, annuli mei ſigillum, in calumniã uocent, uociferantes, intolerabilis arrogantiæ eſſe, quod adiectum eſt ſymbolum, Concedo nulli. Quid eſt, ſi hic non eſt fatalis quidam morbus, calumniandi omnia? Ridetur Momus, qui ſandalium Veneris reprehenderit, at iſti Momum ipſum ſuperant, qui in annulo quod arrodant, inuenerint. Momos dicerem, ſed Momus nihil carpit, niſi quod prius attentè perſpexerit. Iſti φίλαυκοι, uel ſycophantæ potius, clauſis oculis carpunt, quod nec uident nec intelligunt. Tanta eſt morbi uis. Atq; interim ſibi uidentur Eccleſiæ columnæ, quum nihil aliud quàm traducant ſuam ſtoliditatem, cum pari malicia coniunctam, iam notiores orbi, quàm expedit. Somniant ab Eraſmo dici CONCEDO NVLLI. Atqui ſi mea ſcripta legerent, uiderent uix quenquam eſſe tàm mediocrem, ut illi me præferam, citius concedens omnibus, quàm nulli. Iam qui me propius ex conuictu familiari nouerunt, quiduis uitij tribuent potius, quam arrogantiam, meq; fatebuntur propiorem eſſe illi Socratico, Hoc unum ſcio, me nihil ſcire, quàm huic, Concedo nulli. Sed fingat animum tam inſolentem eſſe mihi, ut memet omnibus anteponam, etiam ne tam ſtultum exiſtimant, ut in ſymbolo profitear? Si quid haberent Chri-

ſtianæ

stianæ mentis, interpretarentur ea uerba aut non esse mea, aut aliam habere sententiam. Videns illic sculptam imaginem, infernè saxum, supernè iuuenem capillis uolantibus. An hæc habet aliquid Erasmi? Id si parum est, uidens in ipso saxo expressum, Terminus, in quam dictionem si desinas, uersus erit Iambicus dimeter acatalectus, Concedo nulli Terminus. Si hinc incipias, erit dimeter trochaicus acatalectus, Terminus concedo nulli. Quid si pinxissem leonem, & addidissem symboli loco: Fuge ni mauis discerpi: num hæc uerba mihi tribuerent pro leone? At nihilo sanius est quod nunc faciunt. Nam similior leoni sum, quàm saxo, ni fallor. Dicent: Non animaduertimus esse carmen, nec nouimus Terminum. An igitur posthac crimen erit, scripsisse carmen, quoniam illi metricam rationem non didicerunt? Certè cùm scirent in huiusmodi symbolis captari etiam obscuritatis aliquid, quod coniecturas intuentium exerceat: si non nouerant Terminum, quanquam hoc ex Augustini & Ambrosij libris poterant discere: sciscitari debebant à talium rerum peritis. Olim fines agrorum signo quopiam discernebantur, id erat saxum è terra prominens, quod ἀκίνητον esse iubebant priscorum leges, quarum hæc uox est apud Platonem, Quæ non posuisti, ne tollas. Addita est superstitio, quo magis deterretur imperita multitudo, à tollendi audacia, dum credit in saxo uiolari Deum, quem Romani Terminum uocant, cui fanum & festum etiam dicatum Terminalia. Hic Terminus, ut est in Romanis annalibus, solus Ioui

noluit concedere, quòd quum cæterorũ omnium sacellorum exaugurationes admitterent, aues in solo Termini fano non addixere. Refert T. Liuius lib. ab urb. cond. 1. ac rursus lib. 6. narrat, quòd quũ augurato liberaretur Capitolium, Iuuentus Terminusq; moueri se passi non sunt. Id omen magno omnium gaudio exceptũ est, quòd existimarent portendi perpetuitatem imperij. Iuuentus ad bellum utilis, & Terminus fixus est. Hic fortè clamabunt, Quid tibi cũ fabuloso Deo? Obuenit, non ascitus est. Alexander Archiepiscopus titulo S. Andreæ, cùm à patre Iacobo Scotiæ Rege, Senis, in patriã reuocaretur, mihi Romam euocato, uelut gratus & amicus discipulus, annulos aliquot dono dedit, habitæ inter nos consuetudinis μνημόσυνον. In his erat, qui in gemma sculptum habebat Terminum. Nam hoc prius ignotum, indicauit Italus quidam, rerum antiquarum curiosus. Arripui omen, & interpretatus sum, admoneri me, non procul abesse uitæ terminum. Nam id temporis agebam annum circiter quadragesimũ. Hæc cogitatio ne posset excidere, literis hoc signum imprimere cœpi. Addidi carmen, ut antè dictum est. Itaq; ex profano Deo feci mihi symbolum, adhortans ad uitæ correctionem. Mors enim uerè Terminus est, qui nulli cedere nouit. Atqui in fusili imagine adscriptum est Græcè, ὅρα τέλος μακροῦ βίου, id est, Specta finem longæ uitæ. Latinè, Mors ultima linea rerum. Poteras, inquient, insculpere defuncti cranium. Forsitan accepturus eram, si obuenisset, sed hoc arrisit primùm, quia fortuito contigit, deinde, quòd geminam haberet gratiam,

alte-

alteram ex allusione ad priscam et celebrem historiam, alteram ex obscuritate, quæ symbolis est peculiaris. Habes Apologiam de Termino, seu uerius de lana caprina. Atq; utinam isti tandem calumnijs suis terminum ponerent. Lubens enim cum illis paciscar, ut mutem symbolum meum, si illi mutent morbum suum. Ita sanè rectius consuluerint authoritati suæ, quam clamant per bonarum literarum studiosos labefactari. Ego profectò tantum absum à cupiditate lædendi existimationem istorum, ut uehementer doleam, quòd ipsi sese tàm stolidis sycophantijs orbi propinent deridendos, nec erubescant toties ludibrio confutati. Dominus te seruet incolumem & corpore & animo, amice in CHRISTO, charißime. Datum Basileæ, Calend. Augusti, Anno 1528.



IDOLVM SILENTII
Pythagorici loquitur.

Qvid stas, quæso, quid hic frustrà teris ocia tanti?
Spectando, & faciem sollicitando meam?
Cur non mente domi potius, manibusq; laboras,
Quod prodesse tibi poßit, & inde tuis?
Nescis, esse nihil teneris preciosius horis,
Et quàm euanescant prætereantq; citò?
Nec redeant, ulla nec poßint lege reduci,
Vt malè collatæ præteriere semel?
Ergò domùm repeda, quiddamq; operare decorum,
Vnde tibi poßit dulce uenire lucrum.
Quod si omnino uelis, quid sim, quid significemq;
Scire, etsi hæc clausa est lingua petulca mihi.
Commemorare tamen tibi uoce nequiuero clara,
Murmure saltem aliquo significabo breui.
Sum uetus idolum, quod mando silentia longa,
His, citò qui uolunt discere, iusta loqui.
Qui simul & pulchrè, prudenter & omnia & aptè
Effari cupiunt, ac sapienter item.
Ad quod pertinet, opportunè ut singula dicant,
Vt tacere etiam cum ratione queant.
Nam uix ritè loqui poterit, qui ritè tacere
Non etiam poterit laude & honore pari.
Quæris, origo mihi quæ sit? dicam hoc quoq; Phœbi
Hospitium, patria est Græcia docta mihi.
Illic me ipse suis regem legemq; solebat,
Discipulis Samius præposuisse sophos.
Nempe, ut semper eos tacitusq; silensq; monerem,
Quid faciendum ipsis hac quoq; parte foret.

Dum

Dum simul eloquio cuperent clarescere summo,
Totius & sophiæ cognitione pari,
Quæ coniuncta nisi certis sint legibus ambo,
Non sapiens fies, sed furiosus homo.
Imprudenter enim & non iusto tempore quoduis
Dicere, sæpè mali grandis origo fuit.
Et ueluti prudens lingua, aut quæ iudice semper
Optima quæq; loqui cum ratione solet,
Vrbibus & totis regnis sæpè utilis ipsos
Cum ducibus populos totaq; regna beat:
Sic lingua imprudens, temeraria, garrula, & omnis
Quæ sine iudicio singula dicit, obest.
Bellaq; sæpè mouens, quassatas destruit urbes,
Sæpè malum imperijs exitiale parit.
Hinc ut discipulos rectè informaret honestos
Ipse senex Samius, Pythagorasq; pater.
Nec modò facundos faceret, sed commodè & aptè
Vtiliterq; loqui, ritè doceret eos.
Ritè tacere etiam, & meditari singula secum
Est solitus pueros edocuisse suos.
Totius indixit quibus inde silentia lustri,
Cuius ego haud dubium symbolon edo rei.
Forsan & hos oculos toruos miraris, & illam
Quæ Curios posset frons decuisse senes,
Et nimium patulas aures, quales habet ipsum
Prolixè auritum uix pecus Arcadicum.
Quidue uelit labijs insertus is annulus, osq;
Occlusum, ex quo uix murmura pauca capis.

Nil

Nil ſine prudenti fecit ratione Vetuſtas,
Quæ talem uultum, hæc finxit & ora mihi.
Palladius etenim Sophiæ ſeptemplicis artes
Mente ſequuturus, curſibus atq; pijs:
Non homo ſeruilis, ſtudioſus amansq; cachinni,
More puellari debet is eſſe leuis:
Sed uultu, ſed & ore grauis, uerbisq; modeſtus,
Multa audire quidem, ſed niſi pauca loqui.
Vir doctus prudensq;, uir eloquioq; futurus
Conſilijs animi præſidijsq; potens,
Multa audire prius, multa optima diſcere debet,
Quàm ſibi ius aliqua ſumat in urbe loqui.
Conuenit huic etiam, duros imponere frenos
Ori, ac ſic linguam compoſuiſſe ſuam.
Ne, quod non deceat, triſteſue exuſcitet iras,
In medium non ſat præmeditata ferat.
Sed præclara, ſed utilia, & quibus eſt opus urbi,
Eximia populo dicere laude queat.
Talis lingua homini prudenti conuenit, urbes
Qui regere imperio debet, & ore graui.
Talem hominis linguam uoluit Deus eſſe, potentem
Verborum neruis & bonitate quidem,
Sed non præcipitem, ſed non petulantem & agreſtem,
Quæ ſine iudicio in plurima uerba ruat.
At moderatam, ac prudentem, at ſapientem & amicã,
Quæ populis monſtrat dextera quæq; ſuis.
Sic priuata domi quoq; lingua ſit utilis, & ſit
Grata Deo, de quo nil niſi pulchra ſonet.

Dicat

Dicat honesta, pudica, benigna, atq; utile quicquid
Humanis studijs, rebus & esse queat.
Non serat aut rixas, aut bella cruenta, uel iras.
Sed placidæ quærat pacis ubiq; decus.
Hinc aures natura duas homini dedit, author
Naturæ omnis conditor ipse Deus.
Os tamen ut paruum, sic unum, eiusq; ministram
Aut sociam, linguam paruam etiam, atq; breuem.
Nempe quòd audiri pateretur plurima, dici
Multa sed omnino non pateretur item.
A multis siquidem sermonibus ampla malorum
Agmina (teste Deo) non procul esse solent.
Hæc sunt, spectator, quæ tu fortaßè cupisti
Scire, & ego uolui sic aperire tibi.
Feci quod potui, dicturus plura, sed obstat
Clausa & fessa mihi iam propè lingua, Vale.

CASPAR BRVSCHIVS P. L. & c.
P. faciebat Basileæ, apud Oporinum,
1553. Mense Iulio,

ORACVLA ET AENIGMATA.

Athenienses consuluerunt oraculum, num essent fœliciter illaturi bellum Syracusanis. Oraculum respondit, Capietis omnes Syracusanos ciues. Ipsi insolentes lætabantur hoc oraculo. Verùm sicut diabolus decipere solet, non iuxta uotum suum homines captiuos abduxerunt, sed hoc modo ceperunt: Venerunt in manus Atheniensium tabulæ, quibus inscripta erant nomina Syracusanorum ciuium. Ita ceperunt Syracusanos ciues.

ues, sed postea ipsi Athenienses capti et interfecti sunt.

Archimedes cùm specularetur sedens in balneo, de proportione ponderis auri & argenti, eamq; ex aquæ effluxu inuenisset, percurrit nudus per medias plateas clamitans, ἕυρηκα, ἕυρηκα, inueni. Quando uis scire, quantum auri sit in cyatho deaurato, qui aliás est argenteus, pondera primùm cyathum in aëre, postea eodem pondere in aqua, tunc deauratus cyathus erit ponderosior, & quo est ponderosior, tantum est auri in eo. Vmb des das er schwerer ist im wasser/denn außerhalb dem wasser, so schwer gold ist darbey. Hæc est ratio, quam Archimedes sedens in balneo inuenit, fuitq; solicitudo uocationis. De his uide plura in Vitruuio.

Proponi solet in ænigmate, Quænam illa res sit, cuius nulla unquam nos capiat satietas? Respondetur, Sola sanitas. seu uita talis est, ut eius per se nullum oboriri poßit tædium. Cibo & potu citò satiari solemus, etiam satietatis facile nausea quædam oboritur, iuxta dictum uerißimum Thaletis, Iucundius est parare amicum, quàm retinere.

Aliud.

Homo quidam probus ab alio nequam petebat donum, quod præstantius erat toto mundo. Explicatio ænigmatis talis est: Nicodemus uir bonus petiuit à nequam, nempe Pilato, donum toto mundo preciosius, uidelicet corpus Christi. In talibus ænigmatibus, in quibus aliquid doctrinæ est, prodest iuniores subinde exercere, quo ingenium exacuant.

Cæsar

Cæsar Maximilianus fuit clemens Princeps, Er hat vielen auff die Beine geholffen/ *Id est, quòd ex equitibus facti sunt pedites.*

ACVTE, FESTIVE, SALSE dicta, ac prouerbia.

Est bis apud Demosthenem, Non *est dicendum, idem factum est, sed quærendum est, an rectè factũ sit? Augustinus.* V*itiosa consuetudo non est anteferenda ueritati.* Dominus *enim inquit,* Ego *sum uia, ueritas & uita.* Non *inquit, ego sum consuetudo.*

Erasmus elegantißimè scripsit de Thoma Moro. *Cùm* Rex *Angliæ Morum Cancellarium fecisset, ipsum fuisse* φιλοβασιλέα, *cùm iterum ab officio remouisset, fuisse* φιλόμωρον. *Est festiua ambiguitas.*

Normbergæ in curia scriptum est: V*nius uiri oratio dimidia oratio,* Germ*anicè sic:* Eines Mannes rede ist keine rede/ Man sol beide theil verhörẽ.

Rex *Alphonsus solitus est dicere de mediatoribus, eos similes esse habitantibus in medijs ædibus qui perfunduntur lotio à superioribus, & læduntur fimo ab inferioribus. Sic plerunq; mediatores utrinq; læduntur, sicut uespertilio laceratur à muribus & auibus.* Fuit *hic rex ita sapiens & bellicosus, ualens consilio & potentia, ut haberetur unus ex præstantißimis principibus illius ætatis.*

Cùm nunciata esset cuidam Magnati mors filij sui hostis maioris natu: nihil aliud dixit, nisi hoc, Q*uò plures moriuntur, eò minus habemus hostium.*

Statuit

Statuit ſibi non ualdè dolendum eſſe, cùm illi eſſent hoſtes.

Extat inſignis & memorabilis ſententia Friderici *Imperatoris, ſcripta* Noribergæ, *in quodam conclaui : Summa felicitas eſt rerum irrecuperabilium obliuio.*

Dux Albertus *quidam præſtans, ſapiens & magnanimus uir, qui recreationis cauſſa interdum illas ludorum ineptias amauit, magnam pecuniam profudit ludo teſſerarum.* Cùm *olim fortè multa millia aureorum luſu perdidiſſet, conuenientes ipſius conſiliarij deliberant de eo, ſicut erant homines ſapientes, ipſumq; tali præfatione alloquuntur, dicentes :* Ipſis *eſſe notas in omni diſciplinarum genere uirtutes illuſtrißimi* Principis, *tamen optandum eſſe, ut ipſe ea in re haberet ſuæ dignitatis rationem, & non ita luderet, non tantùm quia profunderet pecuniam, unde magnum incommodum ſequeretur, ſed etiam quòd poſſet ei accidere aliquid inter ludendum ab hominibus malis, quod nollent fieri.* Ibi Princeps *reſpondet :* Optimi *amici, ſcio uos candido animo me monere, ſed tamen magis debuiſſetis me reprehendere, quando lucratus fuiſſem.* Iam *ſatis pœnæ luo, cùm uehementer propter amiſſam pecuniam doleo.*

Landgrauius Vuilhelmus, *pater huius* Philippi, *qui adhuc uiuit, fuit admodum facetus, eruditus & facundus, quemadmodum &* Philippus *eſt, ſed continentior patre.* Cùm *ſemel* Principes *eſſent in conuentu, & expectarent* Imperatorem Maximilianum *ante cubicu-*

biculum, hic Vuilhelmus, ut Princeps adhuc iuuenis, cum cæteris principibus iunioribus suo more iocabatur ante cubiculum, ibi alius princeps magnæ authoritatis, ualens etiam corporis robore, ad Vuilhelmum dicebat: Domine Lantgraui, ego scirem ad quid prodesses. Domine princeps, respondit Vuilhelmus, nescio sane ad quid prodessem, sum adhuc iuuenis, neq; tam exercitatus, ut possim intelligere ad quid potißimum prodessem. At alter: Dicam tibi, siquidem cupis scire. Imò dicito: Ihr weret recht zu meinen Löwen, denn ihr habt viel kalbfleisch. Sic solent notare eos, qui se nimis petulanter gerunt, & minus decentes gestus præ se ferunt. Sed Lantgrauius Vuilhelmus celeriter respondit: Domine princeps, licet & mihi proferre ad quid tua celsitudo prodesset? Imò ritè potes, inquit, dicere. Si uis me audire ac æquo animo ferre, dicam: Ewer gnaden weren gut das man junge affen bey jhr aufszüge, das sie vntrew von ihr lerneten. Et sic salsißimè illum taxauit, qui talis existimabatur. Cæteri astantes principes tacebant, & dißimulabant, quia uerè illum taxauerat.

Rex Ptolemæus reprehendebat quasdam uoculas in cantu cuiusdam Musici. Musicus respondit: Rex aliud est plectrum, aliud sceptrum.

Δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι

Erat me puero, Heydelbergæ sapiens & bonus uir citharœdus, patria Moguntinus, qui optimè canebat testudine. Ille dicebat, sibi nullam cantilenam satisfacere, nisi quando primùm eius oblitus, secundò eandem

 disceret.

disceret. Et uerum est, ut omnes qui sunt sapientes in suo negocio, fateri coguntur,

Albertus Durerus sæpe dicebat, quòd cùm pinxisset aliquid, qua potuisset summa cura & diligentia, ac deinde post triennium idem inspiceret, mirabiliter displiceret, ita ut uix sine ingenti dolore intueri posset.

Sic Momus dicit ad Iouem apud Lucianum: οὐδὲν πάσχεις κακὸν, ἂν μὴ προσποιῇ: nihil pateris mali, si non indulgeas affectui, uel si non afficiaris. Melius Germani exprimunt: Es geschicht dir nicht wehe/ wenn du dichs nicht annimpst. Vt, Christũ non lædebant Iudæi, quando ad eũ dicebant: Samaritanus es.

Senex quidam, alio ad eum dicente: Lieber Freund/ jr habt ein eigen Kopff. Vere & grauiter respondit: Ja lieber Freund / ich habe mein Kopff/ vnd wenn ich den nicht hette/ jr würdet mir den ewren nicht leihen.

οὐ διὰ τὴν ἁμαρτίαν ποδὸς πρὸς λύραν: id est, Non propter erratum pedis in chorea plectitur, aut quòd errauerit in aliquo articulo, sed agitur aliud quiddam. Valde usitatum est in uita aliud agi, aliud ostendi.

Quidam habens tentationes spirituales, fuit nobis molestus, conquerebaturq; se sæpius relabi in adulteria. Nuncius autem eius incusabat eum, quòd sibi non solueret debitam mercedem. Rescripsit illi, cùm haberet tam malam conscientiam de peccatis commißis, Quare etiam non haberet malam conscientiam, quòd non solueret mercedem misero nuncio?

Doctor quidam Iurisconsultus, uir honestus & erudi-

eruditus, cùm pro cliente causam diceret, & ad scriptum contrariæ parti responderet, dixit: Argumenta quæ aduersaria pars contra me adduxit, sunt argumenta carbonariorum. Audiens hoc contrariæ partis rabula, finita oratione doctoris, ita loqui incipit, & inter cætera quæ pro necessitate causæ dicenda erant, etiam hoc adiecit: Quòd autem Doctor nobis obijcit, nostra argumenta esse argumenta carbonariorum, id dominis meis æquissimis iudicibus iudicandum relinquo, uter nostrum carbonario sit similior. Erat enim Doctor homo niger. Hæc fuit festiua oratio, ad quam etiam ipse Doctor respondit: profectò egregiè reddidisti talionem, & par pari retulisti.

Interfui aliquando disputationi acerrimæ pictoris, & alterius cuiusdam, qui cùm diu acriter disputassent, tandem ille alter dixit ad pictorem: Hæc non ita exactè depingi possunt, uolens eum hortari, ut desisteret, nec omnia scrutaretur. Pictor autem excanduit, putans suam artem hoc scommate taxari, & respondit: Imò tuum propositum nec uerbis uerisimiliter exprimi potest. Ita obijciebat illi artẽ, in qua alter excellebat, iudicans ea esse obscuriora, quæ quis eloqui non posset, quàm quæ pingi nequeunt. Multa enim non possunt pingi, quæ tamen uerbis utcunq; declarari possunt. Angelus à nemine pingi potest. Pinguntur quidem pueri duabus alis: non tamen sunt angeli, nec ueram angelorum formam referunt. Sed mens cogitare potest, quid sint angeli.

Piscator ictus sapit, si tamen sapit. Serò sapiunt

Phryges. Sic dicitur communi prouerbio: Italus sapit ante factum, Gallus in facto, Germanus post factum.

Erphurdiæ quidam procurator multas causas solus agens, sine alijs aduocatis, quamuis solus staret in Senatu: tamen plerunq;, quoties erat ei respondendum ad dictam aduersariæ partis intentionem, petiuit spacium ad deliberandum. Festiui interrogauerunt: Cum quo uis deliberare, cùm sis solus? Respondit: Cum isto, cum isto: monstrans ipsis suum caput.

Dux Fridericus dixit: Nihil magis cauendum est gubernatori, quàm ne subitò respondeat. Ego recitabam aliquando doctori Pontano hoc dictum ducis Friderici, unà cum dicto Demosthenis, qui, cùm ei obijceretur, quod ueniret præmeditatus ad dicendū, respondit: Se uerò improbū ciuem iudicare, qui non ueniret præmeditatus in publicum, ad sententiam dicendam, & dicit amplius: Se, si fieri posset, dicturum non tantum scripta, sed etiam sculpta: id est, sumpturum longam moram ad deliberandum.

Dux Saxoniæ Iohannes Fridericus sæpe solitus est dicere: causæ sæpe conciliari possent, si hominum uoluntates possent coniungi.

οὐδεὶς ἀνθρώπων ἐστὶ ἅπαντα σοφός. Quisq; aliquid fatuitatis habet adiunctum. Doctor Hieronymus Schurpff solebat iocari. Ego ingenuè fatuor, pro fateor. Nos omnes fatuamur satis stolidè.

Prouerbium valde vsitatum
Germanis.

Wer Prediger vnd Weiber schendet / dem wirds nimmer-

nimmermehr wolgeben: id est, qui contemnit ministerium prædicandi, & personas illo officio fungentes: mulieres, id est unde soboles & politiæ procreantur. Quare contemnentes ministerium & mulieres, contemnunt Deum & homines.

Audiui Basileæ simile referri à honesta & pia persona (quæ optimè de sanitate & ualetudine D. Oporini meretur) dicente. Quòd is qui in contractibus matrimonialibus deciperet simplicem fœmineum sexum, diuinam ultionem non effugerit, eandem sententiam multis exemplis probauit, ostenditq; quædam ubi Deus in altero coniugio tales deceptores sobole priuasset,

ὦ μάκαρ φρόνησις ἐν χρηστῷ τρόπῳ.
ὡς ἡδὺ συνέσει χρηστότης κεκραμένη.

O quàm felix est sapientia cum bonitate. Quàm iucunda est probitas coniuncta cum consilio. Aliqui sunt boni, sed sunt ignaui, non circumspecti: natura quidem benefici, sed nihil transigentes. Econtra multi sunt astuti & callidi, sed sunt mali: quod est perniciosum, & lupinum quiddam. Sed coniuncta sapientia cum bonitate, & bonitas habens moderatricem sapientiam, illa est pulcherrima uirtutum copulatio. Mercurinus dixit de Imperatore Carolo V. Principes Germaniæ benè fecerunt, quòd elegerunt Carolum V. Imperatorem, illi experientur ipsum esse sapientem & bonum principem.

Monachorum regula: Daus es hat nichts / seß sinck gibt nichts / quater drey die müssen sich leiden.

Eim jeden gefelt sein weise wol/
Darumb ist die Welt Narren vol.
Können wir nicht alle dichten/
So wollen wir alle richten.

Vetustas dixit: Bene olere, est nihil olere. Item, Crede mihi, sapere non est nimium sapere.

Erasmus dicere solebat: Ego non libenter uescor piscibus: nam stomachus est Lutheranus, & mens est Christiana. Venustißimè dictum est, & bella ambiguitas in stomacho, quæ uox hic pro iracundia seu indignatione sumitur. Vult dicere. Ego non minus irascor sceleribus Papæ, quàm ipse Lutherus.

Dux Fridericus dicere solitus est: Colite probitatem, facilè enim destiteritis, ubi uultis.

Plutarchus dicit: eos qui somniant se imitari clarißima facta præstantium uirorum, similes esse pueris, qui induunt thoraces, & alia arma grandiorum parentum. Sicut panoplia parentum non rectè potest accommodari ad corpora filiorum parua: sic non conueniunt nostra facta cum heroicis præstantißimorum hominum factis.

VRBANITATES, SALES, Facetiæ & insulsitates.

Quidam ingeniosus homo, interrogabat magistrandum in Academia Friburgensi, Quare fieret nix? Ille simplex respondit. Quia Deus sic uult. At alter inquit: Melius respondit, quàm nos omnes, quia nemo potest sufficientes causas niuis reddere, & sic ab ipso discessit.

Quidam nobilis adolescens Tubingæ, uolens exercere Latinam linguam, delegit sibi carmen uertendum, quod tunc erat editum de caussa Capnionis, cuius primus uersus sic inchoatur: O Welt/Welt/wie bistu so verkert. Hunc ipse sic uertit, O munde munde, quàm es peruerse. Rhythmus quidem bonus erat, sed constructio non congruebat.

Alia.

Parasion elegos aurum Tyriumq; parergum,
Post fato Decker debeo Marce tuo.

Hi uersus Erphurdiæ in templo scripti inueniuntur, quos quidam composuit, uolens etiam uideri Poëta. Voluit autem hoc modo interpretari: Ego debeo tibi Marce Decker, post fato, posuit pro post fatum, id est, mortem, parasium, id est, picturam: elegos, id est, istos duos uersus: tyrium parergum, id est, rubeum colorem.

Quidam sciolus admodum falsè legebat Magnificat: ac inter cætera, cùm peruenisset ad uersum, Dispersit superbos, ibiq; in uoce Superbos ultima syllaba in priore linea deficeret, quæ inchoata erat in sequenti uersu, dicebat: Proh Deum, non est rectum: oportet esse Super bouem. Hoc est corrigere uelle Magnificat.

Amiserat quidam Romæ quinq; capellas, quas suspicabatur uicinum suum esse furatum. Accusat igitur eum, conducens causidicum, qui eius caussas in foro ageret. Causidicus uerò in foro dicere de bello Punico, de Scipionibus & Annibale, quantas res terra ma-

riq; gesserint: & quòd Scipio sibi, suis, patriæq; usui & ornamento, Annibal autem sibi & suis exitio fuisset. Aßistens autem actor tristi uultu: Quæso, inquit, dicas etiam aliquid de meis capellis. Quo auditu à populo, causidicus explosus est è foro, cum isto ambitioso ornatu, quia nihil πρός ἔπος erat.

Quidam nobilis inuitauit quondam D. Iohannem Baptistam Bacheleb ad conuiuium. Cùm idem Doctor Iohannes Bacheleb finito conuiuio nobili ualediceret, ibi nobilis prius uocat ad mensam suum morionem atq; doctorem his uerbis alloquitur, inquiens: Domine Bacheleb (monstrans ipsi simul morionem) nonne hic bene exercitatum, uarijsq; artibus instructum doctorem habeo? Ad quæ Doctor subitò infert, dicens: Profectò benè me mones: nam ego domi meæ nunc temporis similem alo nobilem, ex tua familia natum. Sic par pari referebat.

Nobilis quidam in aula principis Saxoniæ, uidens Principem ualde anxium esse de ista pestifera doctrina, uulgo Interim dicta, inquit: Clementißime Princeps, quid multum sollicitus es de isto Interim? Ego Interim non solum suscipere, uerum etiam comedere & bibere, simulq; cum eo dormire possum. Princeps quærit, quomodo hoc fieri poßit? Respondit nobilis: Si quando libum, aut melipectam comedam, tum neq; panem neq; similam, sed quid aliud interim comedo. Si bibo mulsum, neq; uinum neq; cereuisiam bibo. Cùm porrò inebriatus domum reuertor, concidens in ianuæ limine

obdor-

obdormio: sic interim neq; in domo aut hypocausto, neq; foris iaceo. Ita *facetus homo delusit istam doctrinam, & ludendo tamen uera dixit.*

Morio *ducis* Friderici Claus Narr, *stetit ad mensam, & omnes cibos quos habebat canibus proiecit.* In*terrogatus tandem, cur id faceret?* Respondit: Date *& dabitur uobis.*

In *bello contra* Turcam, Episcopus *quidam exercitum sic consolatus est:* Charissimi *fortissimiq; milites, hodie uos uiros fortes præbete.* Efficiemini *enim equites* Christi. Et *certo uobis promittere possum, quicunq; hodie fortiter occumbant, eos uesperi cum* Deo *cœlesti cœna exceptum iri.* Postquam *uerò ad prælium deuentum esset,* Episcopus *se subduxit post principia.* Quare *milites quærentes inuicem causam cur non* Episcopus *cum ipsis cœnam in cœlo comedere uellet?* Ad *hæc quidam responderunt alij:* Hodie *sibi ieiunium indixit, ideoq; non uult nobiscum in cœlo cœnare.*

Quidam Græcus *ueniens* Romam, *cùm ei offeretur honos domini, respondit:* ὀυκ ἐθέλω δόμινε ὀυ γὰρ ἔχω δόμιναι.

Noui *aliquem in cuiusdam domini aula, qui meruit stipendium mille florenorum hac scurrilitate, cum opinione uirtutis, seu potius fortitudinis.* Ascendit *uidelicet in mensam, & excrementa naturæ reddidit in consessu multorum honestorum hominum.* Hoc *erat illud egregium factum, ab ipso præstitum, tanto scilicet munere dignum.*

Quidam obiurgauit ebrium, dicens: Non te pudet sic inebriari? Ille respondit: Non te pudet ita ebrium obiurgare?

Interrogatus aliquando quid boni ex doctrina Euangelij uenisset? Respondit: Multi boni pueri inde uenerunt.

Germanico fertur prouerbio: Bischoff oder Bader. *Hinc bonus & pius quidam Dux, post bellum concedens in thermas: iocari de se solitus est, dicens:* Ich wolt Bischoff werden/so bin ich ein Bader worden.

Norinbergæ quidam ciuis morosior iusto, habebat famulum facientem multa πάρεργα. Quæ cùm dominus ægreferens repræhenderet, respondit seruus: Conscribe igitur mihi in charta, ut sciam quæ sint mei officij. Dominus sequens consilium serui, ipsi omnia officia conscribit, ut præter ea nullis parergis distraheretur: postea ipse fortè lapsus est in uia. Vocat seruum, inquiens: Cur me non erigis? At seruus: Volo prius uidere an sit in mea charta.

Concionator quidam in oppido quodam, sic de furto concionatus est: Sæpe, uos charißimi amici, adhortatus sum, ne quis furtum faceret. Nihilominus intra paucos dies aliquis uestrûm furto aliquid mihi abstulit: quem benè noui, & nunc hoc libro tangere possem: interimq; gestum minantis iactum præferebat. Ita ille qui fecerat, aufugit è templo, seipsum prodens: cùm alioqui illi esset ignotus. Sic fictis nominibus taxantur sæpe in nobis scelera.

Cùm

Cùm Capnio aliquando esset conuiua Ducis Vuirtenbergensis, Dux apposuit illi de ferma. Ille cùm uellet esse ciuilior, & excipere cultello, excidit illi in cyathum. Postea illud uolens corrigere alia ciuilitate, & eximere cultro, tunc effudit cyathum in mensam. Sic plerunq; nobis accidit, ut quando uitia corrigere conamur, in deteriora incidamus. Eobanus, uir bonus, ad quendam nostrum semiebrium amicum dixerat: Ey tu es stultus. Ille grauiter ferebat, & erat ualde ineptus. Postero uerò die pœnituit eum, uenitq; ad me, petens ut rem sopirem: quod me facturum promisi. Cùm igitur uenissemus ad ientaculum, iußi ipsum aliquandiu foris expectare. Eobanus cùm uideret ipsum abesse, iußit eum uocari. Ille uenit, dicens: Domine Eobane, appellasti me heri meo nomine, quod tunc non intellexi, iam uerò intelligo.

Guilhelmus Dux Bauariæ habuit quendam conuiuam, quem Marschalcus uoluit collocare supremo loco. Cùm autem ille diu repugnaret, tandem Marschalcus ipsi dabat baculum, inquiens: Si es Marschalcus, ipse collocato te in locum tibi conuenientē. Ipse erubuit, & postea in loco sibi monstrato assedit.

Maximilianus coquum aliquem fidelem legauit Caroli V. Imperatori, qui ex fidelitate quendam uenenum Imperatori parantem occiderat. Neminem enim ad Cæsaris culinaria admittebat. Erat autem natione Sueuus. Cùm igitur in inferiori Germania in forum prodijsset, uolens uuas passas emere, interrogauit mulierem, quo precio uenderet? Dicit mulier:

Zwat wil ghi bewen? At ille: ich wil nicht beuen, sed uuas. Mulier ait: ick vorsta iu nit. Respondit Sueuus: Rede ich doch braite wort.

Conradus de Rosis Imperatoris Maximiliani miles, homo lepidus (non uolo eum nominare scurram: gemmæ enim sunt raro inter lapillos) cùm aliqui principes in præsentia Imperatoris Maximiliani cum eo luderent, & ipse haberet duos chartaceos reges: interrogauit eos, an pecuniam uniuersam auferre deberet, qui tres haberet reges? Annuentibus illis, uocat Imperatorem Maximilianum, & suis manibus ipsum comprehendit, ac primum ostensis suis chartaceis regibus, inquit: Ecce hîc habetis duos: deinde monstrato Imperatore (at) ille est tertius, ac simul uniuersam pecuniam abripit. Insuper etiam addens: Talem chartaceum Regem tui principes te iudicant. Illud non tam fuit facetum quam ironicum.

Derisus est iste uersiculus Sardanapali, quem inscripserat sepulchro suo: Hæc habui quæ comedi, quæ bibi, &c. imò non habebat: quia perierat corpus cum multis quæ comederat & biberat.

Papa Iulius tertius, qui fuit ante Marcellum, dicitur fuisse turpis belua, dedita libidinibus obscœnis & gulæ. Cùm autem libenter comederet pauones, fortè sibi iusserat asseruari pauonem, qui utcunq; intactus superfuerat. Ministri uerò non curantes ipsius mandatum, eum comederunt, nec ad mensam domini retulerunt. Postea ipse interrogauit, ubi esset? Cùm intelligeret esse absumptum, cœpit commoueri, quòd

esset defraudatus tam delicato cibo. Cardinalis autem astans, uolens ipsius iram lenire, dixit: Sanctißime pater, non decet te ita ob leuem rem irasci. An ego non irascerer? tamen Deus est iratus propter morsum pomi. Voluit esse facetus illo dicto. Ita Epicurei ludunt, qui diuina iudicia profanis iocis immiscent.

Nobilißima quædam domina putabatur esse grauida, sed gerebat molam. Vsitate nominant molam, massam informem, non fœtum. Postea quando edidit illam massam, honestæ matronæ nobiles missæ sunt ad dominum, ut ipsi casum tristem exponerent, quæ cœperunt uerecundè loqui, & cum quadam commiseratione dixerunt: optime domine, nos fuimus in magna spe tecum, te habiturum esse hæredem, & orauimus Deum, & adhuc oramus ut respiciat te, & coniugem tuam, (ipsæ hæc eruditè & eleganter protulerunt) sed (proh dolor) euentus aliter se declarauit, tua domina non iam edidit fœtum, sed massam, ut sæpe accidit mulieribus. At ille: Quomodo igitur nominatur? Respondent ei uerecundè: Man nennets ein Monkalb. *Sic importuna eius interrogatione protulerunt nomen. Ille satis craßè respondit,* Hō / es ist besser ein kalb / als ein kindt / denn ein kalb kan man noch essen. *Fuit satis insulsa, non digna homine oratio. Discite tamen illa quæ conueniunt hominibus.*

Romæ in quodam conuentu, Principes habebant secum oratorem, qui, cum erat dicendum, iussu principum coram Papa, sic incipit dicere: Sanctißime pa-

ter,

ter, &c. Papa aſpiciens eum, putat ſe ignominiæ cauſa appellari. Orator perterrefactus obmuteſcit, ac quærens in pera ſchedulam (ubi habuerat pyra putrefacta) promit pro ſchedula putrida pyra: unde ſubito omnibus obortus eſt magnus riſus.

Quidam puellæ cuidam obtulit chryſomela, interrogans an etiam antea ſæpius huiuſmodi uidiſſet? Reſpondit: Quidni? uidi ſæpe aſſata. Illud fuit indecorum in ſermone. Quia Chryſomela non ſolent aſſari.

Initio controuerſiarum Lutheri, duo ruſtici prope Coburgam conuenerunt, cùm ambo eſſent ebrij. Vnus interrogat alterum, cuius nam ſit religionis? Reſpondit alter: Lutheranæ. Ille iratus dicit: Ego ſum Martini. Sic unus in alterius crimes inuolat.

Dicebam cuidam de Carolo Magno, illum ſemel totum anſerem comediſſe. Ille inquit: Di boni, quoties ego integrum deuoraui.

Dicunt Delphos fuiſſe in medio terræ habitatæ: & hoc inde colligitur, quia dicuntur à Ioue emiſſæ eſſe duæ aquilæ, altera ab occidente, altera ab oriente, ibiq; conueniſſe utramq; aquilam.

Quòd ſi rem amiſſam arte recuperare uelitis, docebo uos artem, qua omnia amiſſa reperire poßitis. Nulla opus erit coniuratione, aut alijs diabolicis artibus: ſed tantum rei amiſſæ imponite furfures cum ſale, & ſtatim reperietis. Item, Si poßis cauere ne pedes retrahas, tutus eris ab omnium canum morſibus.

Cùm Rex Polonicus aliquando aulico cuidam dixiſſet.

xiſſet, Oportet te cras mecum ire in uenationem, Reſpondit: *Non oportet Domine Rex*. At Rex: *Quid?* Imo, inquit ille, ego lubens faciam. Iſte eſt iocus aulicus, Vtrunq; oportet, non erat liber à neceßitate, ſed à coactione & uiolentia.

Albertus Dux Saxoniæ in quodam conuiuio, cùm alij gloriarentur de ſuis poſſeſſionibus, dixit, ſe habere unam ciuitatem, in qua eſſent tria magna miracula. Tria enim eſſe in ea ciuitate monaſteria. Primum monaſterium Prædicatorũm, habentium multum frumenti, cùm non haberent agros. Secundum Franciſcanorum, qui abundarent pecunia, cùm non haberent reditus. Tertium Thomæ, monachos multos habentes liberos, & tamen carentes coniugibus.

Poëta quidam, ſedens inter bonos ſodales, aſcendebat menſam, & exerebat pedem extra feneſtram, prouocans ſimul multis execrationibus et maledictionibus Diabolum, ut ipſum auferret. Quidam interea prætericns, qui eius mores nouerat, arripuit eius pedem, & protraxit ad ſe extra feneſtram. Ille uerò concidit exanimatus, exiſtimans Diabolum præſentem eſſe, & ipſum comprehendiſſe. Hinc poſtquam ad ſe rediſſet, riſus maximus aliorum eſt ſubſecutus.

Nobilis quidam uir admodum deditus luſibus in aula Ducis cuiuſdam uiuens, cùm aliquando luderet iratus chartas luſorias eiecit per feneſtram, & iurauit ſe poſthac nunquam luſurum. Poſt menſem autem unum atq; alterum, Dux, qui illius ira & conſuetudine delectabatur, inuitat eum ad balneum, ac eum blandis

uerbis

uerbis alloquitur: Nonne aliquantisper ludemus, ut magis prompti & alacriores in balneo esse poßimus? Ille diu recusauit, sed tandem persuasus à Principe, incœpit ludere, & multũ pecuniæ ludendo perdidit. Ibi denuò iratus, chartas lacerauit, easq; per fenestram deiecit, iurauitq; se nunquam lusurum poßihac. Illa non fuit constans & perpetua uoluntas. Ita multi sunt, qui iurant se temperaturos sibi ab intemperanti illa compotatione: arrepta autem leui occasione, ad ingenium prius, & mores pristinos redeunt.

Sæpe fit, ut quidam stulti imitatores imitentur uitia præstantium uirorum. Erat quidam Orator in aula Maximiliani, cùm ego adhuc essem Tubingæ, qui non poterat R. pronunciare, erat enim τραυλός. Hunc omnes Doctores in illa pronunciatione imitare uolebant, quotquot tunc temporis Tubingæ erant. Obseruate, hoc exemplum commune est in uita, ut uitia præstantium uirorum excerpantur pro uirtutibus, ab hominibus ineruditis & phantasticis. Illa imitatio uocatur κακοζηλία.

Studiosus quidam Tubingensis in omni disputatione hoc argumentum afferebat, unde semper quatuor nummos accipiebat.

Cuiuslibet contradictionis altera pars est uera.

Lutheri doctrina est contradictionis altera pars.

Ergo Lutheri doctrina est uera. Et sic possum de qualibet materia inferre.

Respondeo: Hic non rectè propositiones subsumuntur, quia est particularis syllogismus. Eundem syllogismum

gismum obieci homini contentioso, & deposui cum eo cantharum uini, num posset soluere. Dixit: Video ibi esse aliquid errati, sed ubi sit ignoro. Iussit ergo cum indignatione uinum afferri, & argumentum solui. Ille syllogismus est tanquam Delphicus gladius ad omnem materiam.

Romæ Legatus quidam, mittendus in Germaniam, accessit quendam amicum suum Germanum, inquiens: Audio gentem tuam multas seruare ceremonias in congressibus, quæso doceas me, cùm eò mihi proficiscendum sit, aliquid earum, ne planè me arbitrentur esse hominem rusticum & agrestem. Respondit Germanus: Non potero te nunc eorum mores docere, sed dabo tibi breuem regulam, qua poteris uti in omnibus congressibus. Quicquid illi iusserint, tu strenuè facere recuses: id nostri putant esse ciuilitatem, ut in conuiuijs ad mensam pertrahantur, vnd reissen solœcismos, vnd grobe barbarismos: euertunt scamna, cantharos, & uitra de mensa proijciunt. Postea assidentes mensæ, nihil loquuntur, alter alterum intuetur tacitus, & aliorum sermones obseruat. Hæc sæpissimè in his regionibus accidunt.

Huttenus cùm in conuentu Augustano febri laboraret, misit febrim schedulæ inscriptam ad Fuggerum, apud quem Cardinalis Sixtus morabatur, quia ibi melius & delicatius tractari posset, quàm apud se. Fuit pulcher iocus.

In aula Heydelbergensi simplex fatuus mirum in modū amabat campanas, et quando dicebatur ad eum:

Campanam Spirensem esse mortuam, tunc lachrymabatur. Cùm aliquando aduecta esset noua Campana, complexus est ipsam. & dixit: Biß mir willkummen mein liebe glock/ich bin hie vnd du bist nun auch hie.

Quidam cùm mensæ apposita esset puls feruens, dixit se ita institutum esse, ne attingeret ferrum antequam sputum in illud misisset, & ita explorasset, an esset calidum: idem se in pulte facere. Illud est non in loco uti præceptis.

Miles mihi bene notus, Cuntz von der Rosen (qui etiam fuit cum Maximiliano Imperatore in carcere, nec fuit diu post illum superstes, cùm obijsset Imperator, dixit: Dominus meus est mortuus, & ego breui moriar. Hic Imperatori in uita fuit admodum iucundus: ferebat ipsius consuetudinem patienter, quia erat ualde facetus, interdum etiam scurrilis. Fuerat comes omnium ipsius itinerum. Hic uidit aliquando pauperem sacerdotem prætereuntem hospitium Imperatoris, & ferentem librum suarum precum, accedit ad eum, & eripit ei librũ, dicens: Sequere me, curabo ut nummos accipias. Sic introducit eum ad Maximilianum Imperatorem, inquiens: Domine Imperator, hic pauper sacerdos amisit librum precationum in lupanari. Da quæso illi, ut redimat librum: alioqui multum bonorum operum & uotorum intermittitur. Imperator respondit: Quare crucias miserum hominem (uidebat enim sacrificulum trepidantem) & iußit illi numerari decem florenos.

In aula Friderici erant duo præstantißimi uiri, Comes

Comes de Schwartzenburg, & Friderich Dôn. Quorum hic, cùm esset aliquando defatigatus negocijs, dixit ad comitem de Schwartzenburg: Tædet me propemodum huius uitæ, & optarem mihi aliam uitam. Comes respondit: Tu nequā (quia erant boni sodales) putas me uoluptatem capere ex illis negocijs? Sed age, quam uitam tibi optares? Respondit Fridericus: Optarem esse aliquis magnus Abbas, in diuiti quodam cœnobio. Tu nequam, uelles tu solus ita suauiter uiuere? Atqui ego uellem esse monachus, qui regeret illum Abbatem.

Materfamiliâs, cuius filius ex Academia reuersus erat, tria oua filio & patri apposuerat. Ibi paterfamiliâs obiurgauit ipsam, quòd tantùm tria oua apposuisset, præsertim cùm filius domum reuersus esset, quem liberalius accipi conueniret. Filius ostentandi ingenij causa dixit, sex oua esse apposita. Pater miratus, quæsiuit ex filio, qua ratione id fieri posśit. Respondit filius: Vnum & duo & tria, sex efficere. Bene, inquit pater, non malè collocaui meam pecuniam cùm tam ingeniosum filium habeam. Sed pulchrè illam sophisticam filij refutauit. Ego, inquit, duo oua comedam, & mater tertium, comedas tu reliqua tria. Est fallacia compositionis & diuisionis.

Quidam sitibundus uenit ad Rhenum in cauponam, & iusśit sibi adferri uinum. Caupo apposuit ei paruum poculum. Ille sitiens aliquoties ebibit, & iusśit sibi rursus infundi. Caupo miratus bibacitatem homi-

nis dixit: Wiltu doch gar nichts drinnen haben (quia aliquoties ebibisset.) At ille abiecit poculum, & iratus dixit, Wat sol mich dat blackhorn?

Quidam monachus in ducatu Vuirtenbergensi, Vuigandus dictus, in poëtas inuehebatur, præcipuè in Bebelium, quod is taxaret quantitates, & illuderet monachis. Cùm autem Dux Vuirtenbergensis quosdam operarios fossores piscinarum ex Polonia uocasset, quos ibi Pollecke nominant rustici: ibi Monachus cùm nominaret pro concione die Poëten (crassum est) hæreticos, putabant rustici eum inuehi in die Pollecken, & eorum noluerunt uti commercio, uocabantq; etiam ipsos hæreticos. Vnde rixæ & tumultus oriebantur. Magistratus autem ignorans quæ esset causa tumultus, tandem resciuit, oriri eum ex concione monachi illius. Sic interdixit Magistratus monacho, ne amplius uel de Poëtis, uel de Pollecken concionaretur. Hæc historia eo tempore accidit, quo fui Tubingæ.

Diligenter est animaduertendum, quæ sit urbanitas quæ scurrilitas. Vtriusq; exempla habetis in Eulenspiegel. Hic quodam tempore uenit ad Principes, petens sibi dari eleemosinam, eo quod opificium ipsius non amplius in precio esset apud homines. Ibi interrogatus, quale exerceret opificium manuarium? Respondit: Conficere soleo ocularia, seu perspicilia: sed ea iam non amplius sunt uendibilia, darumb das die herrn durch die finger sehen.

Erat

Erat apud nos Tubingæ doctor Eblinger, quem audiuerat doctor Hierymus Schurpff. De eo alij Doctores dixerunt: Non possumus omnes doctrina æquare Eblingerum.

Cùm essemus in conuentu Augustano apud Episcopum Dantiscanum poëtam, qui erat Orator regis Polonici, præstans uir, ego, Eobanus Hessus, & alij quidam iocis seu genio indulgentes: interea uenit ad nos Logus, bonus homo, qui etiam nouit Poëticam, & recitat multos uersus, quos in iuuentute memoriæ mandauerat. Eobanus uero, ut erat modestus, diu sedit tacitus, nihil ei respondens: non enim nouerat eum, neq; Logus Eobanum. Tandem loquacitatem eius Eobanus ægrè ferens dixit: Du Tropff / meinstu das sonst keiner Verß weis / denn du allein? Aßide præbibam tibi hoc uitrum uini (habebamus enim generosum rubrum uinum in mensa) Logus, non agnoscens Eobanum tacuit, & mutauit uultum. Ibi Episcopus, qui mihi ad dextram sedebat, (in sinistra parte sedebat Eobanus, apud Eobanum Camerarius) dixit: Domine Loge, accipe uitrum uini, & responde ipsi, est enim bonus uir: est Eobanus. Sic non ægrè tulit illam responsionem Logus, sed subiunxit: Ego phantasticus, cùm sim ineruditus, uenio huc, & apud homines doctos, & apud ipsos Poëtas nugor, uolens uersus recitare. Sic mutatis animis, postea ambo facti sunt hilares.

INSVLSAE ET FALSAE interpretationes.

Audiui concionem cuiusdam doctoris Theologiæ, *qui interpretabatur hoc dictum : Pietas ad omnia utilis est :* Die miltigkeit ist *zu allem gut.* Per pietatem *intelligebat eleemosynam. Sed pietas hic non significat beneficentiam,* Paulus *hoc non uult, sed tantum speciem bonorum operum proponit.*

Ante *octoginta annos* uixit Ital*us, qui uolens* Ciceroniano *more loqui, si quando utendum esset uocabulo* Episcopi, *uocabat ipsum flamen.* Episcop*us autem non minus purè dicitur, atq; flamen.*

Longol*ius non utitur uocabulo* Ecclesiæ, *sed pro ea substituit nomen* Respublica Christiana. Idem, *fidem nominat persuasionem.*

Quidam *interpretabatur :* Propter *hæc uenit ira* Dei *super filios incredulitatis, & mouebat quæstionem, num filij incredulorum possent conuerti ?*

In P*salmo,* Exurgat De*us, hic uersiculus extat :* Si *dormieritis inter medios cleros: interpretatæ sunt moniales insulse,* wenn ihr bey dem pfaffen schlafft. Sed *uera translatio est :* Erit *exercitus uester in finibus, eritis sicut nitentes columbæ.* Iudæi *exposuerunt,* Cùm *dormieritis inter ollas : de ollis* Aegyptijs *intelligentes. Sed neq; de cleris neq; de ollis fit mentio : neq; ibi est uerbum dormire, sed accubare.*

In *conuentu* Tridentino *dixerunt,* Reddentes *rationem fidei ucstræ ; id est* Scripturam. Hæc *autem sunt*

uerba Petri. Videtis quanta sit fatuitas, quòd exponant rationem pro Scriptura.

In quodam loco concionator quidam aliquot conciones de hac sententia in magna frequentia hominum consumpsit: peccatum non remittitur, nisi ablatum restituatur. Et mirabiliter illud dictum exposuit, ut aliquorum suorum applausum captaret, ex hoc fundamento, quod esset papisticum. Auditis his concionibus, multi magni & præstantes uiri fremuerunt, ac illas insulsitates ægrè tulerunt: inter quos etiam fuit honestus uir, doctor Pontanus.

Dixit ad me quidam multis notus, nullum esse uerbum in scriptura, quod non posset ambiguè intelligi. Cui respondi: Si Scriptura est ambigua, multo magis scriptores, quorum interpretationibus tu uis acquiescere.

LOCORVM COMMVNIVM A IOANNE MANLIO *COLLECTORVM.*

Tomus III.

VBI MVLTIPLICIA exempla iuxta ordinem duorum Locorum, de Ecclesia nimirum, & scholis, & Magistratu, adducuntur.

ADIVNXIMVS ETIAM Calendarium historicum vtile, & iucundum lectu, cum Tabula cognationis & agnationis Saluatoris nostri.

ILLV-

ILLVSTRISSIMIS ET PIENTISSIMIS PRINCIPIBVS AC DOMINIS,

D. Joachimo Electori & Archicamerario Rom. Imperij: Sigismundo Archiepiscopo Magdeburgensi: Alberto Duci Borussiæ, &c. Johanni, Georgio Friderico, Johanni Georgio Joachimo Friderico, & Alberto Friderico, filio Ducis Borussiæ, &c. Marchionibus Brandenburgensibus Ducibus Pomeraniæ, Rugiæ, Silesiæ, Burggrauijs Norimbergensibus, &c. Dominis suis clementissimis.

S. D.

ET pietate & consolatione plenissima est sententia, quæ legitur apud Paulū his verbis: Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi sapiens? vbi scriba? vbi inquisitor huius seculi? Nam quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum: placuit Deo, per stulticiam prædicationis saluos facere credentes, 1. Corinth. 1.

Proponit enim Apostolus ob oculos iudiciū omnium hominum, sinceram Euangelij doctrinam non rectè intelligentium, siue sint in Ec-

clesia, siue extra eam. Principio verò sapientiam huius mundi ab Euangelij doctrina seiungit: deinde sapientiam, quæ mundo stultitia est, declarat. Est autem humana sapientia parua quædam particula legis moralis, quod attinet ad externorum membrorum gubernationem, seu quod alibi Philosophi vocant externam disciplinam: interea nihilominus in mente hærent dubitationes, in voluntate & corde fremitus & furores contra Deum dominantur. Quàm porrò egregios hæc fructus proferat, potest nobis exemplo quasi ob oculos ponere Pharisæus ille tumidus, qui commendans suam probitatem, virtutem & sapientiam particulatim recensebat, se de omnibus bonis decimas dare, ieiunare bis in septimana, &c. Huic similes passim Christus in Euangelio taxat. Quamobrem quantumuis pro sapientibus tales habentur & coluntur: tamen omnes naturali sua luce non intelligunt sapientiam Dei: de qua nòn aliter loquuntur & iudicant, quam eam sibi videri stultissimam concionem. Si igitur doctrina Ecclesiæ videtur ipsis stultitia, multo magis ij qui homines iuxta ipsorum opinionem, hac insana prædicatione docent, fatui ab his existimantur ac nominantur. Vnde istæ phantasiæ oriuntur huius seculi prudentum, qui tantum eam ob caussam alendos esse ministros Ecclesiæ somniant, vt populus in disciplina retineatur:

tur: ne ve omni religione dissolutus, flagitijs atrocibus Rempub. perturbet, sic & doctores & discipuli studij Theologici coram huius seculi prudentibus iudicantur. Inde audiuntur vulgo aduersus ministros Euangelij, studiososque Theologiæ contumeliosæ exprobrationes & conuicia, quibus si possent DEVM cum suo ministerio extirparent. Quæ impietas non solùm id incommodum secum adducit, vt contemnatur ministerium, in quo, & per quod Deus semper ab initio vsque ad finem mundi Ecclesiam colligit: sed etiam multi iuunes ab hoc munere absterrentur. Cùm tamen illud summum officium sit, sine quo cætera nec esse nec consistere queunt. Id quod sapientes gubernatores omnibus temporibus intellexerunt. Dauid desiderat Psalm. 83. in atrijs Domini potius versari, quàm in tabernaculis impiorum. Ezechias etiam 4. Regum 19. 20. & Esaiæ 28. moriturus petit, propter conseruationem puræ doctrinæ, vitam suam prorogari. Simile quiddam ex relatione fide digni hominis accepi de principe *GEORGIO*, Marchione Brandenburgensi. Is Princeps pientissimus paulò ante agonem mortis, ex intimis sui pectoris gemitibus petiuit, vt omnipotens Deus doctrinam cœlestem hoc nostro tempore restitutam, apud posteros conseruare vellet, quò etiam fierent hæredes vitæ æternæ. Quantus

ergo,

ergo, optimus Princeps, fuerit fautor verbi diuini, vel ea vox oſtendit, quòd etiam in agone mortis tantum in religionis propagatione animum manifeſte declarauit. Addatur huic & aliud. Cùm concionator pientiſsimum hunc Principem ex verbo diuino in extremo vitæ diſcrimine conſolaretur, & ab alio quodam pio viro crux & triumphus Chriſti monſtraretur, in hæc verba prorupit: Domine IESV CHRISTE, ego firmiter credo, quòd pro peccatis meis & totius generis humani ipſe ſis paſſus, mortuus & reſuſcitatus: & iam ſedeas ad dexteram æterni Patris, vt meum & omnium peccatorum corpora reſuſcites, & tuo conglorificato reddas conformia. His dictis, Saluatori noſtro ſuam animam commendauit: & paulo pòſt piè & tranquillè in Domino obdormiuit. Sicut ergo hic piiſsimus Princeps hanc ſapientiam diuinam, non iuxta ſapientum huius ſeculi iudicia contempſit: ſed & in tota vita, & in agone mortis ſummum gaudium ipſi fuit, doctrinam Euangelij audire & promouere: ſic has optimi Principis virtutes filius eius illuſtriſſimus Princeps *GEORGIVS FRIDERICVS* Marchio Brandenburgenſis, &c. diligenter imitatur, in eo quod non ſolum Euangelium ſuis ſubditis introductum à patre, per fideles Eccleſiæ doctores doceri permisit, verùm etiam huic beneficio alia plura beneficia hacte-

hactenus addere non dubitauit. Quia ad priora ſtipendia à patre ſuo pientiſsimo Principe pauperibus ſcholaſticis ordinata, noua quædam adiecit: ſcholamq; inſtitui curat vtilius, in quam ex ſingulis ſuis præfecturis, certis temporibus quoſdam ſuorum ſubditorum filios introducere, & bonis literis atq; ſumptibus neceſſarijs procurare in animo habet. Quòd verò illuſtriſſimi illius familiæ Principes ante hæc noſtra tempora fuerint ſeduli cultores verbi diuini, ipſiusq; miniſtrorum, toti eccleſiæ Chriſti non eſt obſcurum. Nam ante noſtram ætatem ſingulis annis, quo maior beneuolentia & mutua copulatio animorum inter principes & paſtorem Eccleſiæ illius loci, qui eo tempore erat caput ipſorum gubernationis, iniretur, certo die paſtorem accedere, & cum ipſo prandere non ſunt dedignati: idq; hanc ob cauſam, vt de Eccleſiæ ſtatu doctrinæq; controuerſijs cum ipſo familiariter conferrent. Sæpius quoq; eadem de cauſa ad ſe vocarunt paſtores, alioſq; doctos viros, & de mutatione ac emendatione ceremoniarum atq; doctrinæ cum ipſis contulerunt, Quare illud ſeculum non mihi diſsimile videtur ei, quo Chriſtus & Iairus, aut Centurio in oppido Capernaum, inuicem amicè & familiariter conueniebant: Cæterùm quantis beneficijs etiã hodie viuentes pientiſsimi principes, *IOACHIMVS* Elector, *SIGIS-*

MVN-

mundus Archiepiscopus Magdeburgensis, &c. cæterique eiusdem stirpis Brandeburgicæ Marchiones foueant ecclesias, nemo est qui ignoret. Nam in aduocandis ad se doctis viris, nulli pecuniæ aut sumptibus parcunt: ad hæc, ecclesiarum ministris, & pauperibus scholasticis, liberalibus sumptibus prospicere sedulò student: ac incumbunt in id diligenter, vt sincera Euangelij doctrina ad posteros transmittatur. Itaque iustè hanc & pietatis & beneuolentiæ erga ecclesiam & suos subditos, illustrissimis principibus Marchionibus dominis meis clementissimis laudem tribuo ac salua pietate possum affirmare, ex illorum numero ipsos vere esse, qui sapientiam Dei per suam sapientiam intelligunt, eamque in suos subditos transfundere nituntur, quo cum ipsis fiant hæredes æternorum & cœlestium bonorum, ac perpetua Dei consuetudine fruantur. Quare, illustrissimi Principes, cùm propter iam recitatas vestri generis virtutes, & propter gratitudinem, qua mei proaui, aui, parentes, fratres & ego, multiplicia beneficia sumus V. C. obligati, hanc sequentem tertiam mei laboris partem, in signum aliquod gratæ erga V. C. mentis meæ, V. C. dedico & vestro nomine in lucem prodire cupio: oroque, vt me meosque omnes V. C. commendatos habeant. Aeternus Pater Domini nostri IESV Christi, vnà cum Filio & Spiritu suo sancto,

totam familiam Marchionum Brandenburgensium diu incolumem ac ſaluam conſeruet, & vos etiam illuſtriſsimos Principes ſic gubernet, vt veſtra gubernatio ad gloriam nominis ſui celebrandam, ac ſubditorum ſalutem dirigatur: Amen. Bene & feliciter V. C. valeant. Datæ Baſileæ, 12. Calend. Decemb. Anno 1562.

V. C.

deditiſsimus alumnus,

Iohannes Manlius.

SAMVELIS HOLZACHII in Tertium Locorum communium Ioan. Manlij Tomum, Carmen.

SIncera quæ uerba fide plebs audit IESV,
Haud unquam nitida fruge carente fide,
Continet, haud ullum doctorum munera uincens
Munus: at hi debent non nisi certa loqui.
Ah pereant, miseros qui per mala dogmata fallunt
Dogmata, queis iactant certius esse nihil.
Decipit incautos iustæ simulatio uitæ,
Velleribusq́; ouium membra lupina tegit.
O qui regali populos ditione tenetis,
Cordi sit uobis concio sacra Dei:
Illam protegat atq; exornet uestra potestas:
Nulla magis uirtus regia sceptra decet.
Sic Deus à uobis, quo debet honore, coletur,
Diuitis est regum turba ministra Dei.
Nam Deus instituit, Deus idem regna tuetur,
Atq; idem mutat regna superba Deus.
O hominum diuumq́; pater, rex maxime regum,
Principibus dona pectora iusta uiris:
Aequis immenso dominetur legibus orbi,
Sit nihil his uera relligione prius.

DE

DE ECCLESIA.

VEnusta imago est Ecclesiæ halcyonum partus, quæ cum in scopulis maris nidificent, solent incubare ouis & excludere pullos in media bruma: cùm quidem mare, tanquam inseruiens illis incubantibus, per illud tempus mitescit & placidum est. Conueniunt Ecclesiæ etiam mores halcyonum, quæ nesciunt adulteria, & extincta coniuge, alter manet cœlebs, ac paulò pòst consumptus luctu moritur. Mulier etiam senem maritum cherylem gestat humeris suis aquatum. Itaq; ueteres scripserunt honesti coniugij exempla esse. Etiam non malè accommodatur ad Ecclesiam, quæ gestare, & fouere omnibus beneficijs & officijs benemeritos pastores, doctores & ministros Euangelij debet.

Corruca Græcis est hypolais, qui nomen inde habet, quòd humi ad saxa nidificet: talis est uerè Ecclesia, spreta et abiecta in mundo. Hæc dum omnes fouere & iuuare conatur, etiam supposititios fœtus nutrit, qui cum propter hypocrysin ueniant in admirationem, facilè beneficio Ecclesiæ authoritatē & potentiam consequuntur. Hanc adepti deinde grassantur in ipsam matrem, eamq; dilacerant, & crudeli tyrannide opprimunt. Cæterum illum feralem & infaustum sonum edunt in Ecclesia, sonant impia & perniciosa dogmata. Arrium euexit ad honores Ecclesia Alexandrina,

qui cùm esset suppositius fœtus, postea Ecclesiam *orbis terrarum horribiliter dißipauit.*

Sol *est typus* Christi, *luna est* Ecclesiæ. Et *sicut luna aliâs est maior, aliâs minor: nonnunquã prorsus etiam occultata sub nubibus: ita* Ecclesia *aliâs etiã est maior, cùm* Deus *concesserit ei tranquillitatẽ & pacem, aliâs est minor, ut quando opprimitur à persequutoribus* Euangelij: *tum enim, quasi obscurata sit nubibus, id est calamitatibus & afflictionibus oppressa & obruta iacet, præterea quamuis in ipso plenilunio maxima sit serenitas: tamen in ipsa luna etiam reperiuntur maculæ, id est, in* Ecclesia *sunt multæ caligines & tenebræ, quæ omnia in nouißimo die extirpabuntur.*

Querela Ecclesiæ conferentis se cum Lazaro.

Æger & vlceribus squalens in corpore toto
Hic iaceo, & pereunt tabida membra fame.
Diuitis ante fores iacuit, ceu Lazarus olim,
Cui fastidito nemo ferebat opem.
Vt tamen à cunctis spretus, tua cura tuoq́;
Exceptus gremio Lazarus ille fuit:
Sic æterne Deus tua me clementia seruet,
Et miserum dextræ protegat vmbra tuæ.

De Ecclesia in Armenia.

Arca Noæ *constitit in* Armenia, *ibi egressus est* Noe *ex arca.* Hodie *nulla pars est in oriente tota, quæ habet* Ecclesias *mediocriter ornatas sicut* Armenia. Armenij *autem utuntur* Græca *lingua in sacris, ut nos* Latina, *alioquin suam habent linguam peculiarem.*

Cogitaui

Cogitaui sæpe nomen Armeniæ esse nomen Germaniæ. Extant pagellæ de ipsorum ritibus, de Symbolo, de oratione Dominica. Ibi didici, quod nomen pater est & apud eos nomen Herr, quod quidem est commune omnibus linguis: Hebræis est magister, quod est Græcis δεσπότης.

An in Africa sit Ecclesia.

In Africa prorsus exiguæ sunt Ecclesiæ. Etsi ille rex Muleasses, qui fuit in obsidione oppidi Vuitebergæ excæcatus à filijs, quos postea uicißim interfecit, non scio, quòd fuerit profeßione membrum Ecclesiæ, tamen in illis locis reperiuntur adhuc exigui cœtus Ecclesiæ. Ibidem etiam est tantum superstitionum & confusionum, ut patres concumbant cum filiabus: item circumcidant masculos & femellas, & retineant quoq; baptismum cum circumcisione: retinent etiam diem Sabbathi, & diem Dominicum.

Quæ & vbi sit Ecclesia, modus se in Ecclesiam includendi & quid consolationis ex his percipiamus.

Iohannis decimo quarto inquit filius Dei: Εάν τις ἀγαπᾷ με τὸν λόγον μου τηρήσει, καὶ ὁ πατήρ μου ἀγαπήσει αὐτὸν καὶ πρὸς αὐτὸν ἐλευσόμεθα, καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν. *Hanc neceßariam & dulcißimam consolationem teneamus infixam animis, & sæpe cogitemus. Primùm docet hæc sententia, quæ & ubi sit uera Ecclesia. Affirmat enim esse cœtum uisibilem, qui docet, audit, discit, fide amplectitur, amat & propagare studet incorruptam*

Euangelij doctrinam. In hanc ueram Ecclesiā te quoq; includas, ac certò statuas, te ueræ Ecclesiæ Dei membrum esse, cùm audis, discis, fide amplecteris incorruptam Euangelij uocem: nec mouearis titulis aut successione ordinaria, ut uocant Episcoporum, qui sunt hostes ueræ doctrinæ. Certa enim, & immota ueritas docet non esse membra Ecclesiæ eos qui scienter oppugnant ueritatem, & stabiliunt idola & uitiosos cultus. Nec uerba illa τηρεῖν λόγον, intelligenda sunt νομικῶς, sed significant custodes esse doctrinæ, habentes fidem & bonam conscientiam: sicut inquit filius Dei, Apostolos seruasse sermonem, quorum tunc quidam magna infirmitas fuit, & sic loquitur totus Psalmus: Beati immaculati, qui in lege Domini ambulant.

Postquam autem dicimus, quæ & ubi sit uera Ecclesia, proponamus nobis etiam dulcißimam promißionem, & consolationem, quæ hic recitatur, habitat Deus in hoc suo cœtu, te diligit, regit, protegit, exaudit: & uult opem ferre inuocanti, etiam in hac uita, & post hanc uitam uult te socium esse consuetudinis suæ, & filij sui, in æterna uita, sapientia, iusticia & lætitia.

DE DOCTORIBVS, MINIstris Ecclesiæ qui doctores Ecclesiæ sunt optimi.

Pulchrum dictum est Sophoclis: λόγοι ἀντιπαλαίουσι λόγους: Rationes reuerberant uel euertunt rationes. Elegans est translatio sumpta à gladiatoribus, sicut Germani dicunt. Ein streich vmb den andern. Sic quoq; sunt rationes contra rationes. Dux Fridericus

ricus solitus est dicere ante annos quadraginta octo, & præsertim in principio huius doctrinæ: Ego non libenter audio, quando pastores uolunt rationibus probare articulos fidei: (sicut habuit pastorem, qui uoluit semper adferre & fingere rationes, credo magis ostentatione ingenij sui, quàm consilio tuendæ ueritatis, qui postea factus est Diaconus in quodam alio loco) mihi magis placet proferre testimonia uocis diuinæ: quia rationes possunt rationibus euerti.

Pericula bonorum concionatorum.

Aristoteles dicit de Antistene, esse quosdam tales, ut non aliter sit ipsis concionari, quàm si lepores concionarentur leonibus. Plerunq; enim deuorant eos leones. Est imago piorum & sanctorum doctorum, Ecclesiæ ueritates & peccata indicantium leonibus: id est, tyrannis, & persecutoribus piorum hominum, à quibus lacerantur ut lepusculi à leonibus.

Alia incommoda bonis pastoribus obstrepentia.

Est uetus dictum: Beatus ille pastor, qui non habet Nimroth, Abraham aut Naaman. Der Pfarherr hat gut sach / der nicht hat ein Nimrath, *id est tyrannum: Abraham, id est, Iudæos, qui sunt artifices ad fraudes struendas & insidias, Naaman, id est leprosos.*

Differentia inter bonum concionatorem & ostentatorem.

Audiui diaconum Tubingæ concionantem, qui in una concione circiter quadraginta loca ex Iure citabat. Volebat ostentare suam eruditionem, cùm neq; Ius

neq; Theologiam, intelligeret. Sequebatur alter diaconus bonus uir, qui postea factus est Euangelicus concionator, hic ita præfabatur: Boni amici, scitis me non esse doctum, ideo non opus est me ostentare: dicam tamen breuem concionem ex qua aliquid discere poßitis. Textus siue Euangelium illud, quod recitaui, habet duo capita doctrinalia, uel duos articulos: primus continet hoc, alter illud. Illa tractauit per dimidiam horam, & descendit. Illa concio fuit multo utilior populo, quàm alterius.

Versus in Campana Halensi, quæ nunc est Maidenburgi officia boni pastoris designantes.

En ego campana nunquam denuncio vana:
Laudo Deum vere, plebem voco, congrego clerũ.

Id est: Bonus pastor debet authoritate & doctrina regere auditores. Deinde debet tueri concordiam & mutuam amicitiam inter docentes.

Necessarium munus in Ecclesia est docere populum.

Quidam Episcopus Ratisbonensis Contareno cardinali dixit: necessario concedendum esse coniugium presbyteris, quòd alioqui defuturi essent Ecclesijs pastores, & iam multas stare desertas sine ministris. Tum Contarenus miratus, posse se mederi, inquit, huic malo, quia Italia monachis abundaret, quos sit missurus Pontifex ad uacuas Ecclesias. At ille: Quid agent cùm linguam nostram nesciant? Contarenus respondet, sacrificaturos esse de more Papistico. Episcopus uerecundè

eundē dicit, necessarium munus esse, docere populum, & Euangelij cognitione pietatem esse alendam, ac non sufficere spectacula ceremoniarum.

Duplices concionatores.

Quemadmodum inter politicas personas sunt duo genera, eruditi & practicantes: sic etiam in Theologia, alij sunt facundi & loquaces, nec referunt ad metas suas conciones, sunt tantum declamatores: alij uerò cum consilio concionantur, & eruditè omnia ad certum scopum ac ædificationem referunt.

Diuina tractantibus adsunt Angeli.

Est narratio quædam in historijs Patrum: Quidam pater inter eremitas, uidit sæpè apud sodales suos uagantes pulchros angelos, & lætatus est isto spectaculo. Alio uerò tempore uidit apud eosdem porcos uagantes. Hoc cùm uidisset, sæpe accessit propius, & animaduertit quando loquebantur de rebus bonis, affuisse angelos, quando autē contra alios criminationes aut alias turpitudines proferebant, ibi eis Diabolos affuisse.

Series quorundam doctorum in Ecclesia.

Irenæus citat Polycarpum, qui fuit auditor Iohannis, & Florentino Valentino opponit eius authoritatem. Basilius audiuit Gregorium Neocæsariensem, cuius præcipua fuit authoritas, cùm Pauli Samosateni impietas damnaretur. Nec aliud uetustius testimonium extat post Apostolorum scripta de Trinitate, quàm huius Gregorij, cui tantum tribuit Basilius, ut dicat sibi adhuc personare aures uocem Gregorij, eiusq; testimonium opponit Sabellicis perturbantibus Ecclesias.

Neocæsariensium. Hieronymus audiuit Nazianzenum & Epiphanium.

Quid sit cura pastoralis.

Edidit quidam librum de cura Pastorali, primam uerò quæstionem sic incoat: Quid est cura pastoralis: Est ars artiũ, scientia scientiarũ. Si modo addidisset, est miseria miseriarũ, id est, talis status uitæ, in quo requiritur plurimum eruditionis, sapientiæ & studij, & qui est cumulatus ingentibus miserijs & ærumnis, tunc integram responsionem posuisset.

Officia Episcopalia.

Primum Episcopi officium, est gubernatio studij. Episcopus enim debet esse tanquam inspector studij & doctrinæ, sicut Ioannes fuit summus lector Ephesi.

Secundum, ordinatio, & examen ministrorum.

Tertium, gubernatio iudiciorum: in Ecclesia enim debent esse iudicia: Igitur sunt ordinata Consistoria, in quibus matrimoniales caussæ, & aliæ controuersiæ dijudicantur.

Status pastorum.

Plautus inquit: Ego non seruio libenter, herus meus me non habet libenter: tamen utitur me ut lippis oculis. Eodem ferè modo res procedit in ministerio cum pastoribus per totam Germaniam.

Effectus ministerij.

Quæstio, Quis sit effectus concionis pij ministeri? Respondeo. Deus est efficax per uocem ministri, sicut uult efficax esse & non aliter colligere Ecclesiam æternam, nisi uerbo & sacramentis, uerbo fides in corde con-

de con-

de confirmatur: per uerbum & sacramenta sine ulla dubitatione Deus est efficax. Wenn schon alle Teuffel darwider schryen.

Quæ requiruntur in interpretibus Sacræ scripturæ. Epiphanius.

Τὰ θεῖα ῥήματα οὐ πάντα ἀλληγορίας δεῖται. ἀλλὰ ὡς ἔχει. θεωρίας δὲ δεῖται, καὶ αἰσθήσεως εἰς τὸ εἰδέναι ἑκάστης ὑποθέσεως δύναμιν.

Deus immensa bonitate se patefecit, & uult in Ecclesia doctrinã suam, quæ in Propheticis & Apostolicis libris scripta est, sermone rectè loquentibus usitato, sonare, in linguis Prophetarum et Apostolorũ, qui certè uoluerunt intelligi. Retinenda est igitur natiua significatio sermonis, iuxta phrasin illarum linguarũ, nec lex moralis & promißio gratiæ & Articuli fidei, in scriptis Propheticis & Apostolicis sunt transformanda in allegorias. Cur autem dicit Epiphanius opus esse speculatione & sensu? Speculationem nominat Dialecticũ ordinem membrorum doctrinæ, uidelicet, definitiones, distinctiones, consequentias rectè coagmentatas, quia necesse est considerari, quæ membra ubi in scriptis Propheticis & Apostolicis tradita sunt, & hoc ordine ad docendum accommodato recitanda sunt, hæc non gignunt peregrinas, sed natiuas sententias rectè ordinant. Hæ uiæ non mutant scripta, sed illustrant lectionem.

Ait item sensu opus esse, quia ad intelligenda uocabula opus est experientia, Non intelliguntur uerba, uita, mors, pœnitentia, timor, fides, consolatio, spes, lætitia, sta

cia, sine experientia, id est, sine exercitijs in corde. Quare Epiphanius aptè hæc tria coniunxit, lectionem librorum Propheticorũ & Apostolicorum, sensum, quo uocabula intelliguntur, & speculationem, qua forma doctrinæ iuxta Dialecticam ritè comprehensa.

In Cypro est Ecclesia.

In Cypro fuit monachus homo eruditus, mihi bene notus, qui scripsit ad me cùm essemus in conuentu Augustano. Ille multos libros huius linguæ uertit in illam linguam, quia sunt adhuc aliquæ Ecclesiæ in illis locis.

Iocus.

Quidam facetus homo dixit, se malle esse episcopum Græcum, quàm Lutheranum. Interrogatus causam, Respondit: quia græca dictio ἐπίσκοπος esset dignior, & maioris authoritatis: Lutherani uerò Episcopi essent tantum Superintendentes.

Ordines primitiuæ Ecclesiæ, qui:

Primi erant Ianitores: Secundi Cantores: Tertij ἀκόλουθοι, id est sectatores, seu pedissequi Episcoporum, per quos uocabant alios: Quarti, Diaconi, qui præerant ærario, ut Stephanus in Actis: quod uocabulum adhuc retinetur in Ecclesia, sed res mutata est. Quinti, Doctores, qui erudiebant populum. Sexti, Pastores. Septimi, Episcopi.

Quæstor quidam in Marchionatu Badensi, cùm esset dignus supplicio, protraxit supplicium integrum annum illo priuilegio, quod esset ἀκόλουθος. Princeps

ceps uero tam uehementer ipsi ob perpetrata facta irascebatur, ut uellet eum supplicio affici absq; autoritate pontificis: sed tamen consilio quorundam rem retulit pontifici, & ab eo impetrauit. Sic tandem suspensus est.

Qui sint optimi concionatores.

Cùm aliquando essem in templo, & audirem concionem, stabat apud me aulicus, & interrogat me: Quomodo placet tibi ille concionator? Bene dicebam placet. O inquit: Ille est rusticorum, seu rusticis conueniens, concionator. Dicebam: Melior est concionator simplex, uera prædicans, quàm doctus, qui arte se inflectit ad cupiditates eorum hominum, quibus concionatur.

Responsio contemnentis ministerium.

Dicebam aliquando ad pauperem aliquem hominem, & idoneum ad ministerium, ut præpararet se ad ministerium Euangelij. Respondit ille: Ego sum uir politicus. Putabat esse rem indignam, si fieret diaconus.

Personæ ministrantes veteri Ecclesiæ.

Apud templum Hierosolymitanum fuerunt mulieres, quæ seruiebant coquendo, lauando, sarciendis uestibus, & educandis instituendisq; liberis ministerio: item eædem subueniebant pauperibus. Hunc morem Apostoli imitati transtulerunt ad Ecclesiam, & iusserunt elegi grãdiores natu matronas uiduas, quæ ægrotis aut peregrinis seruirent. Et hæ mercedem habebant ex eleemosynis, quas Ecclesia liberaliter conferebat.

Insul-

Insulsorum gestuum reprehensio.

Rex Danicus Christianus, cùm erat adolescens in aula Marchionis Ioachimi uixit, & cum eo simul educatus est. Cum electore Ioachimi patre anno 21. profectus ad conuentum Vuormaciensem, ibi unà cum domino suo comitatus est Imperatorem in concionem, quam habuit monachus Franciscanus, qui cum ederet inter concionandum mirabiles gestus Italicos in suggestu, quem ibi utcunque extruxerant ex asseribus, astans nobilißimus ille adolescens tranquille nunc in Domino dormiens est Rex Daniæ, primum obstupuit, putauitq; monachum insanire: quia nec uiderat nec audiuerat antea tales ineptias. Cùm sic admirabundus diligenter suspiceret, ac monachus sese (ut solebat) totum inclinaret, ita ut uix conspici posset, ipse fortè uidit funem pendentem per rimas duorum asserum, quo monachus ille ex more Franciscanorum erat uinctus, eoq; celeriter arrepto, interea dum monachus sic in genua procumberet ut non conspiceretur, nodum satis magnum seu multiplicem fecit seu inuoluit ut finita oratione sese rursus eleuare non posset. Monachus porrò, animaduersa fraude, exclamat: O domine Imperator uide, hoc faciunt Lutherani te præsente, quid facerent te absente? Imperator existimans id factum esse ex contumelia, excanduit. Quod cùm uideret Rex Danicus, statim aperuit iterum nodum, & sic monachus rursus se erexit, & concionem suam pertexuit. Finita concione, Rex Danicus accedit ad patrem Marchionis, & narrat ei ordine rem, petens ab eo, ut indicet Imperatori,

tori, quòd ipse fecisset, admiratus istas ineptias, non propter ullam contumeliam, & se ideò indicare, ne alij ob suum factum in suspicionem uel periculum uenirent, seq; petere ab Imperatore ueniam. Imperator audito Marchione, arrisit, & admiratus factum, & candorem adolescentis, quòd ipse sese detulisset, & ingenuè fassus esset peccatum, ne alij uenirent in periculum aut suspicionem, ac æqui boniq; consuluit. Audiui ipse hanc historiam ex Rege Daniæ.

Insulsus concionator de S. Petro.

Quidam in Salinis, astante eo tempore Episcopo, concionabatur: Wer S. Peter nie gen hoff kommen/ so wer er from blieben. Sunt propositiones indefinitæ: de multis loquuntur, non de omnibus.

Iocus.

Solebat narrare Doctor Martinus de quodam monacho concionaturo in eo loco, ubi prandebant monachi, quòd, cùm inchoaret concionem, præmittens thema, Ego sum pastor bonus, non potuerit pergere: sed repetiuit iterum, & magis turbatus est, repetiuit & tertiò: tandemq; cum stupore quodam subiecit: Domine Doctor / setzet euch nider / ihr seid nicht pastor bonus/ ihr seid ein guts schaff.

Quidam dixit de quodam phanatico concionatore, Per Deum uiuum, est totus Christianus: bibit nobiscum usq; ad secundam noctis horam, & deinde ascendit suggestum, ac egregiè concionatur.

De nouitijs concionatoribus D. Martini Lutheri iudicium.

Doctor Martinus Lutherus dixit, iuuenes concionatores idem facere, quod illi, qui primum discunt ludere pyramidibus. Quemadmodum enim hi confidunt se primo ictu omnes pyramides simul tacturos ac constraturos; sic etiam tales nouitij Theologi putant se primo conatu omnia in ordinem conuenientem redigere, & cuncta uitia extirpare posse.

Nemo sine fundamento doctrinæ Christianæ S. literas explicare poterit.

Vicarius quidam Augustanus, clarus et nobilis uir, qui ualde dilexit Lutherum, Tubingæ Doctor Theologiæ factus, & quidem inter primos numeratus, dicebat: se explicasse Tubingæ librum Iob, & cùm peruenisset ad decimum & undecimum caput ibi uisum fuisse Iob magis ipsius enarrationibus cruciari, quàm à suis ulceribus. Tandem finem lectioni imponens dixit, & se & Iob lætari, quòd ab illa lectione desisteret. Significauit se horum nihil intellexisse: quia corpus, seu potius fundamentum doctrinæ Christianæ ignorasset.

An sine Biblijs Ecclesia doceri possit.

In oppido Stuckardiæ Doctor quidam Theologiæ dicebat pro concione, Ecclesiam posse regi ac doceri de Deo, etiam amißis Biblijs, ex Philosophia & ex Ethicis Aristotelis. Non potuit discernere promißiones legis & Euangelij. Ethica Aristotelis sunt pars

legis

legis moralis, quòd tamen non dico in illius uiri contumeliam cùm fuerit homo doctus & iam mortuus sit, & ante mortem ad ueram religionem se conuerterit. πάρεργα concionatus.

Eram aliquando die natali in cuiusdam concione, ubi dicendũ erat de illo mirando & inenarrabili consilio diuinitatis, & quomodo filius Dei assumpsit humanam naturam. Item quare illud mirandum fœdus duarum naturarum in Christo unitarum factum sit, & de illo immenso filij Dei erga genus humanũ amore, &c. ubi (inquam) de illis maximis rebus dicendũ erat, ibi concionator sumebat particulam ex narratione Euangelij, Exijt decretum à Cæsare Augusto, &c. Et totam horam in maximo frigore consumebat hac unica particula, Obediendum esse potestatibus, illis dandam esse pecuniam quantã uellent: Erant πάρεργα, quibus gratificabatur, & assentabatur quorundam auribus.

In Turcia passim sunt Ecclesiæ doctores.

Turci etiam norunt certamina quæ nunc sunt in Ecclesia, sicut nos audiuimus à peregrino, qui dicebat, in Armenia esse sermones de doctrinæ emendatione seu repurgatione, qualis est in nostra Ecclesia. Item ubique & paßim sunt, qui recta docent. Sunt doctores in Asia, & in Cypro, quorum literas legi. Sunt doctores Constantinopoli, qui rectè docent. Deus mirabiliter docet, & excitat uocem Euangelij, ut exaudiatur à toto genere humano, sicut dicit: Exiuit sonus eorum in omnem terram.

Cuiusdam

Cuiusdam Tyrannis contra ministrum.

Quidam nobilis in Silesia conduxit tres milites ad interficiendũ pastorem, sed unus ex militibus texit miserum pastorem, ne interficeretur, licet aliquas plagas acceperit. Postea conuocatis ciuibus capti sunt milites, & narrarunt se conductos esse à nobili ad interficiendum illũ pastorem. Est autem imago totius Ecclesiæ, quæ habet hostes, Turcam, Papam, & alios quosdam peßimos homines. Interim tamen Deus dat aliquos, qui defendunt Ecclesiam, sicut hic tertius miles seu minister defendit hunc pastorem.

DE VERIS ET FALsis membris Ecclesiæ.

Gener Sebastiani Brand, cuius extant multa bona scripta, habebat consuetudinẽ, ut suas precationes mane recitaret, sicut multi faciunt. Quando erat in conuentu Smalcaldico, ueni mane ad ipsius hospitium dicens: Domine Beate (nam hoc erat nomen eius & uerè erat Beatus) quid tam mane? Respondit: Lego Psalmos. An non, dicebã, es in concilio? Quid ibi faciam, inquit? Quærebam porro, quid esset caussæ, quod Domini tam mane conuenirent? Respondit, dicam tibi: Magno labore quærunt cognoscere, quomodo poßint esse Christiani, sed nihil tale faciunt.

Vtrum Cicero fuerit membrum Ecclesiæ.

Quidam scripsit defensionem Ciceronis, & uult eum

eum laudare, quod fuerit uir sanctus & Christianus, eò quòd dicat alibi Cicero: Reprehendo peccata mea, quod Pompeio confisus, eiusq; partes secutus fuerim. Loquitur hoc in loco Cicero de euentis suorum consiliorum, non de peccatis in Deum. Tales ineptiæ sequuntur non intellecta phrasi.

Vtrũ posit inter pios & impios esse consensus.

Nullus erit consensus piorum et impiorum. Quando facis chordam ex neruis lupinis, tunc illa chorda nõ sonabit uel concordabit cum chordis ouium. Ita nunquam concordabit uera Ecclesia cum hypocritis. Nostræ chordæ semper dissonabunt à fidibus hypocritarum & impiorum.

DE VARIIS RELIGIONIBVS, earumq́ opinionibus ac tyrannide.

Claus Storck fuit primus author anabaptismi, Cygneæ natus, fullioniam artem exercens, & mihi familiariter notus, uagatus est per magnam Germaniæ partem: ille mihi aliquoties retulit, angelum Gabrielem secum locutum esse, ac promisisse eum fore reformatorem Ecclesiæ, sibiq; esse promissum regnum Ecclesiæ. Nihil fecit palam, sed clam tantum uagatus est, homines fraudauit multis modis. Is fuit magister Monetarij, qui seditionem in Thuringia excitauit. Tandem fuit mortuus in hospitali Monasteriensi, sic fuit eius regni finis.

Vipera imago hæreticorum.

Vipera alitur palmis, & interficitur palmis, ut est

apud Pausaniam. Palma est generosa arbor, quæ multa significat. Pulchra imago est hæreticorum, qui citant & sumunt ex sacra scriptura sententias, quas mutant in uenena, & uincuntur, & occiduntur, seu strangulantur postea eadem Scriptura.

Argumentum, quo secta Machometica refutatur.

Impoßibile est illam sectam esse Ecclesiam Dei, quæ palàm profitetur se non habere Biblia, & damnat libros Propheticos & Apostolicos.

Machometistæ non habent libros Propheticos, & Apostolicos, nisi quòd aliquid excerpserunt ex Genesi.

Ergo. Impoßibile est eos esse Ecclesiam Dei.

Doctrina Turcorum de suo Machometo, ipsorumq́ ortus.

Ipsi dicunt fuisse tres excellentes Prophetas, Moysen, Christum & Machometum: & suum Machometum anteferunt cæteris. Quia dicunt Moysen primùm populum rexisse, & constituisse paruam politiam, Christum nihil rexisse: Machometum uerò constituisse amplißimum regnum in toto orbe terrarum. Illa magna mutatio totius generis humani, est à secta Machometica orta. Cœpit autem Machometus sub Heraclio hac occasione: Milites illi Agareni & Saraceni, cùm non haberent à Capitaneis Heraclij stipendia, facti sunt prædones: postea illi Arabes milites coniunxerunt se Machometo, & occuparunt Persiam. Inde processerunt in Damascum & Syriam. Et hodie Machometica secta florentißima est in Persia.

Discri-

Discrimen inter nostram & Turcorum religionem.

Quidam, qui aliquoties fuerat Constantinopoli, uolebat uideri bene sentire de nostra doctrina, dicebat ad me: Non uideo magnam differentiam religionis inter ipsos & nos. Ad quam obiectionem sic respondeo: Machometistæ habent quædam legalia & multa ceremonialia, habent multas lotiones, precationes, &c. Item illi, qui sunt religiosiores, non bibunt uinum: sicut omnes barbari habent legalia: Quia enim lex est natura nota, homines retinent aliquid de naturali luce. Profitetur iam magna pars generis humani doctrinam Machometicam, quæ nihil aliud est nisi doctrina congruens humanis iudicijs sine uerbo Dei. Non habent articulos doctrinæ difficiles, sed tantum legalia, quæ sunt ad constitutionem imperij accommodata. Turci enim uenientes ex Asia, acceperunt leges religionis Saracenicæ, & illis coniuncti sunt contra Imperatores Constantinopolitanos. Quia Turci sunt septentrionales à mari Caspio, seu à rupibus Caucasi orti.

Hermannus Buschius poëta, uir nobilis, acerrimè se opposuit Rotmanno, quem ualdè dilexerat. Erat homo ingeniosus, eleganter facundus, & bene concionabatur: docebat Euangelium in oppido Monasterio, quem ego & D. pastor Pomeranus optimè nouimus. Quidam uerò bonus homo ibidem scriba senatus, patria Lipsensis, fauens Euangelio adiuuit propagationem Euangelij. Hic habebat coniugem mirabilem, quæ cœpit insanire amore Rotmanni, quapropter et uirum

ueneno interemit, Postea Rotmanus duxit eam, eaq; ducta, diabolus intrauit in eum. Postquam enim uidit se uenire in odia hominum, adiunxit se sarctori Hollando nouo regi, ac tumultuanti multitudini. Cœpit furere etiam spiritu, quo uolebat facere Ecclesiam sanctam. Buschius aũt ei aduersabatur acerrimè, ac uidens uincere aduersarios, discedebat ex urbe. Sed illi nebulones dederunt pœnas, erupit furor ut conspiceretur.

Quæstio, an omnes hæretici sint interficiendi?

Dux Saxoniæ Fridericus diu habuit captiuum anabaptistam in arce Schweinitz, cum quo multi docti contulerunt, sed desistere noluit. Tandem in carcere mortuus, fortasse laßitudine: quia tanta fuit moderatio principis, ut ipsum non occiderit.

Argentinensis senatus habuit pellionem captiuum, quem noui, antea diu uagatus fuerat in Liuonia, ibiq; sparsit Anabaptistica dogmata. Argentinæ annos decem aut amplius fuit in carcere. Auditus est sæpius tandem sine uiolentia est mortuus. Anabaptistæ sunt seditiosi & blasphemi. Seditiosi, quando dicunt contra ordinem iudiciorum, et contra magistratũ. Blasphemi, quando contradicunt primæ tabulæ. Tanta fuit clementia senatus, ut ipsum non interficere uoluerit.

Non iudico omnes Anabaptistas & Chiliastas interficiendos esse. Quidam in Belgico & Hispania etiam deficientes interficiunt, quod est crudele factum sine discrimine interficere quosq;, cùm Paulus iubeat infirmum recipere in fide. Præcipit uerò in illo dicto

tam

tam multa, ut illius dicti magnitudinem nemo in uno anno exhaurire posset.

Parisijs diues Mercator papista ioco dixerat ad Franciscanos: Vos geritis funem circa corpus: quia cùm Franciscus suspendendus esset, quidam redemit eum ea lege, ut per omnem uitam funem gereret. Franciscani Parisienses apprehenderunt eum, & in carcerem coniecerunt, iudicatumq; est ut suspenderetur. Ille uerò periculum mortis euadere cupiens, cecinit palinodiam, ac dixit: Martinus Lutherus hæreticè ex diaboli instinctu docet. Isti audientes hæc, rectè inquis, dicunt, & si in hac sententia manseris, saluus fies. Igitur iubent pergere, & properare lictores ad patibulum, dum esset in confeßione, ne iterum deficeret. Sic suspensus est, propterea, quod per iocum dixerat, cur Franciscani funem gererent.

Seruetus, qui ante paucos annos est à senatu Geneuensi interfectus, diu uagatus est in Africa, ubi illa Machometica contra filium Dei didicit: Postea Venetijs sparsit suum uenenum, donec uenit Geneuam, & senatus Geneuensis rectè fecit, qui talem blasphemum hominem interfecit. Est enim unum ex præcipuis officijs magistratus, facere executionem corporalibus pœnis contra deprauatores primæ & secundæ tabulæ Decalogi: quando aliquis colit idola, & Diabolicum uenenum in homines infundit, tunc magistratus iustè facit, si illum tollit. Quia mandatum Dei est, & textus seuerè præcipit, Ne parcas ei. Debet esse nemesis, & seria diligentia. Oportet enim puniri delicta,

quod & diuina uoluntas præcipit. Considerate quæso magnas miserias, plurimaq; scelera in hoc mundo uagantia.

Egranus sæpè reprehendit Paulum, quod fuerit homo indoctus, & usus sit declamatorijs uerbis, non congruentibus ad rem, ac citasse eum mutilas sententias. Idem sæpè dixit, peccatum originale esse figmentum Augustini & Theologorum, quia illud uocabulum non esset in Scripturis.

D. Martinus Lutherus.

Laurentius Valla in multis libris ita scripsit, & disputare solitus est, ut minimè uideretur uelle præcipere, nec apparet tam docere illum ueritatem & proprietatem rerum & uocabulorum, quàm maledicere & obtrectare uetustis scriptoribus, atq; obloqui. Itaq; Ciceronem uellicabat, Aristotelem carpebat, Virgilio subsannabat, maximos quosq; authores contemnebat: Vni tantum Epicuro assurgebat. Ita quoq; se efferebat, ut, cùm in Dialectica quædam inuenisset contra eorum temporum artis magistros, palam diceret, nullam esse Logicam, præter Laurentinam. Imò ne dicere quidem dubitauit, ac palam profiteri, habere se quoq; contra fundamenta fidei errores.

Quidam pictores Norinbergæ palàm affirmabant, se esse Ethnicos, & non posse credere. Cùm uocarentur à Magistratu, & eadem ab ipsis inquirerentur, dicebant, illam rem non pertinere ad magistratum: credere enim se libenter uelle, si possent ipsis dare fidem? Ita postea ex ciuitate expulsi sunt. Et rectè

fecit

fecit Senatus expellens palàm Epicureos, & Ethnicos homines, negantes se credere symbola. Magistratus enim est custos utriusq; tabulæ tã primæ quã secundæ.

Venit ad nos quidam ualidus nebulo, qui petebat se à nobis ali, quia Christianorum essent omnia communia. Respondi: Nos non possumus omnes ualidos mendicantes alere, & iussimus eum laborare. Respondebat nobis, se non habere gratiam laborandi. At fustibus gratia laborandi ipsi incudi debuisset.

Quidam bonus uir in oppido uicino uidens quendam suæ uocationis desertorem currum onerantem fimo, uenit ad me, dicens: Ille habet mentem uerè Christianam. Sic non intellexit ille bonus uir, dictum Pauli: in ea uocatione, in qua quisq; uocatus est, in ea diligenter ambulet.

Quidam professor huius Academiæ uolebat totum ordinẽ Iurisconsultorũ abolere, cui cùm resisterem, dicebat: Quid dicis? nescis cum quo agis? Spiritus loquitur in me. Simulabat se habere motus à Spiritu sancto in suo corde excitatos: sed diabolus ita eum uexabat.

Venit huc quidam homo ante annos 26. habens librum magnum erroribus Anabaptisticis refertũ (erat aliâs homo simplex, & deceptus illis furoribus Anabaptisticis) in quibus erant præcipui inter cæteros, quod adulteria uel scortationes non essent puniendæ per hominem, quia textus diceret: Scortatores & adulteros puniet Deus. Sumebam illa, quæ erant crassiora, et cum eo de illis disputabam, quæ ipse non satis intellexerat. Dicebam: Agnosco tuam in hac re negligentiã.

Quando textus dicit: *Scortatores & adulteros iudicabit Deus*, tunc sic intellige: Iudicabit Deus, scilicet immediatè, uel mediatè. Lex est uox Dei, & executio legis est opus diuinum. Tum dicebam: Vide quid quærat Diabolus. Pono casum quòd ista reciperentur: quanta fieret confusio, si magistratus ista non punire deberet? Ita conferebam cum eo placidè, dabam ei etiam uiaticum abeunti, & agebat mihi gratias. Nihil in posterum resciui, quò peruenerit.

Epicurus habuit inhonestam mulierem, quam uoluit esse communem omnibus suis auditoribus, & dixit, esse Philosophicum, non esse zelotypum. Postea dicitur esse necatus, quod ego credo esse uerum, hoc modo: Dicitur melle esse oblitus, & rogo impositus, ut hac ratione muscæ & crabrones ipsum extinguerent. Fuit pœna conueniens talibus opinionibus. Muscæ, id est, opiniones eum extinxerunt.

Non debetis ita ludere, sicut quidam facit Christum Epicurum. Epicurus locutus est de illis uoluptatibus quæ sunt in potu, cibo, &c. re Venerea. Hæc non in contemptum ullius dico, sed ut adolescentes ob imperitiam rerum absurdas loquendi formulas caueant.

An bona opera sint facienda.

In hoc nouo Collegio dicebat quidam Anglus ad me, doctus uir: Turpe est in Ecclesia illa quærere, an bona opera sint facienda, uel sint debita. Interrogaui nuper aliquem, an bona opera placeant Deo? Respondit ille: Deus illa non curat, neq; inspicit. Certè Deus est inspector

ſpector & iudex bonorum operum, & bona opera ſequuntur etiam præmia.

Pelagius Britannicus ſcripſit, peccatum originale nihil eſſe. Sunt enim omnibus ætatibus tales multi qui ſic ſentiunt, ſicut ſæpè audiui Egranum dicentem: Peccatum originale, eſt figmentum Auguſtini.

Ante aliquot annos cùm noſtri canerent Rorate, tempore Aduentus (ut uocant) quidam hypocrita reprehendit. Ecce inquit, cantant Rorate, adhuc expectant Meßiam, ſicut Iudæi. Oratio ualde fuit ridicula, quaſi poſt aduentum Chriſti non ſint cantandæ aut repetendæ prophetiæ, quæ propter hoc ipſum in Eccleſia ſemper debent repeti, ut nos confirmemur in doctrina, etiamſi loquantur de ijs rebus, quæ ſunt futuræ, aut quæ præterierunt.

Habuimus hîc duos Anabaptiſtas, homines rabioſos. Vnus à mercatore quodam circumducebatur, qui eum ſicut numen colebat. Erat magna impudentia iſtius hominis, & contumelioſè contra pios doctores loquebatur. Garriebat poſt Chriſti reſurrectionem non eſſe peccatum originale. Non enim erat literatus, tantum poterat Germanicè legere. Interfui etiam alteri, qui pro ſtabilitione ſui erroris citabat dicta ex Iohanne: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, Item: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non intrabit in regnum Dei. Quorum dictorum genuinam ſententiam non intelligebat.

Monetarius, cùm eſſet concionaturus, ſolitus aliquas matronas eleganti forma ad ſe accerſere, & ea-

rum consuetudine dixit se impleri diuino afflatu. Huc congruit dictum Christi: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Et est regula certißima: confusiones libidinum sunt signa cuiuslibet sectæ.

Duæ puellæ sunt interfectæ in diocœsi Bambergensi ante aliquot annos, quibus erant impositæ coronæ stramineæ, cùm ducerentur ad supplicium. Admodum autem hilares, & ingenti motu animi perpessæ sunt mortem. Inter cætera uerò una dixit ad alterã: Cùm Christus pro nobis tulerit spineam coronam, cur & nos iam non libenter ferremus stramineam? Quin & in cœlo Deus nobis pro his dabit alias aureis longè præstantiores. Dicebant esse Anabaptisticas. Potuit fieri quòd habuerint aliquid stultitiæ admixtũ: tamen habuerunt articulorum fidei fundamentum, & mortuæ sunt feliciter in bona confeßione, & agnitione filij Dei. Pauci homines sunt sine erroribus. Non blandimini uobis, existimantes uos sine errore uiuere.

In conuentu Bononiensi, cui interfuerunt Imperator Carolus V. Papa Clemens, & Mercurinus, disputauit Papa Clemens non esse conuocandum Concilium, aut non esse habendam Synodum, quam instituerat Imperator: quia non esset utile pronunciatam iam antea sententiam retractare, cùm de istis rebus iam aliquoties erat disputatum. Ibi Mercurinus graui oratione contrariam sententiam defendit. Vnde Papa offensus eius oratione, dixit: Quare tu audes Romano Pontifici contradicere? Mercurinus respondit: Ego

quæ

quæ dixi, dixi ex cõsilio & mandato domini mei Impe-*toris, qui hic præsens adest, cuius sententiam ipse in-terrogato.* Surrexit Imperator *&* approbans oratio-*nem* Mercurini*, dixit:* Ego *ita certò decreui nec uolo hoc mutare, nec quicquam contradicas.* Illa *sic esse acta, narratum est nobis ab ijs qui interfuerunt dicen-tes, grauißimum illorum trium fuisse colloquium.*

Dux Georgius *iturus ad conuentum Augustanum, cùm uenisset* Ingolstadium*, & uocasset ad se* Eccium*, cum quo multa conferebat de multis rebus, tandem ob-iecit* Dux Georgius Eccio*, istum textum:* Reges *gen-tium dominantur, uos autem non sic.* Igitur*, inquit,* Episcopi *non habent imperia mundana, & uexauit egregiè* Eccium*, ita ut ipsi nihil respondere posset, sicut textus non potest eludi.*

Dux Iohannes Elector *senex, optimus & præstan-tißimus princeps, cùm essent monachi dißipati, & ma-nerent adhuc monasteria, ac in conuentibus ageretur de restituendis monachis*, dixit*, se multum peccasse, quòd non in totum deleuisset monasteria igni, ut non amplius de restitutione disputari posset.*

Quidam *sic scripsit, tam naturalem esse homini concupiscentiam, quàm naturalis est motus solis.* Ita *iste magnus asinus non intellexit, quid sit concupiscen-tia, cùm sit horribilis confusio actionum.*

Ex Anglia *quotannis* Papa *accepit à quolibet numisma, quod sancti* Petri *inscribitur, qui num-mus tantum ualuit, quantum nunc dimidius ursiger, aut circiter: ita ut* Angli *certò narrent,* Papam *quotan-*

quotannis ultra nouem tonnas auri ex Anglia accepisse. Adolphus rex id regno suo imposuisse dicitur.

Quidam statim post suam electionem & confirmationem edidit quoddam mandatum in sua diocœsi, cuius exordium fuit: Sicut regem Persicum præcedebat equus ignem gestans, qui à Persis pro Deo adorabatur: sic nos præcedit consecrata hostia, quam ut uerum corpus Domini coli & adorari ab omnibus nostris subditis mandamus. Sic uoluit suam idolatriam tanquam Christianam probare ex Ethnicorum delirijs. Tanti asini sunt, ut non sciant, quomodo deceat scribere epistolam.

Fuit olim consuetudo, ut adolescentes, qui eligebantur in Canonicorum collegia, aliquid legerent in sacris literis, ut ederent specimen suæ eruditionis. Accidit igitur, ut cùm quidam iuuenis nobili genere natus, in collegium Bambergense reciperetur, iussus sit prius à Canonicis legere locum ex epistola Pauli: Expurgate uetus fermentum, &c. Et cum peruentum esset ad illum locum, Sicut estis azymi, iuuenis, cùm illam uocem non intelligeret, legit: Sicut estis asini, Prudentiores & doctiores Canonici astantes, dicebant inter se: Cùm à sapientioribus nolumus huiusmodi audire, à pueris audire cogimur.

Deliberabatur inter Canonicos Mersburgenses de quodam nobili ex Collegio ipsorum ablegando, eo quod diceretur parum esse eruditus. Re diu multumq; deliberata, tandem senex quidam iussus dicere suam sententiam respondit: Ego uideo ipsum esse nobilem, ergo

ergo in hoc nobis par est: & est ineruditus, ergo & in hoc nobis non dißimilis. Quapropter eum minime abdicandum censeo.

Quando aliquis Romæ creatur episcopus, & datur ei titulus episcopi in locis remotißimis, tunc uadit in templum, & iurat se conuersurum esse aliquas gentes ad ueram religionem, & fidem catholicam, illisq; predicaturum. Postea sumit secum quendam notarium & testes aliquot, iterum iurans extra ciuitatem se non profecturum, quia sit nimis durum & longum iter, protestaturq; ita de impoßibilitate. Postremò redit iterum Romam, & absolutionem à Romano pontifice petit, qui accepta magna pecuniæ summa, illum absoluit.

Quidam cùm concionaretur de uirgine Maria, applicauit labores Herculis ad Mariam.

In conuentu Vuormatiensi, cùm quidam obijceret, nobis schisma, dixi, nos necessariò schisma fecisse, ut & Prophetas. Eccius respondebat, quod illud esset singulare, Imò, dixi: Nos habemus mandatum uniuersale, ut discedamus ab idolatris. Sic plus est habere uniuersale quàm particulare mandatum, sicut nos habemus uniuersale: Fugite idolatriam.

Quidam dixit ad D. Philippum: Mi Domine Philippe, nos non ignoramus uestram doctrinam esse ueram: sed an tu econtra ignoras, quòd nullus hactenus nostros superare, aut conuertere potuerit? quapropter nec tu primus hoc negocium transiges.

Dixit quidam alius in concilio Augustano: Non

solum

ſolum credendum eſt ſcriptis Apoſtolorum & Pauli, qui non fuit in ordinaria ſucceßione, ſed multo magis illis, qui ſunt in ordinaria ſucceßione.

Sed reſpondeo, Pauli uocationem maiorem eſſe, quàm eorum qui ſunt in ordinaria ſucceßione. Quia habuit teſtimonium diuinitus datum, quod non erat contemnendum. Ad hæc alius dicit, ſi poſſet Pauli corpus accipere, tunc uellet illud ſuſpendere, quod author eſſet tam multarum diſſenſionum.

Epiſcopus quidam, cùm in quodam publico hoſpitio diuertiſſet, ibiq; nouum Teſtamentum reperiſſet, aperto libro, forte incidit in locum Pauli ad Romanos, ubi dicit: Arbitramur igitur hominem iuſtificari fide absq; operibus legis. Ibi ille commotus ira, dixit: O Paule, an tu quoque Lutheranus factus es? & abiecit librum.

In quodam loco dedicauit Imperator Heinricus aureum calicem ſancto Laurentio. Et fingitur poſt mortem Heinrici ueniſſe Angelum & ponderaſſe calicem iuxta peccata Imperatoris. Hoc figmento uoluerunt Papiſtæ confirmare opinionem de bonis operibus. Vidi calicem: ſed poſt bellum nemini amplius oſtenſus eſt.

Cùm eſſemus Ratisbonæ in conuentu, etiam proponebantur nobis moderationes quæ poſtea ſunt melius coctæ, Man hat ſie ein wenig beſſer diſtilliret. Inter cæteras moderationes proponebant etiam hanc: Vota non ſunt temerè facienda, ſed tamen ſi ſunt facta, non ſunt uiolanda, dicebam: Eſt perplexitas.

Alius

Alius quidem hæc proponebat: Synodis non est temerè contradicendum. Quid hoc est? Quis iubet temerè contradicere Synodis? sed tamen non omnes Synodi fuerunt piæ.

Hoc argumentum ualde urgebat quidam concionator Augustæ in conuentu, anno 30.

Antiquitati magis est credendum.

Ecclesia est antiquior doctrina.

Ergo: Ecclesiæ magis est credendum.

Probabat minorem, quia Ecclesia fuit longè prior, quàm Scriptura.

Respondeo: Nego minorem, Ecclesia non est antiquior uerbo. Quando loquimur de Scriptura, non intelligimus illos characteres. Dictum enim fuit: Semen mulieris conculcabit caput serpentis, antequam rursus Adam factus est membrum Ecclesiæ. Est enim uerbũ, siue scriptum sit, siue non.

Cùm quidam post editum Interim conquereretur apud Imperatorem, se nihil posse obtinere, quò subditi reciperent illam doctrinam, & petere, ut sua Cæsarea Maiestas eos armis cogeret ad professionem illius doctrinæ in illo libro compræhensæ. Respondit Imperator Gallicè: O le maues pasteur qui ses propres brebris deuore, id est: O quàm malus pastor, qui proprias oues deuorat.

Quidam pro concione exponebat Ethica Aristotelis, à quo audiui primam partem primi libri Ethices. Multos autem in hoc authore habebat auditores. Si sacra tradidisset, haud dubiè pauciores aduenissent.

Alius

Alius quidam licentiatus dixit: Si amitteremus omnes libros Propheticos & Apostolicos, posse doctrinam Euangelij reparari ex Ethicis Aristotelis.

Heinricus Lutzelburgensis egregius & præstans princeps fuit, cuius potentiam quidam metuentes, nullum artificiosius uenenũ inuenire poterant, nisi ut cùm Florentiæ ad cœnam Domini se conferret, in hostia ei uenenum præberent. Sic optimus Princeps perfidia & scelere istorum perijt.

Latomus Louaniensis, ualens ingenio & eruditione, fuit præcipuus ex persequutoribus Euangelij, scripsit nominatim contra me, quòd posuerim omnes sanctos ab initio post receptionem Adæ et Euæ iustificatos seu saluatos esse fide filium Dei mediatorem apprehendentes. Ille phantasticus mera deliria scripsit, inquiens, non aliam fidem fuisse in Abraham, quàm qualis fuerit in Cicerone, cum Christus dicat: Abraham uidit diem meum, & lætatus est.

Alius quidam homo uerbosus, commentariũ in epistolam ad Romanos conscripsit, & uerè decem quaterniones in uocabulo fidei interpretando seu potius calumniando consumpsit.

Quando uxor ducis Ernesti, boni principis, mortua erat Lipsiæ, ubi sepulta iacet, uenit quidam ad Principem, referens ipsi, quendam uidisse mortuam coniugem ab angelis in cœlum subuectam esse. Hoc excogitauit: quia sciuit id fore principi gratum.

Quidam in Marchia ex Paulo uoluit probare authoritatem Ecclesiæ, in disputatione cum domino pastore nostro,

re nostro, & citauit caput tertium ad Romanos: *Vbi est gloriatio:* Ecclesia *est. Legit Ecclesia pro exclusa: erat enim abbreuiatum.*

In quadam inquisitione nostro tempore, in quodam regno instituta hæc fiunt, quando aliquis sycophanta accusat amplectentem doctrinam Euangelij, tunc uenit in alteram partem prædæ, & altera pars cedit fisco, etiamsi non conuictus fuerit reus. Quòd si uerò sycophanta est industrius, tunc magnam partem facultatem aufert. Faciunt similiter, sicut olim fecerunt Iudaici sacerdotes, qui facultates eripuerunt Christianis, & suis nebulonibus dederunt, quos iudicabant firmos in factionibus suis. Videte astutiam & malitiam diaboli, & ipsius organorum.

SCHOLÆ, ET STVDIA LINGVArum, artium ac facultatum.

Ordo in studijs progrediendi, à D. Philippo nouitijs studiosis præscriptus.

MANE *surgens, dicito precationem, & lege caput in ueteri Testamento, ita ut ordine totam historiam legas, ut textus tibi fiat familiaris, etiamsi non omnia intelligis: & adde lectionem unius Psalmi.*

Die Lunæ & Martis.

Post precationem, lege certum autorem, uel epistolas Ciceronis, uel Terentium. Postea lectiones audies. Hora octaua lectorem græca prælegentem. Hora nona Dialecticen.

A meridie.

Sphæricam doctrinam, & Arithmeticam discito.

Die Mercurij.

Audies Ethicen.

Die Iouis & Veneris.

Mane post precationem, unam horam tribuito seu Liuio seu Ouidio. Deinde audies lectionem Græcam.

A meridie.

Sphæram, Arithmeticam, & Physicen. Reliquum tempus tribuito interdum lectioni difficilimarum materiarum interdum stylo, interdum iucundæ lectioni & recentium aut ueterum scriptorum. Præcipue tamen cura sit, artes ordine discere, Dialecticen, Arithmeticen, Sphærica elementa, Physica. Quia nisi artes discantur, non est certum doctrinæ corpus.

Die Saturni.

Exerceas te in græca lingua aut in scribendo solutam orationem Latinam aut uersus.

Diem Dominicam tribue lectioni doctrinæ Christianæ, legito uel locos Theologicos uel similem summam.

Leges

Leges cuiusdam de plurimorum studijs benemeriti viri, ex quibus facile ratione accedens Academiam sua studia inchoare & perficere poterit.

Qui uolet utiliter in studijs literarum uersari, ante omnia & sæpe in memoriam sibi reuocare finem studiorum debet: ita & attentius & libentius faciet, & feret omnia, quæ rei magnitudo requirit. Est autem hic generalis finis præpositus omnibus, qui se studijs dediderunt, ut Deum agnoscant ex Verbo, quo se patefecit, & illius Verbi sint custodes, & propugnatores, pro sua quisq; uirili & uocatione. Alter finis est, ut se instruant cognitione rerum, quæ ad intelligendam & explicandam cœlestem doctrinam, item ad gubernationem Ecclesiæ, & Rerumpublicarum requiruntur. Deniq; quæ ad multas uitæ communis artes necessariæ sunt. Tertius, ut mores regere, & cupiditates frenare assuefaciant disciplina & ratione, ut postea adulti, & in cœtus producti, ferre hominum infirmitatem queant, & ipsi alijs hominibus præluceant exemplis modestiæ, iusticiæ, tolerantiæ, & aliarum uirtutum necessariarum in communi uita. Hi fines diligenter & sæpe cogitati, sua dignitate excitabunt discentes, & spe ingentium præmiorum urgebunt ad præstandam aßiduitatem, & ad perferendas difficultates, quæ in hoc studio offeruntur: sicut nullum uitæ genus, non habet aliquas molestias.

De primo fine.

Ante omnia puer dabit operam ut doctrinam cœlestem diligenter cognoscat, cùm ex lectionibus publicis & concionibus, tum ex priuata lectione & precatione, & in ea quærat consensum Catholicæ ecclesiæ Christi: discat agnoscere & refugere errores deprauantium scripturas. Et priuatim quidem quotidiè, antequam alias operas inchoabit, pexo & nudato capite, Latinè primùm, ac mox (si libri copia in promptu erit) Germanicè quoq; caput unum in ueteri Testamento legat. Si qui plures unà habitent, utiliter facient, si collatis pecunijs, comparabunt Viti Theodori Norimbergensis summaria in Biblia, quæ ante lectionem capitis Biblici inspecta, monebunt pueros de summa historiæ, ad quos locos communes referenda sit. Eandem quoq; Viti summam uelim denuò post absolutam capitis geminatam lectionem repeti, ut quæ lecta sunt altius infixa menti diutius hæreant. Vesperi eodem modo, antequam ibit cubitum puer legat ex nouo Testamento caput unum, adhibitis commentarijs illis breuißimis M. Viti, ut dictum est. Hæc consuetudo præterquam quòd intellectum Scripturæ pariet, etiam accendet animum, ut ardentius Deum inuocet, & mores studiosius regat ad uoluntatem Dei. Vtile erit etiam post sumptum cibum per ocium, quasi animi causa, Psalmos Latinos ordine cantillare, uariatis modis illis, quibus in templis canuntur: item Germanicas cantiones usu ediscere, quæ à D. M. Luthero, piæ memoriæ, & alijs pijs uiris eru-

ris eruditè compoſitæ, continent doctrinæ Christianæ ſummam. Hæc ratio Pſalterium reddet pueris notius, quod ſcriptum debet omnibus pijs quàm familiariſſimum eſſe, & uocem exercebit, cuius uſus neceſſarius eſt in tota uita, maximè ijs, qui publicè docere alios uolent. Et quia Dominicus Dies totus debetur tractationi Verbi, uolo, ut qui ex meis diſcipulis D. Philippum Euangelium enarrantem audire conſueuerunt, illam lectionem nullo modo negligant. Reliquos iubeo hora ſexta matutina domi meæ conuenire ad explicationem Catecheſis Christianæ. Qui uerò eam lectionem aut faſtidioſè aſpernabuntur, aut ſomno indulgentes ſæpius negligent, eos nequaquam feram in numero meorum, ut qui illam partem institutionis contemnere audeant, quæ, ut dixi, omnium eſt præcipua & maximè neceſſaria, propter quàm ſtudia reliqua colimus, imò propter quam conditi ſumus, à Deo, nutrimur, defendimur, ſeruamur. Poſt prandium mei conuenient ad exercendam Muſicam, & pijs & artificioſè factis carminibus. Hora prima ſinguli memoriter proferent aliquam inſignem ſententiam ſacræ Scripturæ, quam uel illo die excerpſerint, uel per ſeptimanam inter legendum obſeruarint. Decet enim pueros ſic legere cœleſtem doctrinam, ut præcipua dicta memoriæ infigant, eáq; ad arguendos, excitandos, conſolandos, & commonefaciendos ſeſe & alios, cùm opus erit, in promptu habeant. Cætera quæ ad primum finem pertinent, uniuſcuiuſq; pio ſtudio priuatim committo.

Secundus finis complectitur linguarum & partium Philosophiæ studium.

DE LINGVIS.

Græci olim suam tantùm linguam studiose excolebant: Romani præcipuè suam, & deinde addebant unicam peregrinam linguam, nempe Græcam. Nos neglecta lingua uernacula, magna cum difficultate simul duas peregrinas linguas discere & complecti, Latinam primùm, ac Græcam, si historiarũ & artium cognitionem solidam nobis comparare uolumus, oportet, Cœlestis doctrinæ explicatio etiam Hebraicæ linguæ peritiam flagitat, ita nobis saltem plerisq; ut necessarium, ita difficilimum est simul trium peregrinarum linguarum studium, quod adimit nobis conatũ excolendæ & exercendæ Germanicæ linguæ, quæ minime erat negligenda, ijs præsertim qui aliquando publicæ causas agent, aut concionabuntur. Sed obijcitur. Nihil facilius est, quàm in sua lingua recte loqui: At respondeo, tales Græcos & Latinos stultitiæ & inanis curiositatis condemnare, quæ gentes à primis statim annis pueros ad certã & uenustam formã dicendi in sua lingua maximo cũ labore & solicitudine consuefecerunt, & frequentißimas scholas habuerunt, Grammaticorũ primùm, deinde etiã Rhetorũ, in quibus iuuentus uernaculæ linguæ rectũ usum longa exercitatione dicendi & scribendi addiscebat. Sed fit apud nos temporum iniuria, ut studium linguæ uernaculæ non negligatur solùm, sed etiam contemnatur, & probro detur, si quis id usurpare uideatur. Quare tandem satis graues pœ-

nas

nas damus ignauiæ nostræ, cum postea producti in cœtus, ubi nobis officij ratio necessitatem dicendi imponit, aut conscientia nostræ infantiæ obmutescimus, aut consternatione titubantes trepidamus, aut ut illorum nihil contingat, tamen impropriè, obscurè, confusè dicimus, utpote nulla prius exercitatione exculti aut confirmati. Quare hortator sum meis pueris, ut aliquam saltem curam etiam maternæ linguæ discendæ & exercendæ à primis annis suscipiant, & studiosè obseruent, ac imitari studeant illos, qui propriè, eleganter & sine affectatione Germanicè loquuntur. Legant etiam priuato studio Germanica scripta, maximè D. Lutheri, Philippi, Iusti Menij: deinde etiam oratorum quorundam, ut D. Pontani, in quibus quid quemq; deceat ac ornet, obseruent, & affectatam grandiloquentiam, ut alienissimam ab Ecclesiasticis, uitare discant. Proderit ad hoc quoq; argumenta, quæ latinè scribenda erũt, prius uernacula lingua explicare, ac deinde in peregrinam linguam conuertere. Nec parũ iuuabuntur adolescentes, si interdum duo aut tres per ociũ inter deambulandum, narrationes aliquas ueras uel fabulosas cõmemorabunt, adhibito studio proprietatis, ordinis, & elegantiæ. Hæc de lingua uernacula monuisse satis est.

De lingua Græca.

Linguam Græcam sic ferè discunt pleriq;, ut intelligere authores Græcos poßint. Ad illud propositum sufficiet diligenter ex Grammatica Græca declinationes nominũ & uerborum, & phrases præcipuè indeclinabilium partium cognoscere. Græca scripta partim

per interpretationem uiuæ uocis, partim collata uerſione latina intelligere conari: & cùm eorum ſententiam aſſecuti ſumus, rurſus eadem in linguam latinam propriȳßimè conuertere. Quod exercitationis genus præter linguæ cognitionem, etiam alias plures utilitates diſcentibus adfert. Iniungo igitur diſcipulis meis, ut profeſſorem enarrantem publicè Græcam Grammaticam & Euripidem, ſimiliter & dominum Philippum Ariſtotelis Ethica aut alia Græca ſcripta interpretantem diligenter audiant. Vtilißimè fecerint, ſi qui ex grandioribus natu explicatos uerſus Tragici poëtæ latinè redderent ſoluta & liberiore oratione, tanquam παραφράσει. *Sic enim & linguam perfectius diſcerent, & inſignia ornamenta & ſententias* γνωμικὰς *firmius meminiſſent, quibus hoc genus ſcripti eſt refertiſſimum. Mihi hoc tempore priuatim ſatis uidetur, ſi die ſabbathi poſt concionem ueſpertinam à certis diſcipulis expoſitionem Euangelij Dominicalis exigã, & poſtulem, ut ſingularum dictionum Græcarum themata & flexum indicent: unde intelligant, qua diligentia publicè Grammaticam audierint.*

De lingua Latina.

Sed longè maiori conatu in ſtudium linguæ Latinæ incumbere pueri debebunt: non modò ut Latinos ſcriptores, Poëtas, Oratores, Hiſtoricos intelligant, uerùm etiam ut eius linguæ proprietatem loquendo & ſcribendo tam ligata quàm ſoluta oratione exprimere aliquo modo poßint. Quandoquidem eius ſolius uſus

inter

inter literatos & alibi est plurimus. Cùm autem facultas & copia proprij sermonis Latini non solùm lectione Scriptorum comparetur, sed etiam requirat consuetudinem quotidiani usus in colloquijs familiaribus & exercitatione scribendi, utrique rei sedulò opera danda est. Quare decreui posthac, Deo iuuante, die Lunæ proponere argumentum in utroque genere scriptionis, ad quæ excipienda pueri conueniant, eaq; interea quinq; dierum spacio absoluta, & grandiusculis literarum figuris descripta, ita ut in marginibus sit uacua charta, ubi errata indicari & corrigi poßint, die Saturni post cœnam exhibebunt: recepturi eodem tempore, si ullo modo fieri poterit, emendata præcedentis hebdomadis scripta. Sæpè autem aliâs commonefiunt pueri de neceßitate & diligenti usu crebri styli, quibus impelli debent, ut ultrò etiam in ea parte obedientiam & diligentiam præstent. Sed si quem nec officij ratio, nec commodorum magnitudo excitabit, ut obtemperet, is sciat eam contumaciam & socordiam non carituram pœna. Loquendi autem latinè consuetudo utinam uel metu pœnarum, uel præmijs, uel quibuscunque modis adolescentibus persuaderi ac familiaris reddi poßit, quæ necessaria ad linguam discendam, quàm futuro excellenti pugili quotidiana armorum meditatio. Sed nimium hac in re adolescentia sibi studiorum impedimenta indulget, non æstimans quantum sit & commodum, & ornamentum, posse apud eruditos expeditè propriè & perspicuè cogitata animi Latine exprimere.

mere. Quam felicitatem si quis putet sine exercitatione comparari, stultè errat. Hortor igitur discipulos meos, qui extra domum meum habitant, ut cum suis contubernalibus colloquentes, tantum Latina utantur lingua. Iis uerò qui sunt domi meæ idem præcipio: sed hac lege & mulcta addita, ut si quis uernacula lingua intra domum usus fuisse deprehendatur, numulum soluat, ad præmia in certaminibus uictoribus distribuendum, de quibus infra dicemus. Eadem lege tenebuntur ij quoq;, qui alibi habitant, quoties locuti Germanicè fuerint. Cùm autem orationis Latinæ initia hauriri conueniat ex arte Grammatica, illius præcepta posthac pueris tradam, & rursus exigam hora 12. diurna, die Lunæ, & Martis: alijs duobus. Iouis & Veneris eadem hora, explicatur Terentij comœdias, ut habeant exempla puræ orationis Latinæ, quæ imitari poßint. Vtq; uel æmulatione compellantur ad repetitionem aßiduam præceptorum Grammatices, aliquot delectis ex cœtu discipulorum proponetur tempestiuè aliqua pars carminis Vergiliani ex Bucolicis, in quo dictionum ἔτυμα, origines, flexus, structuras, ita diligenter inuestigabunt delecti illi, ut cæteris suis condiscipulis conuenturis post cœnam die Mercurij & profectum ipsorum exploraturis, appositis responsionibus satisfacere, & cum eorundem laudatione dimitti poßint. Et quia prodest aliquos insignes locos etiam penitus memoriæ imprimi, ut scribentibus suppetat bonarum formularum, sententiarum & figurarũ copia, singulis septimanis mandabo paucis aliquot, ut ad

diem

diem Sabbathi manè hora sexta memoriter pronuncient in cœtu insignes aliquos locos ex bonis autoribus cum iudicio desumptos. Hæc consuetudo, *supra utilitates prius dictas, etiam memoriam excolet, pronunciationem formabit, animum addet timidiusculis illis, & rustico sæpè pudore prædi is, ut in frequentiore etiam cœtu sine deformi trepidatione aut perturbatione animi dicere alacrè, distinctè & constanter audeant. Ad illam auscultationem uolo omnes discipulos adesse, ut & quæ cum laude pronunciari audierint, imitari, & quæ reprehendi intellexerint, ipsi postea uitare conentur. Supra hæc omnia, ad comparandam facultatem* Latini *sermonis, necessaria est lectio aliquot scriptorum, ad quorum exempla pueri orationem formare assuescant, eorumq; in loquendo & scribendo similitudinem exprimere conentur.* Primum *igitur domi suæ pueri tribuant quotidie horam unam aut dimidiam lectioni* Terentij *primum, deinde epistolarum* Ciceronis, Officiorum, *& similium facilium scriptorum.* Ex *poetis autẽ legent* Vergilij *poemata, &* Ouidij *castiores libros, ut* Metamorphosin, Fastos, Tristium, *& de* Ponto *libros, ut in faciendis uersibus habeant quod imitentur. Cùm autem memoria quantumuis felix tenere omnia pariter non poßit, pueri semper ad manum habebunt libellum ad hoc comparatũ, ut in eo insignes formulas, gnomas, figuras, & similes orationis* Latinæ *flosculos inter legendum excerptos annotent, ibiq; comportata ornamenta orationis per totam hebdomadam, die Saturni aliquoties relegant, & subinde*

inde in memoriam sibi reuocent. Hæc *de orationis* La*tinæ facultate comparanda, & de adminiculis ad eam necessarijs dicta sufficiant.* Nunc *etiam de partibus* Philo*sophiæ pauca dicam.*

De studio partium Philosophiæ.

Cùm *tres partes* Philo*sophia complectatur, quarum prima sermonem in quauis lingua format, ut eo explicari res, & graues causæ disertè & ornatè exponi poßint, secunda rerum in natura noticiam tradit, tertia mores instruit: duas dicendi artes* Dialecti*cam &* Rhetoricam *(nam de* Grammatica Latina *&* Græca *lingua suprà dictum est) summo studio cognoscant pueri, non tantum ut præcepta discant, sed etiam ut usum aliquem sibi artium harum faciant scribendo & disputando. Præcepta* Dialectices *explicabo, qua potero diligentia, hora secunda dierum* Lu*næ,* Martis, Iouis, *&* Veneris. Rhetoricen publicè *prælego, & priuatim addo* Quintiliani *libros, ut habeant grandiores natu supra elementa* Rhetorices *accuratiorem etiam explicationem.* Quod *uerò ad usum harum artium attinet, argumenta scriptionum accommodabo ferè semper ad exercendam aliquam partem præceptorum nunc* Dialecticorum, *nunc* Rhetorico*rum.* Cumq; *animaduertero discipulos, confirmata* Grammaticæ *cognitione, præcepta dialectices mediocriter tenere de syllogismis faciendis, & soluendis uitiosis argumentis, disputandi quoq; morem instituam.* Audiant *etiam adolescentes plubicè elementa eius doctrinæ, quæ rerum naturas inquirit & patefacit, maximè*

xime rudimenta doctrinæ cùm de motibus corporum cœlestium, quæ in libello de sphæra traduntur, tum de uiribus & effectibus syderum, quibus in hæc inferiora corpora agunt stellæ, quam Astrologiam uulgò uocant. Cùm autem ad utramq; artem, & postea in tota uita, necessarius & summus usus sit Arithmeticæ, magno studio pueri in eam partem, & statim à primis annis usq; incumbent: dabuntq; operam, ut promptam & celerem facultatem rectè numerandi etiam difficiliores rationes multo usu sibi comparent. Quare & publicè eius artis præcepta audiant, & ego priuatim hora duodecima diei Mercurij eorundem repetitionem & exercitationem instituam. Cumq; aliquid profecisse discipulos uidero, postea, ut exempla habeant exercendorum numerorum, monstrabo illis rationem construendi figuram cœli ad quælibet tempora γενέσεωρ, quæ exercitatio uoluptatem pueris non mediocrem afferet. Et hæc nunc quidem de rerum naturalium cognitione sufficere existimo, quibus cognitis, ad alias physicæ partes abstrusiores poterunt accedere natu maiores. Ethica præcepta discant pueri publicè à D. Philippo. Sed ut communis Iuris quasi summam animo complecti possint, & ut intelligant Iuris formulas, quæ in lectione Latinorum scriptorum ubiq; se offerunt, decreui, Deo iuuante, die Mercurij, hora quinta libellos institutionum tantum Grammaticè explicare, ut noticiam uocabulorum aliquam acquirant, non profectò arrogantia aliqua adductus, aut ut falcem in alienam

messem

messem mittam, cùm facile agnoscam me nequaquam parem esse ad Iuris doctrinam docendam, quam ipse non didici: sed tantùm hanc ob causam eam lectionem instituam, ut uocabula, & phrases quæ Iuris scientiæ sunt peculiares, & tamen à Latinis scriptoribus creberrime usurpatæ, aliquanto notiora fiant adolescentibus meæ fidei commissis. Res ipsas, quæ ad iuris ciuilis intellectum pertinent, discant ij, qui se illi studio totos aliquando dedent, ab ijs, qui ex professo Iuris scientiam docent: Pertinet ad Ethicam doctrinam etiam studium colligendi uirtutum exempla, negociorũ, & casuum communium, & insignium mutationum in Imperijs, ex Historicorum & aliorum scriptis. Sed cùm historiæ non facile propter temporis angustiam pueris enarrari poßint, priuato ipsorum studio hanc operam commendo, ut si quando interuallo incidant, ubi à lectionibus publicis aut priuatis uacatio erit, ante omnia perlegant ordine Chronicon Philippi, quod Charionis nomine est uulgatum, in quo summam temporum & præcipuarum rerum gestarum, item Monarchiarum succeßionem & durationem, ac causas mutationum diligenter obseruent. Deinde cognoscant Latinas historias ordine, Plinium, Liuium, Salustium, Cæsarem, Suetonium. Vtq; cum maiori fructu historias legant, habeant in promptu librum continentem locos communium locorum Ethicorum, ad quos referant, si quid insigne in historijs ueniat, quod obseruatione dignum uideatur. Hæc diligentia multas continet utilitates, ut alibi dicetur. Tantum

nunc

nunc habui, quod de secundo fine dicendum esse arbitrabar, qui est de studio linguarum & artium.

De tertio fine.

Reliquum est, ut de tertio fine aliquid praecipiam, qui ut dictum est, morum etiam gubernationem flagitat, & continet exercitationem maxime earum uirtutum, quae nos in coetu uiuentes regunt & moderantur, ut ipsi tolerari ab alijs, & uicißim nos alios ferre poßimus. Sunt autem ille uirtutes praecipue: ciuilitas, uerecundia, obedientia, humanitas, candor seu ueritas, modestia, mansuetudo, beneficentia, gratitudo, iusticia, linguae moderatus usus. Cùm autem hae uirtutes alibi copiosius describantur, hic tantùm extrema singulorum uitia indicare satis esse duxi, ut ea pueri summa diligentia fugienda esse cogitent.

Cum ciuilitate pugnat.

Rusticitas, sordium amor	*Affectatio elegantiae & ciuilitatis odiosa, qualis est in quibusdam aulicis & mulierculis.*

Cum verecundia.

Impudenti,	*Stupor, rusticus pudor.*

Cum obedientia

Contumacia, negligentia.	*Simulatio obsequij, item obedientia in re flagitiosa.*

Cum humanitate.

Durus aut qui non afficitur alienis rebus, nec	*Adulatio, & nimia facilitas, futilitasq; in amici*

libenter

libenter fert communia onera, μισανθρωπία.	*cijs iungendis : item πολυπραγμοσύνη in suscipienda cura alienarum rerum.*

Cum candore seu veritate:

Suspicacem esse, calumnia, ironia, mendacium,	*Credulitas, non discernens recta à prauis, assentatio, laudans etiam praua.*

Cum modestia:

Superbia, φιλαυτία, arrogantia, contemptus aliorum.	*Abiectio hypocritica, seu extenuatio immodica suorum donorum: item assentatio, omnia aliorum nostris præferens.*

Cum mansuetudine:

Iracundia, acerbitas, morositas, cupiditas uindictæ.	*ἀοργησία, patientia parasitica, simulatio lenitatis occultè captans occasionem ulciscendi.*

Cum beneficentia:

Sordes, illiberalitas, tenacitas, maleuolentia, cupiditas lædendi, premendi, impediendi alios.	*Prodigalitas, largitiones officiorum, profusio, facilitas erga quoslibet, neglectis suis rebus.*

Cum gratitudine:

Ingratitudo, nocere benefactori.	*Seruitus, cùm quis gratificatur benefacere in re turpi aut impia.*

Cum

Cum iusticia.

Rapacitas, πλεονεξία, *fraudatio.*

Rigor *iuris*, ἀκριβοδί-καιον.

Cum moderato vsu linguæ.

Δυσωπία, *occultatio insidiosa*; *silentium contumax*, *superbum*, *fastidiosum.*

Garrulitas, *uanitas*, *præcipitantia*, *curiositas*, *coniuratio*, *maledicentia*, *obtrectatio*, φιλονεικία, *scurrilitas*, *futilitas.*

Hæc uitia agnoscere in alijs, & odisse, & acerrimo conatu uitare iam inde usq; à pueritia scholastici debent, & obseruare, ad quæ uitia singulorum naturæ sint pronæ, ut illas inclinationes ratione & iudicio, uitatis occasionibus, flectere & cohercere assuefiant. Eam ob causam prodest pueros statim ex angulis & solitudine in cœtus & scholas frequentes produci, ubi occasio sit & agnoscendorum uitiorum, & econtra uirtutis exercendæ. Quare ut plures fiant causæ pueris meis conueniendi, utq; facilius ad communia officia humanitatis assuefiant, inter eos, ut in Republica, ordines & gradus secundum profectum & captum constituere decreui, ut ipsos inter se committere, ut interdum uel uersuum Gnomicorum recitatione concertent, uel ænigmatis aut obscuris & intricatis constructionibus ingenij uim & celeritatem acuant & exerceant, unde uicti cum pudore, uictores præmijs ornati discedant, & hoc modo partim amore laudis, partim metu reprehensionis excitabuntur, liberales etiam ad diligentiam in discendo. Tempora autem

illis certaminibus tribuenda, satis maturè semper indicabimus. Nec uerò negligi aliæ uirtutes debent, quibus singuli etiam extra cœtus, mores suos & cupiditates ad præscriptum rationis, & imprimis ad uoluntatem Dei regere conabuntur, ut sunt, pietas, temperantia, castitas, uigilantia, fortitudo, in tolerandis difficultatibus, sine quibus nec doctrina Ecclesiæ cognosci, nec studia literarum coli possunt. Hæc de ratione uitæ & studiorum secundum tres fines in summa dixi, quæ isti ætati, discentium primas artes conuenire iudicaui. Si quæ sint prætermissa, illa per sese quisq; facilè addet. Cætera ita sunt pro ratione præsentis status & morum attemperata discentium commodis, ut nisi me opinio mea uehementer fallat, existimem, si quis iuxta præscriptam rationem instituatur, & aliquandiu exerceatur, eum breui tempore non exiguam accessionem morum probitati, eruditioni, & iudicio factum esse, reipsa deprehensurum. Sed tamen ut id facilius fiat, necessario addenda est admonitio ista, omnia sic demum profutura esse primùm, si omnes conatus nostros referamus ad obedientiam Deo præstandam, & ad gloriam eius ornandam & celebrandam: deinde, si opem diuinam aßiduè & sine intermißione imploremus, & petamus, ut ipse studijs nostris successus felices aspiret. Postremò, si freti conscientia piæ uoluntatis & fiducia diuini auxilij, acri studio & indefessa diligentia præscriptam rationem studiorum & uitæ seruare conemur. Vt autem in conspectu pueri habeant breuiter descriptas diuersas

operas,

operas, breuiter eas ex his legibus decerptas in tabellam aliquam redigant, quam singulis diebus manè, post finitas preces inspiciant, & de illius diei penso commonefiant, & sub noctem rursus perlustrent, numquid partis studiorum omissum sit.

Finis legum, quas excellenti doctrina præstans, & de multorum studijs benemeritus uir, olim Vuitebergæ suis discipulis præscribebat.

Ecclesia non potest carere scholis, quæ semper ipsi fuerunt adiunctæ & series doctorum in Ecclesia.

Nunquam uera Ecclesia sine scholis aliquibus fuit, ac ne potest quidem diu conseruari, doctrina, nisi scholastici cœtus adiungantur ad Ecclesias. Haud dubiè primis patribus, Adæ, Noe, Sem, ideo prorogata est uita tot seculis, ut auditores haberent testes ἀξιοπίστους de prima origine generis humani, deq; initio doctrinæ. Postea familiæ Abraham, Isaac, & Iacob prorsus scholæ fuerunt. Deinde cùm lex Moysi data est, iam clarum mandatum de scholis additum est. Constitutum est enim, ut ad tabernaculum semper essent cœtus docentium & discentium. Nam in politia Moysi, ad tabernaculum classes Sacerdotum & Leuitarũ constitutæ fuerunt, non solum ut ibi mactarent pecudes, sed multò magis, ut legẽ populo enarrarent, responderent ambigentibus animis, & dijudicarent dogmatum controuersias, ut clarè testatur caput 17. Deuter. ubi iubet deferri controuersias ad sacerdotes Leuiticos, et ad locũ

tabernaculi, & iudicari res non ex arbitrijs potentum, sed ex lege diuina. Illud Collegium, uel Academia optime constituta, usq; ad Christum, circiter 1500. annos, doctrinæ diuinæ interpres & custos fuit. Illi Collegio traditus est in disciplinam Samuel, perinde ac si esset in Academiam bene constitutam missus. Postea cùm negligerent studia sacerdotes, Deus excitauit Prophetas, qui magnas cateruas discentium secū traxerunt. Tantum enim agmen erat eruditorum Elisæi, ut cùm antea in Hiericho habitassent, postea propter eius loci angustiam quærerent ad Iordanem aliam sedem. Post Samuelem floruit Nathan: deinde Achias Silonites sub Salomone & Ieroboam: hunc secutus est Ananias Assæ tempore. Deinde excitatus est Elias, qui cùm diu res maximas gessisset, & docuisset circiter annos triginta antequam à Deo in cœlum euectus est, successorem Elisæum elegit, qui annos septuaginta gubernauit Ecclesiam Israel: Vidit hunc adolescens Esaias. Elisæo uerò successit Ionas, quem arbitrantur fuisse filium mulieris Sareptanæ, ab Elia reuocatum ex morte. Cæterum abductis decem tribubus, successit Esaias in Iuda, qui docuit annos octoginta, & liberauit regnum ingentibus bellis. Nam quilibet Propheta habet aliquod insigne πολίτευμα. Post Esaiam excitatus est Hieremias, qui annos 40. concionatus est. Post Hieremiam, Daniel: qui etsi instituitur doctrina Chaldæorum, tamen hunc uicissim postea reges omnium maximi, tanquam discipuli, audiunt. Nabuchodonosor, Euilmerodach, Darius Medus, & Cyrus.

Danie-

Danielem secutus est Zacharias: ipsum uerò Esdras et Hieremias, qui attigerunt Alexandri Macedonis ætatem. Nehemiam Onias secutus est, celebratus in Ecclesiaste. Postea Simeon Oniæ filius doctrinæ puritatem conseruauit. Aliquanto pòst secuta sunt Machabæorũ bella, quo tempore sacerdotes diu iam Ethnicorum more certauerunt ambitione de principatu, & doctrinam ac disciplinam flagitiose neglexerunt. Accidit enim eo tempore, quod omnibus temporibus fit, ut si quis unico uerbo authoritatem alicuius in officio uersantis offenderit, certè non Deum conditorem illius hominis, sed diabolos ipsos læsisse discas, qui nunquam audiuerunt aut docuerunt illam doctrinam in Dominica oratione à Deo præscriptam, Remittite & remittetur uobis. Sed exortus est tandem Mathatias sacerdos, legis diuinæ assertor. Ita Machabæi restituerunt doctrinam. Post hos creuit impudentia in populo Dei: & repudiatis Prophetarum monumentis, cœperunt ingenia prophana amare Græcam Philosophiam. Hinc extiterunt sectæ diuersæ Pharisæorum & Sadducæorum, qui palàm Epicureas opiniones professi sunt. Itaq; cum diu horribiles essent tenebræ in populo Dei, Deus rursus excitauit scholas per Simeonem & Zachariam, quorum mentio fit in Luca: Deinde per Iohannem Baptistam, postquam docere cœpit Christus, qui scholam Apostolorum habuit aßiduam. Et Hebræi adfirmant Mosis institutum (qui septuaginta seniores elegit, ut scribitur capite 11. Numerorum) mansisse in omnem posteritatem, idq́; postea fuisse collegiũ doctißimorum

 hominum.

hominnum quod nominarunt Sanhedrin, quod pro Græca uoce συνέδριον usurparunt. Sed qualiscunq; ille Senatus fuit, Prophetas constat habuisse aßidua auditorum agmina. Hunc morem, quem uiderant Apostoli seruatum à Prophetis, Baptista & Christo, retinuerunt & ipsi. Nam hos quoq; suas scholas habuisse apparet ex Irenæo, dicente, Iohannem Apostolum Ephesi habuisse aßiduos multos auditores, & in his Polycarpū, qui postea in Ecclesia Smyrnia circiter quinquaginta annos doctrinam à Iohanne traditam feliciter propagauit. Huius auditor Irenæus doctrinæ riuos in Galliam & Pannoniam duxit. Ac fuisse tales scholas apparet, ubicunq; frequentiores Ecclesiæ fuerunt. Celebratißimæ fuerunt, Antiochena, Alexandrina, Cæsariensis, in qua Origenes docuit: Byzantina, in qua Basilium didicisse Nazianzenus scribit. Nec aliud fuisse initio Collegia canonicorum certum est, quàm docentium & discentium cœtus. Et in ipsa Germania ante Attilam fuerunt adiunctæ scholæ mediocres Ecclesijs. Nam Irenæus & Epiphanius citant testimonia Germanicarum Ecclesiarum: Qua ex re apparet, cito propagatum fuisse Euangelium in Germaniam, & aliqua literarum studia in hac natione fuisse. Legimus etiam Lucium Cyrenæum Pauli discipulum primùm docuisse Euangelium ad Danubium in Augusta Tiberina, quæ nunc est Ratisbona, eaq; in loca uenisse eum cum Romanis exercitibus, qui tenebant Rhetias consentaneum est. Illuxit Euangelium Argentorati populo, & Agrippinæ Coloniæ doctore Materno,

Petri

Petri discipulo. Trophimum Arelati fuisse Eusebius testatur. Clemens Metenses ad Christi agnitionem uocauit. Crescentem aiunt uenisse Moguntiam. Marcum Pauli discipulum (antiqua monumenta Ecclesiæ Passauiensis, ad Danubium testantur) concionatum esse in urbe Iuliobona, quæ sedes fuit Episcopi in Norico ante collegium Passauiense. Tot magni & sapientes uiri, cùm in Germaniam & Galliam uenissent, haud dubiè præcipuam studiorũ curam habuerunt, ut ad pastores per homines rectè institutos & solidè doctos Euangelium rectè propagaretur. Etsi autem postea temporibus Barbaricis cum Vandalicis Hunnica & Francica bella magnas uastitates fecissent, ita ut uetera Collegia euersa essent: tamen qualescunq; reliquiæ ecclesiæ, quæ supererant, carere literis non potuerunt. Rursus igitur Collegia canonicorum & monasteria condita sunt. Et cùm in collegijs canonicorum studia negligerentur, quòd essent occupati regum & aularum negocijs: munus docendi in monasteria est translatum. Hæc cùm onerarentur ceremonijs, non potuerunt docendi laborem molestum & difficilem simul sustinere. Exortæ simul sunt Academiæ, in quibus studia literarum utcunque exercitata sunt. Sed disciplinæ uincula nimium laxata sunt. Ex hac Historica commemoratione satis intelligi potest, & semper fuisse adiunctas scholas Ecclesijs, & amißis literis, lucem Euangelij extingui.

Academiarum labores qui:

Sint Academiæ aristocratiæ, ut alueoli apum, suum quisq; officium rectè faciat: doceamus utilia: con-

feramus operas candidè: iuuemus nos mutuo: tueamur communem quandam concordiam cum quadam Philosophica moderatione.

Alia ratio studendi, parum dissimilis à priore, cuidam Iuris studioso ante viginti annos aut circiter, à D. Philippo Melanchthone præscripta.

Initio finis constituendus est studiorum: ut enim in alijs omnibus deliberationibus quæri solet, quam utilitatem: quem fructum adferre poßit, quod suscepimus: ita etiam in studijs initio considerandum est, quam ad uitam utilitatem adferre queant. Et eligenda sunt ea studia quæ plurimum conferunt tum ad uitam priuatam, tum ad Respub. rectè administrandas.

Prima sit cura cognoscendæ doctrinæ Christianæ, iuxta illud. Primum quærite regnum Dei. Sed ad eam cognoscendam satis erit audire unam Lutheri prælectionem: item conciones diebus Dominicis & festis audire sufficit, Item methodum aliquam: nam in omnibus artibus oportet tenere summam aliquam: idq́; maxime opus est in doctrina religionis. Ad hoc conducent uel epistola ad Romanos, uel ad Collossenses, uel Loci communes à me scripti: neq; totum diem aßidere oportet Theologicis libellis. Satis est Dominicam diem in horum conferre lectionem. Et mane cùm surrexeris, aut cùm uesperi cubitum ibis, legendum aliquid in Biblijs, quod ad precandum excitet, ita simul multa disces.

Altera

Altera pars ſtudiorum non minus neceſſaria eſt, ut tractatio literarum humanarum: nam ad uitam opus eſt multis alijs artibus. Sed tibi prodeſt adhuc aliquantiſper in ſtudio rectè dicendi uerſari: quia mediocris ratio benedicendi neceſſaria eſt ad religionem, ad ius & ad omnia ciuilia officia uitæ. Audiendi in literis Latinis Ciceronis *libri de* Officijs, Rhetorica: *ſed addenda etiam philoſophiæ ſcientia.* Ideo *ſunt audienda elementa* Mathematum, & *die* Mercurij Politica. *Sic duas* Philoſophiæ *partes diſces:* Naturalem & *moralem.*

Tertia pars diſcitur in Rhetoricis, Dialecticis. *Eſt autem opera danda, ut libelli continentes* Methodos, *hoc eſt artium ſummas, diligenter diſcantur: ut* Dialectica *à me ſcripta, &* Rhetorica: Epitome Philoſophiæ *moralis, &* Phyſices: Libellus Sphæricus, Politica, Institutiones Iuſtiniani. *Domi biduum in ſeptimana collocabis in* Terentium, *quem ſubinde debes relegere, ac ſatis eſt quotidie duas horas ad ſummum in hoc conſumere.* Nec *uolo te aut multum ante lucem ſurgere, aut ſerò cubitum ire: ſed omnino habenda ratio ualetudinis & ſanitatis.* Eſt *item biduum collocandum in* Liuium. *Dies unus collocetur in* Græcas *literas, audias lectorem* Græcæ *linguæ.* Quod *supereſt temporis, conferendum eſt in exercitationem ſtyli: propter quod intermitti interdum lectio* Liuij *poterit.* Interdum *legi etiam* Vergilius *aut* Ouidius *loco* Liuij *poteſt, ne aßiduitas in autore difficili pariat tædium.* Neq; *enim ita putes te eſſe alligatum ad* Liuium.

quasi piaculum sit intermittere eius lectionem: satis est habere certum aliquod domicilium, ad quod te recipias, postquam fueris expatiatus ad Vergilium, Ouidium, aut Horatium. Stylum ita exercebis, ut aliâs scribas epistolas aliás uersus, aliâs ex Græco uertas. In authoribus quid sit obseruandum, disces in prælectionibus: uerba, phrases, sententiæ. Nunc ante omnia disces uersus facere, hic sit hoc tempore præcipuus labor. Leges igitur Prosodiam, & aliquid Vergilij, seu Ouidij, omisso Liuio. Tempus partiendum, & distribuendæ horæ, ita minuetur labor, & uarietate quadã subinde recreabit se animus: nec tamen illa uarietas nimis magna erit, qualis obesse solet in discendo. Dominicum totum diem ponendum censeo in lectionem sacrarum literarum, item totum diem Saturni. Legenda est autem aliqua epistola Pauli ab initio usq; ad finem, ut discas undè summa Christianæ doctrinæ (sicut in alijs studijs, summa quædam seu methodus comprehenditur) informetur. Ita in sacris literis præstandum est, ut totam doctrinam animo complectamur, alioqui fiet si carptim degustetur, ut sæpè in iudicando decipiaris. Lege initio epistolam ad Galatas cum Lutheri commento, uel Colossenses meos, & iterum atq; iterum relegi oportet.

Dies Lunæ collocetur una atq; altera hora in Ciceronis Epistolas.

Dies Martis ponatur una atq; altera in Terentij lectionem, illo perlecto legatur & Liuius.

Dies Mercurij totus collocetur in Græcas literas.

Dies

Dies Iouis & Veneris collocentur in lectionem Terentij & Liuij, his aliquoties perlectis legatur et Vergilius.

Reliquum tempus collocetur in exercitationem styli, aliàs in lectionē alicuius poëmatis, aut aliud quiddā pro arbitrio, ut tantum uoluptati studiorum seruiat.

Nemo utiliter discet sine exercitatione styli, sed scribendum est ad alicuius iudicium, qui ostendet quid sit probandum, quid non sit probandum.

Credo multas sententias Hieremiæ esse dictas ab Elia. Hieremias potuit esse auditor Eliæ, ut Daniel Hieremiæ.

Vnde doctores Ecclesiæ suam doctrinam acceperint.

Clemens ait, se peruagatum esse totam Asiam, & de singulis doctrinæ articulis consuluisse eruditos ubique: sed postquam uenit Alexandriam, fuisse se contentum iudicio Patiani, quem ait eruditione & pietate eximia præditum fuisse, ac ornatum testimonijs Spiritus sancti seu miraculis.

κακοζηλία est in omnibus studijs infelix.

Dicitur de lyra Orphei, quòd peruenerit in Lesbum. Credo quòd ibi fuerint excellentia studia, ita ut ob eam causam dicta sit lyra Orphei eò peruenisse. Filius principis in Lesbo cogitauit, si caneret lyra Orphei, se futurum alterum Orpheum. Voluit trahere ad se bestias noctu, et cantauit. Eo igitur canente noctu, canes conuenerunt, & eum dilaniarunt. Iste est èxitus κακοζηλίας. Sic omnes iam uolunt esse Lutheri,

sed

sed lacerantur à canibus. Quia semper κακοζηλία *est infelix. Mortuo Iulio Cæsare, omnes interfectores eius ipsi conabantur esse pares. Quia unusquilibet cogitabat de Monarchia.*

An Philosophi sint corruptores iuuentutis.

Plato, cùm obijceretur Philosophis, ipsos esse corruptores iuuentutis, inquit: Imò *nos non corrumpimus iuuentutem: sed uide theatra, illorum mugitibus implentur animi auditorum, & alienantur à recta doctrina, & uera uia.*

Studia eunt in mores.

Noui Comitem, ex optimo & sapiente patre natum, qui propter summam suam sapientiam fuit ualdè charus Imperatori. Is nimis amans scurrilitatis, eligebat sibi lectionem Martialis: & uita concurrebat cum Martialis carminibus. Sic corrumpunt bonos mores colloquia praua.

An curæ fuerit veteribus Arithmetices studium.

Socrates apud Platonem in Legibus, etiam hanc legem tulit, ut ciues cogerentur discere Arithmeticam. Proinde & Romanis magnæ curæ fuit, ut liberi eorũ, cum primis literis etiam Arithmeticen perciperent.

Alæ humanæ mentis quæ.

Plato in Phædro fingit duplices animas, quarum alteras ait alatas esse, alteris uerò alas décidisse. Alatas ait uolitare in cœlum, fruentes congressu colloquioq; Dei, & pulcherrimo spectaculo cursuum

Cœlestium

cœlestium, & considerare causas omnium mutationum in inferiori natura, in aêre, in animantium corporibus, in hominum studijs & moribus, in uarijs imperiorum & ciuitatum casibus. Atque *hæ animæ toto uolitantes cœlo, captæ pulchritudine diuinarum rerum, & illius admirandi ordinis, & suauitate doctrinæ, & uirtutis: hac una uoluptate perpetuò frui cupiunt, nec onerant se obscœnis uoluptatibus, quæ perturbant harmoniam uirtutum in animis, & obijciunt caliginem, nec cœlestia aspicere poßint.* At *illæ animæ, quibus alæ deciderunt, humi uagantur, & uoluptates quærunt impuras ex rebus terrenis.* Nec *enim illam pulcherrimam lucem rerum cœlestium inspiciunt.* Etsi *autem* Plato *alas intelligit heroicos impetus ingeniorum, tamen ne illi quidem impetus soli animos subuehunt: sed opus est etiam artibus, quibus illi ipsi impetus attollantur.* Sunt *igitur alæ mentis humanæ* Arithmetica & Geometria. *Has si alligauerit sibi aliquis ingenio non sordido, facilimè penetrabit in cœlũ, ac liberè in cœlestium cœtu uagabitur, illaq; luce, & sapientia fruetur.* Prima *est numerorum intelligentia: id sensit* Pythagoras, *cum definiuit mentem esse numerum.* Significauit *enim animam esse rationatricem, quæ discernit res, & ordinem animaduertit.* Hæc *sunt maximè propria menti, & sunt primæ mentis functiones.* Quare *aptè definiuit mentem esse numerum, uidelicet, numerantem.* Hæc *causa est, cur & ueteres* Græci *mox post* Grammaticen *tradiderunt* Arithmeticam: Deinde *tertio loco proponebat* Dialecticen:

quarto Geometriam. Videbant enim Dialecticen initia sumere ab Arithmetica. Et exercitatio multiplicationis & diuisionis optimè præparat ingenia ad syllogismos. Item uis demonstrationum melius intelligi potest, cognita Arithmetica, quæ habet maximè illustres demonstrationes.

An aliquid sine repetitione discamus.

Quidam doctor, cùm non didicisset Grammaticam, conducebat sibi priuatum præceptorem (ambo enim mihi noti erant) cùm uerò præceptor postridie reposceret dictata, ut est usitatum: Domine Magister, inquit doctor, non conduxi te, ut dictata reposceres, sed uolo mecum expositas lectiones ruminare. Ita tantum, quantum prius nouerat, profecit.

An Philosophus sine Dialectica existat.

Plato in Repub. spurios philosophos appellat eos, qui sine Dialectica satisfacere se alijs artibus existimabant. Idem: Indocti Dialectici lacerant doctrinas, sicut caniculi panniculos. Est insignis similitudo, sicut excellens est in similitudinibus Plato.

Quid stoicorum Dialectica.

Philosophi dixerunt, quòd Stoicorum Dialectica sit similis Polypo, qui tenaciter quidem adhæret, sed in fame arrodit suos digitos. Sic Stoica Dialectica corumpit & euertit seipsam.

An sine Dialectica Iurisconsultus reperiatur.

Audiui Doctorem Hieronymum Schurpfium perfectum

fectum Iurisconsultum, dicere: nihil est, uelle esse Iurisconsultum sine Dialectica.

Quæ necessaria ad poëma scribendum.

Aristoteles dicit quinq; necessaria esse scribenti poëma, quanquam dicit de Tragœdia, primo, argumentum ὑπόθεσις, *secundo,* λέξις, *genus sermonis: tertiò* ἦθος: *quartò,* διάνοια, *sententia: Vt quando Aeolus inclusit uentos in utres, & cùm dormit Vlysses, socij cogitant magnam ibi esse auri uim Vlyßi donatam, eamq; contemplari uolentes, resoluunt utres. Ibi uenti erumpunt, & cient procellas.*

Sic dum quærit opes cæca spe captus auarus,
Accersit ventos & noua damna sibi.

Quintò, ὄψις, *id est, spectaculum, quod incurrit in oculos. Huius dicti Aristotelis debent omnes qui scribunt, dicunt, aut concionantur, memores esse.*

Accidit seniori bachanto, quod nunc multis scholasticis, qui cùm non posset ediscere uersus Alexandri, emebat sibi pelliceam uestem candidam, in qua scribebat uersus Alexandri, ut semper ipsi essent in conspectu. Semel pertransiens pontem, uento deijcitur in aquam: Ibi totam suam doctrinam amisit.

Geometriæ laus.

Galenus fatetur, se penè in amentiam Pyrrhoniorum delapsum esse, nisi in Geometria uidisset tantam uim esse demonstrationum.

Laus Mathematices.

Plato prudenter dixit: eum uirum tantum beatum esse, qui doctrinam Mathematicam didicisset:

huius mores poſſe regi: hunc moderatum, iuſtum & utilem ciuibus fore. Verba eius hæc ſunt: Vnum eſt naturæ uinculum, doctrina numerorum, figurarum, & motuum cœleſtium: ac ſi quis aliam uiam ad diſcendum inuenire poteſt, fortunam inuocet, ut dici ſolet. Nam ſine his nemo in ciuitatibus unquã beatus exiſtet: hic modus, hæc educatio eſt, hæc diſciplina ſeu facilis ſeu difficilis: per hanc ire neceſſe eſt, nec fas eſt negligere Deum, qui gratam de ſe famam in his artibus generi humano attribuit.

Vtilitas Aſtronomiæ.

Extenuat Aſtronomiam Phauorinus apud Gellium, & dicit pauca quædam prouideri, ſeu (ut ipſius uerbo utar) παχυμερέστερον. Imò ſic ampliſsimo præconio ornauit artem: ſiquidem quædam in natura aut moribus præcipua animaduerti poſſe, inquit.

Philoſophia quid.

Ariſtoteles citat dictum Alcidamantis oratoris, qui interrogatus quid eſſet Philoſophia, dixit eam eſſe murum legum. Et uerum eſt dictum, quia loquitur de demonſtrationibus, quid ſit ius naturæ, quare ſit firmum. Et illæ demonſtrationes ſunt firmamenta iuris.

Querela Argyropyli.

Capnio, cùm Romam à principe Palatino certi negocij cauſa miſſus eſſet, uenit in lectionem Argyropyli, qui tunc Romæ magna cum laude docebat Græcè. Cumq; Capnio reuerenter ſalutato Argyropylo, in conſeſſu multorum doctiſsimorum hominum exponeret

ueret ei, se hominem Germanicum, incensum studio Græcarum literarum, gratulari sibi eam fortunam, quòd occasio audiendi ipsius contigisset, quo illis quidem temporibus nemo in Philosophia & Græca lingua doctior prædicaretur: orassetq́; ut sibi audiendi ipsum potestatem faceret: delectatus Argyropylus oratione Capnionis, cùm operam suam benigne pollicitus esset, interrogat, an attigisset Græcas literas? Capnio ait se Basileæ in Germania audiuisse Græcæ linguæ elementa. Enarrabat autem tum fortè Argyropylus Thucididem, hunc exhibet illi, ac iubet legere, deinde etiam interpretari. Cùm autem suauiter pronunciaret Capnio (fuit enim perstudiosus rectæ pronunciationis) & sententiam sic satis Latinè redderet: ibi Græcus ille admirans, conuertit se ad auditores, & exclamans: Ecce: inquit, Græcia nostro exilio transuolauit alpes.

Eloquentia homines mansuetiores reddit.

Venustas finxit Mercurij uirga animas orco reuocatas esse, & Orphei cytharam syluas & saxa traxisse. Significare uoluerunt uiri sapientes, peculiari quodam dicendi genere rudes mortales, & feros adhuc mansuefactos esse.

An Philosophi sint iusti.

Cicero reprehendit Platonem, quòd dixerit Philosophos, tametsi abstineant à Reipublicæ administratione, tamen iustos esse propter hanc ipsam magnarum rerũ inquisitionẽ. Sed Plato rectißimè sensit. Est enim iusticia suum quemq́; officium facere, & fructum eius

officij conferre ad communem ſalutem generis humani. Id maximè facit Philoſophus, qui religiones, rerum naturalium cauſas, omnium honeſtorum officiorum leges explicat, & has res diuinas cæteris impertit, artes illuſtrat aut docet: deniq; qui ueritatis & iuſticiæ doctrinam conferre ad aliorum utilitatem ſtudet. Rectè igitur Plato dixit, iuſtos eſſe Philoſophos, qui doctrinã utilem uitæ tradunt. Non geßit magiſtratus Iſocrates: ſed conſilijs ſuis gubernauit Imperatorem laudatißimum Timotheum, & formauit ingenia multorum qui poſtea in Republica principes extiterunt. Nec melius de Republica meritus eſt Aeſchines cauſidicus, quàm Ariſtoteles: qui etſi nec magiſtratus geßit, nec cauſas egit, tamen Alexandrum & multos alios principes finxit ad iuſticiam & beneficentiam. Iaſon Iuriſconſultus gubernauit magnam Italiæ partem: nec tamen minus de Republica meretur Bartolus, qui in ſchola tantum uixit. Philippus medicus Alexandri exercitum ſecutus eſt, ac regem ipſum ingenti periculo liberauit. Neq; tamen minus de Republica meretur Galenus, qui nullum exercitum ſecutus, ſed in ſchola aſſedit, & ſcripſit doctrinæ ſuæ monumenta.

Studium collationis multum in diſcendo conducit.

Cicero ait magnam uim in diſcendo habere ſtudiuus conferendi, quod συζήτησιν uocat ipſe. Et Salomon ait: Vt ferrum ferro acuitur, ita uir excitatur à uiro. Significat enim, ingenia cum admoneri collatione conſiliorum atq; opinionum, tum exemplis excitari, iu-

ri, iuxta Euripidis dictum: ὁμιλία ἔτεκε τὰς τέχνας.

Quæ in lectione bonorum scriptorum obseruanda.

Fabius monet, scripta euoluenda esse cum tali sollicitudine, quasi nos ipsi ita scripturi uel dicturi simus: quod ita fiat, ut uigilantioribus oculis omnia lustremus, nihil nobis elabi patiamur quod obseruatu dignũ sit, & ad omnes uirtutes scriptorum expendendas attentiores reddamur.

An aliquis artem rectè didicerit, signum.

Aristoteles dixit, id primum certum signum esse, quòd aliquis quippiam rectè sciat, si de eo ipse loqui, & alium docere poßit.

Poëmata sunt immortalia.

Tithonus filius Laomedontis regis Troiani, raptus ab Aurora, petiuit ab ea immortalitatem. Aurora ipsi dedit eam. Sed ipse oblitus, se non solum debere immortalitatem petere, sed & ἀγηρασίαν, id est, non senescentiam: factus est ita senex, adeoq; debilis, ut immortalitas fuerit ei oneri. Petiuit igitur mutari suam senectam, mutatus est in cicadam. Id est, Poëmata senescunt, & sunt immortalia: cum posteritate uerò crescit eorum admiratio. Homeri opus creuit diuturnitate temporis apud posteros.

Quò in quotidiana lectione respiciendum, de qua re sic ait Plinius.

Non multa, sed multum legendum est. Non multa,

 id est

id est, non distrahendum studium in diuersißima: sed multum sæpè legendum, & una eademq; res sæpe iteranda & relegenda est.

Geographicarum tabularum vtilitas.

Inspicere tabulas, considerare loca & regiones, debebat uobis ludus esse: sicut Cæsari Carolo V. Cum enim hic esset in obsidione oppidi Vuitenbergæ, tunc in pago Pistritz, quando accesserunt ad eum Principes, suffultus brachijs sedit apud mensam, & inspexit tabulas Cosmographicas. Ita iuuentus est incumbere tabulis, & considerare loca & regiones, in quibus ipse cum exercitu uersaretur.

Osiandri ingeniosum inuentum.

Osiander scribens Hebraicum Alphabetum, inuertebat chartam: tunc in altera facie chartæ erat Græcum Alphabetum.

Literæ Græcorum à Phœnicibus sumptæ.

Herodotus testatur, quòd antiquæ literæ Ionum sint similes characteribus Phœnicum: & inde sunt coniecturæ, quòd literæ Ionum sint à Phœnicibus ortæ.

An Græcæ linguæ professoribus stipendium debeatur.

Gregorius Triuernas ante annos 68. uenit Parisios, & à senatu Academiæ stipendium postulauit, quòd ibi græcas literas docere constituisset. Cumq; nonnullis inciuiliter facere uideretur, quòd stipendium flagitare ausus esset, cùm senatus Academiæ neq; accersisset

ceſiſſet eum, neq; ſignificaſſet ſe ipſius uſurum opera, neq; omnino lectorem Græcum haberet ullum (erant enim adhuc in Gallia, ut apud nos, Græcæ literæ ignotiſſimæ) quare cum interrogaretur, qua impudentia peteret à ſenatu ſtipendium? hic uir paratus, citauit conſtitutionem de linguarum ſtudijs, in qua nominatim fit mentio ſcholæ Pariſienſis. Senatum adeò non offendit hæc libertas, ut etiam magnopere collaudauerit hominis conſilium, & ſtudium. Quare ſtipendium ei magno conſenſu ſatis honorificum eſt conſtitutum.

An Medicis carere poſsimus.

Romani cum Græcis toti Italiæ indixerunt diſertè, ut Medicos in Italia publicæ ſalutis cauſa retinerent.

Imperatorum erga Medicos liberalitas.

Romani Cæſares bonis Medicis in ſingulos annos 250. ſeſtertia pendebant, id eſt, octo millia aureorum, & amplius trecentis. Reliquarum uerò diſciplinarum profeſſoribus, utpote Rhetoribus & Poetis, centena ſeſtertia modò in annum numerarunt, id iſt, tria millia aureorum, & trecentos triginta quatuor, ut refert Plinius.

Doctrina apud aduerſarios laudatur.

Cùm apud Cæſarem Fridericum legatus ſui principis eſſet Capnio, cumq; Venetæ ciuitatis oratoribus, qui eò etiam uenerant, per id tempus frequenter eſſet, accidit ut aliquando Capnio fortè pulcherrimè Græcè ſcriptum enchiridion noui Teſtamenti in ma-

nibus haberet, quod cùm uidisset Venetus orator, & animaduertisset Capnionem non esse rudem Græcarum literarum, conuersus ad suos collegas, ait: Videte quæso, in Germania hunc uirum propter cognitionem literarum in admiratione esse, quam nostri tam pertinaciter contemnunt.

πάρεργα studiorum.

Quidam morio in culina principis Palatini, qui ex more ligna ferebat, solitus est ex infima strue ea ligna reuellere, quæ moueri sine magno impetu non poterant. Interrogatus cur id faceret, respondit: se difficilimam laboris partem primùm confecturum, ut deinde summa illa ligna facilius mouerentur: nec uidit quantum referret, singula ordine tollere. Huic persimiles sunt omnes studiosi, qui fastiditis primis artibus, ad sublimia studia se conferunt.

De studio Musices.

Dicunt Palladem inuenisse tibiam, imitantem sonum capitis Gorgonis: id est, Musica est inuentum sapientiæ: & uera Musica fuit complexa doctrinas & artes, quas poëtæ carminibus comprehenderunt. Postea Pallas, postquam uidit intumescere genas, abiecit eam: id est, quando sapientia est amissa, tunc non fuit studium Musices, uel cantus: seu quando Satyri sunt Musici facti, qui obscœna & amatoria composuerunt, tunc serium Musices studium desijt.

Quo tempore Homerus, Herodotus, & Pindarus vixerint.

Homerus fuit ante Pindarum 400. annis. Herodotus

dotus uixit tempore Pindari, seu tempore belli Xerxis.

Quæ ex lectione haurienda.

Apes cum aduolent ad omnia, tamen nullis nocent floribus: ita uirtus & literæ sic ab alijs sumendæ, ut nihil deterior is sit qui communicauit. Non tamen quiduis ex omnibus colligunt apes: ita non omnia ex eodem petenda autore. Industriam adiuuat Deus.

Alia admonitio.

Sicut apes ab unoquoq; flosculo quicquid est optimum excerpunt, si quid insit ueneni, id araneis exugendum relinquunt: ita nos in Poëtis & alijs scriptis, quod est eruditionis & utilis doctrinæ, id nobis rapiamus: si uerò quid obscœnitatis occurrit, id relinquamus.

Tragœdiarum Euripidis commendatio.

Tanta admiratio fuit tragœdiarum Euripidis, ut multi ciues Athenienses, cùm essent captiui in Sicilia, dimißi sint propterea, quòd dominis suis descripserint Euripidis tragœdias.

Causæ, propter quas donum linguarum est attributum Ecclesiæ.

Principalis & prima causa est, ut propagari Euangelium citò in multis gentibus poßit, quarum non est una lingua.

Secunda, ut hoc ipsum donum esset testimonium Spiritus sancti, & præsentiæ Dei in Ecclesia, sicut & alia miracula.

Tertia, ut esset signum & testimonium de uocatione

gentium, quòd gentes etiam ad Ecclesiæ societatem essent uocatæ.

Mutatis vrbibus, propagantur artes.

Quando Turcicus Imperator cepit Constantinopolim, & expulsæ essent gentes Græcæ, eo tempore uenerunt in Italiam præstantißimi uiri, Theodorus Gaza, uir nusquam satis laudatus, item Trapezuntius, & alij, qui simul & linguam, & alias pulcherrimas artes eò transtulerunt: quorum beneficio magna pars Græcæ linguæ ad nos peruenit, sicut Deus non sine singulari causa facit tales mutationes. Vult enim alias gentes, ignaras talium rerum, instituí ab hospitibus & peregrinis.

Ex studijs solitarijs incommoda.

Bonus quidam uir solebat esse solus, uolebatq; in solitudine omnia perdiscere. Inciderat in Aristotelem de Iride, ubi fingebat mirabiles speculationes, scribebatq; ad quendam: in omnibus materijs alijs, quamuis obscuris, superaui Aristotelem: sed in materia de Iride meipsum superaui. Postea de eadem re disputabat hic in auditorio, & toto prorsus cœlo à ueritate aberrabat suis phantasijs.

Quod'q; parum nouit, nemo docere potest.

Dicebat aliquando D. Philippus ad examinandos ualde rudes: Vos facitis sicut ille qui legebat Græcam Grammaticam in schola, maleq; pronunciabat uocabula, nec benè poterat legere. Acceßit igitur ad eum alius, dicens: Cur nõ doces Eucliden? Respondit: Non scio

scio. Verùm alter inquit: Quare igitur doces Grammaticam, quam etiam ignoras.

Iocus Eobani.

Eobanus sæpe ad me & alios bonos amicos ioco dicebat, se esse principem Philosophorum. Id cùm fortè narrassemus alteri, dixit ille: Per Deum, ergo est princeps omnium fatuorum.

Poetarum tria genera.

Doctor Milichius dicebat esse tria genera Poëtarum. Eobanus solitus est simul gignere et scribere uersus. Nos cogimur ante gignere quam scribere, ex uno latere positum habentes Calepinum, ab altero uerò Bebelium de uersibus, sic magno cum labore aliquid consarcientes. Et dicebat se prius scribere, & deinde gignere. Et referebat hoc eò, quia habebamus amicum, qui scripsit initium & finem, postea dixit: Date mihi spondæum aut dactylum, quo expleam carmen.

De insulso scriptore iocus.

Heraclides Ponticus, homo quidem studiosus, sed non ita ingeniosus, scripsit carmen περὶ πόνου, & obtulit regi Euergetæ, uel quicunq; fuerit. Rex accepit librum, & deleuit π in titulo, ut ex πόνου fieret ὄνου: uolens significare, eum esse asinum, quia uellet præferre studium & laborem naturæ.

Quæ sit ex relectione Terentij vtilitas.

Quidam in Anglia nomine Flatimerus quotannis repetiuit Terentium, & dixit se semper in recenti lectione aliquid noui obseruare.

Tempus conueniens Odyssea legendi.

Quidam doctus uir ad me post bellum ad Ingolstadium gestum dicebat: Ego non amplius possum legere Iliada Homeri, sed Odyssea libentius lego: quia uiderat præsentia bella.

Studiorum effectus.

Pastor quidam in uicinia patriæ nostræ, qui sæpius ueniebat ad nos, & nos uicißim ad ipsum, hortabatur nos ad discendū his rhythmis: Lernstu wol/so wirstu gebratner hüner vol. Lernstu vbel/ so mustu mit den schweinen essen auß dem kübel. *Potius dixisset:* Lernstu wol/ so wirstu der plagen vol. *Quia contrarium est uerum. Nam Canonici, qui nihil didicerunt,* die werdē gebratner hüner vol:*docti uerò et sapientes pro nihilo habentur, et aliqui quoq; exulare coguntur.*

Nocturnæ lucubrationes doctis obsunt.

Noster pastor ita se afflixit uigilijs, ut iam non habeat talem somnum, qualem natura postulat. Erasmus mihi scripsit, ac rogauit, ne attingerem libros à cœna. Quam consuetudinem postea semper seruaui. Stœflerus etiam conquestus est in senectute sua de somno, cùm peruenisset ad septuagesimum annum, quòd eum intempestiuis lucubrationibus amisisset.

An aliqui libri sint in direptione Constantinopolis, conseruati.

Vidi libros, qui ipso die direptionis urbis Constantinopolitanæ sunt conseruati. Quia ibi fuerunt homines doctißimi.

Contemptorum omnis doctrinæ refutatio.

Nil

Nil curetis, quòd irrisores omnis eruditionis, si quem artibus operam dare uideant, irridentes dicant: Hæc est Platonica facundia, Nullius sunt momenti huiusmodi irrisiones. Erasmus respondit extenuantibus artes, & dicentibus non esse opus facundia: Non est etiam opus solœcismis & barbarismis.

Paulus Tertius sedulus Homeri & Horatij lector.

Paulus Tertius semper solitus est aliquid legere in Homero, cùm se cubitum conferre uellet: & optimas, si quæ occurrebant, sententias eligebat, easq́; summa diligentia considerabat. Habuit etiam semper in manibus Horatium.

An sit bonarum rerum crebra repetitio nugatio.

In disputatione Tubingensi erat senex Iurisconsultus, cuius positionibus alius quidam uolens opponere, dixit, in ipsius thematibus esse nugationem. Senex iam oblitus uocabuli illius Dialectici (nam erat octogenarius) dicit: Domine, dic nobis, quid sit nugatio. Respondit opponens, nugationẽ esse unius rei uariam repetitionem. Ibi senex ille respondit: Ah Domine, quod bonum & utile est, nunquam nimium inculcari potest, iuxta Græcam parœmiam: δὶς καὶ τρὶς τὸ καλόν

An eloquentia ex Dialectica sit petenda.

Erant olim tres fratres, qui promptißimi erant in dicendo de quacunq; re etiam nõ meditati, idq; cum magna admiratione multorum. Hi cùm interrogarentur unde haberent illam artem dicendi, responderunt: Ex

arte Lullij. Lullius enim fuit quidam doctus uir, qui conscripsit illum librum. Hic liber etiam ad me portabatur ab amico quodam secretò. Nam tres illi fratres ita amabant eum librum, ut non permitterent cuiquam contemplari. Inspexi librum, & statim uidi esse Dialecticam, quam illi tam magni faciebant, & uelut Deum amplectebantur. Sed ex Dialectica non reddimur eloquentes, quæ saltem de rebus iudicat. Rhetorica uerò uerbis lumen atq; splendorē adfert. Quanquam isti in ea antiquitate putauerunt omnia peti ex Dialectica.

An honestè faciat defendens absurdas opiniones.

Fui cum quodam docto uiro prope Rhenum in conuiuio, qui defendebat sectam Epicureorum. Ad quem dixi: Quare defendis illas manifestas absurditates, cùm uelis haberi uir bonus? est (inquit) meus mos, ita contrarium defendere. Dixi: Domine, noli hoc facere apud alios: quia illi dicent esse uanitatem ingenij: & si interessent iuniores & imperiti, illi exciperent tuas absurditates, & defenderent. Promisit mihi ille bonus uir, se nunquam hoc deinceps facturum esse, & non ægrè tulit se admoneri.

An lectio Bibliorum sit necessaria.

Antonius Eremita interrogatus, quare non legeret Biblia, & non secum haberet alios libros? inquit: Cœlum & terra, & tota rerum natura sunt mei libri. Melius dixit, quàm ille alter: Summa ars Christianorum est, nescire legem, & nihil discere. Sed non satis est. Aliquid in Ecclesia discendum est quod

non

non apprehenditur naturali lumine. Vox Antonij duriter intellecta, pugnaret cum his dictis: Hunc audite. Item: Scrutamini scripturas. Naturalis noticia non tenet promißionem gratiæ.

Nouitiorum studiosorum temeritas.

Capnio de studioso Iuris dicebat: Primo anno scit dijudicare omnes controuersias, secundo incipit dubitare, tertio uidet se nihil scire, & tunc primùm incipit discere.

Barbaries apud nostros maiores.

Nostri maiores Germani non dederunt operam literis, igitur prorsus barbarè loquuti sunt. Et quia non fuerunt exculti disciplina, ideo nec habemus aliquid scriptorum de reb. Germanorum: aut si quid habemus, illud planè est improprium & barbaricum. Quale est illud in historia Ludouici regis quod incipit: König Ludwig war ein demütiger man / dann er pletzet selbs sein wammes. Ita ille ineptus putabat humilitatem esse, wenn einer sein wammes pletzet. Deinde insulsè hoc loco utitur hoc nomine pletzen. Nā non est intelligendū de sartoris resartione, sed quod ille rex tam fuerit industrius in militia, ut ipse in prælio posset resarcire loricas & arma, quibus utebatur aduersus hostes.

Quidam bellus homo, me semper eandem cantilenam iterare dixit. Vtinam uerò possem non tantum ijsdem uerbis, sed etiam syllabis grata Deo & Ecclesiæ salutaria eodem modo canere.

D. Martinus Lutherus Eobano Hesso solebat scribere: Poetæ ab ipsis Musis Laureato.

Facetum dictum, quòd Dialectica non fuerit ante Arithmeticam.

Dialectica non fuit ante Arithmeticam: quia homines diligentius numerant pecuniam, quàm genera cauſarum.

Auditorum negligentia reprehenditur.

Stœflerus ſæpè grauiter inuehebatur in auditores, quòd nemo percunctaretur apud eum, & aliquando dicebat: Ego tam ignauos habeo auditores, ut ſi omnem eruditionem illis poſſem dimidia hora infundere fundibulo, uix unam horam poſſem impetrare ab eis, ut eam infundere permitterent.

Vtrùm rectè faciat, inuenta aliorum emendans.

Ioſquinus, uiuens Cameraci, cùm quidam uellet ei in ſuo cantu adhibere colores ſeu coloraturas, quas ipſe non compoſuerat, ingreſſus eſt Chorum, & acriter increpauit illum, omnibus audientibus, addens: Tu aſine, quare addis coloraturam? ſi mihi ea placuiſſet, inſeruiſſem ipſe. Si tu uelis corrigere cantilenas rectè compoſitas, facias tibi proprium cantum, ſinas mihi meum incorrectum. Quoties nouam cantilenam compoſuerat, dedit eam cantoribus canendam, & interea ipſe circumambulabat, attentè audiens, an harmonia congrueret. Si non placeret, ingreſſus: Tacete inquit, ego mutabo. Hoc noſtrum aliquis non poſſet imitari: ſed nobis iuxta aliorum præſcriptum canendum, ſiue benè ſiue malè harmonia conſonet.

De D. Crucigero & M. Reinholdo iudicium.

Doctor Hieronymus Schurpfius, dixit de doctore Crucigero: Hic restringit. Et talis etiam erat magister Remboldus. Nullum unquam uidi ingenium magis idoneum ad quasuis artes percipiendas, præcipuè ad mathemata, quàm D. Crucigeri.

Descripsi bis mea manu Epistolam ad Romanos Græcè, tunc cùm melius adhuc pingerem, & manus essent faciliores, ac plus ocij haberem. Vnum uerò exemplar dedi doctori Hesso Vratislauiensi.

An iuuentus sit ad bonas literas pingendas assuefacienda.

Turpè est pingere malas literas. Quidam asini de industria malè pingunt literas. Omnis qui de industria malè pingit literas, est malus Grammaticus. Pulchrum est ita scribere, ut literæ sine offensione legi poßint. Omnes ueteres principes scripserunt grandiores literas: sicut etiam habebant magnanimitatem animorum, & reliquarum uirtutum. Dux Fridericus & dux Georgius pulchras literas pingebant. Erasmus, Budæus, Lutherus optimè literas pinxerunt: & omnes illos antecellebat Capnio, qui pulchrè pingebat, & grandiusculas amabat literas. Habens mediocrem manum pingendi literas, is eam retineat: neq; illud nisi de affectatione intelligi uolo.

Chrysoloras, qui docuit Florentiæ literas Græcas primus, cùm parentes sæpè intrassent scholam, uisuri quid filij proficerent, & inspicerent eorum scripturas, dixit: Inspicite tantum cultros eorum. Qui habet

optimum

optimum cultrum, ille etiam optimè pingit: id eſt, qui uenit paratus. Doctor Caſparus Crucigerus *poterat quorumcunq; pennis optimè pingere.* Qui *hoc poſſunt, aut ſunt omnino excellentes, aut* Schlüngellini, *hoc eſt, ignaui.*

De lectione multarum verſionum & interpretationum, iudicium.

Abbas quidam Erphordiæ *debebat canere* Miſſam *tono* Herbipolenſi, *Cùm uerò non didiciſſet illum tonum, ſtabat ad altare æditưus, incipiens tonum illius loci canere.* Perturbatus *ea re* Abbas, *conuertit ſe ad æditưum, & ait:* Tace, *tu facis ut neq; meum neq; tuum ſciam.* Sic *fit etiam, ubi leguntur multæ uerſiones & interpretationes.*

Nullus in hac vita perfectus.

Multi *uariè ſe torſerunt in inuenienda quadratura circuli in cœlo, & non inuenerunt.* Quidam *gloriati ſunt, ſe inueniſſe: ut* Regiomontanus *dicit de ſuo præceptore* Burbachio, *qui fuit excellens* Aſtronomus. Hanc *propoſitionem meus præceptor tenuit duodecim annos indubitatam, cuius poſtea falſitatem ipſum inueniſſe affirmauit.* Videte, *hoc accidit præſtantiſſimis artificibus: quid nobis non tam excellentibus, fieri poteſt?*

Quale genus ſtudioſorum ingrediendum.

Quidam Comes *breui commendatione doctrinæ ad magnam adminiſtrationem apud* Imperatorem Carolum V. *propter eruditionem peruenit.* Nullus *ex ipſius*

ipſius liberis diſcit literas & artes liberales, neque ipſe adhibet eos ad illas diſcendas, neq; etiam uult eos diſcere. Nunc conſilium aliquis capere poßit, quale genus uitæ ipſi ſit eligendum.

De Ariſtotelis Dialectica iudicium.

Quidam nugacißima ſcripſit contra Dialecticam Ariſtotelis, Dicit enim, Ariſtotelis Dialecticam tantum eſſe rudera lignorum & lapidum, oder ein hauffen zerfallen ſtein vnd kalch. *Verum eſt, illi libri non ſunt integri, & interdum ſunt mendoſi: ſed illa fragmenta & tabulæ reliquæ ſunt optimæ, & ratio Syllogiſmorum apud Ariſtotelem profectò nequaquam eſt contemnenda.*

An cito ad quodibet argumentum reſpondendum.

Plato beatus, qui etiam in ſenectute ueritatem conſequitur. Dixi aliquando ad amicũ: Ego ſæpe aliquod argumentum non ſtatim ſoluere poſſum, ita ut poſt triduum demum ſoluam. At ille: Hoc non eſt glorioſum. Reſpondi: Nos non quærimus gloriam & oſtentationem, ſed ueritatem.

Docti crebrò negliguntur.

Lipſiæ Mathematicus doctus & peritus in doctrina Mathematum, adeò miſerabiliter uixit, ut ex artificio faciendi atramentũ uictum ſuum quæreret. Extant libri ipſius adhuc quidam, & nominatur Alexander. Ille ſolitus eſt dicere: Oportet quemlibet Mathematicum eſſe aut fatuum, aut pauperem, aut malum Grammaticum. Ego, iocoſe inquit, ſum omnia tria.

Bonus Grammaticus est hæreticus.

In inferiore Germania, uidelicet in Belgico et Brabantia, monachi & sacrificuli habent in quotidianis sermonibus: Bonus Grammaticus est hæreticus. Non enim potest fieri, ut homo habens bonam conscientiam, si sit bonus Grammaticus, & legat scripta ueteris & noui Testamenti, illa non dijudicet. Ego adolescens audiui doctos uiros & bonos Grammaticos contra aduersarios disputantes, ac dicentes: Si nos legimus libros Propheticos & Apostolicos, tunc longè aliam doctrinam in eis reperimus, quàm uos sacrificuli nobis exponitis.

Effectus artium facetè aßignatus à Doctore Martino Luthero.

Medicina		*infirmos.*
Mathematica	*facit*	*tristes.*
Theologia		*peccatores.*

De Platone iudicium.

Plato fuit auditor Socratis, de cuius ingenij ac eruditionis futura magnitudine, Socrates non obscurè uaticinatus est, dicens, se pridie quàm ad ipsum uenisset Plato, somniasse, cygnum se in gremio tenere, qui deinde euolans in altum dulcißimos cantus ediderit: significans, hunc cygnum Græcis futurum esse Platonem. Cùm igitur Socratem aliquandiu audiuisset, petiuit Aegyptum, habuitq; Comites peregrinationis Eudoxum et poëtam Euripidem: Platonis autem tanta

fuit

fuit suauitas loquendi Græcè, ut nonnulli dixerint, Iouem, si Græce loquuturus esset, Platonis usurum oratione. Et Demosthenes fuit auditor Platonis.

Bonæ pronunciationis vtilitas.

Dux Eberhardus Vuirtenbergensis, secum Romæ habebat consiliarium, doctum uirum, sed in pronunciatione saltem rudem: qui cum ex mandato principis orationem haberet ad pontificem & Cardinales, ita pronunciabat, ut neq; à Pontifice neq; à Cardinalibus intelligeretur. Pontifex igitur et Cardinales petebant, ut alteri princeps hoc munus dicendi commendaret. Cùm itaq; idem dux simul secum adduxisset adolescentem Capnionem, huic mandauit munus dicendi, qui habebat suauem pronunciationem, ita ut ab omnibus intelligeretur. Ea de causa Capnio duci Eberhardo semper fuit charus & ualdè dilectus. Quare adsuefaciendi sunt adolescentes à primis annis ad bonam & suauem pronunciationem.

Iudicium de Liuio docti viri, nobilis à Caroluuitz.

Nobilis, uir eruditus D. à Carolwitz diligenter legit Liuium, dixitq; se nullam eloquentiam magis mirari, quàm illius: quanquam Herodoti lectio etiam ualdè dulcis est.

Adhortatio ad nouitios studiosos.

Ingressus studia, non frangatur ullis laboribus, qui tolerandi sunt. Est enim omnium rerum ea conditio, ut non sine difficultate comparentur. Sic enim natura abstrusit pulcherrima quæq; in ipsa terræ uiscera, rosas

circumsepsit spinarum aculeis. Quare muni & obfirma animum aduersus illas molestias, quibus superatis consequeris gloriam immortalem. Qui autem feliciter uult progredi in studijs, omnino non det operam amori. Nam qui amori incumbit, nihil aliud cogitat aut facit, quàm quomodo amori seruiat.

Sabini iudicium de orationibus Demosthenis.

Memini Sabinum dicere, Orationes Ciceronis nihil esse, collatas ad Demosthenicas. Nam Demosthenicæ sapientißimè & accuratißimè excogitatæ sunt: Orationes Demosthenis ab omnibus, qui aliquantulum in Græca lingua uersati sunt, propter singularem sapientiam laudantur.

ENVMERATIO QVORVNdam præstantissimorum virorum cùm ex magnatum, tum ex alijs familijs ortorum, qui vel ipsi literarum cognitione studioq; indefesso, vel liberalitate & alijs beneficijs de Ecclesia benemeriti sunt, & adhuc in id accumbunt.

Temperamentorum qualitates bona institutione corriguntur.

Philippus rex Macedoniæ cùm aliquando animaduertisset in filio Alexandro, non sanè prauam, sed tamen asperiorem & impatientem in imperando naturam esse, uideretq; eum non pati domitorē asperum: cepit

cepit consilium, doctrina & philosophia flectendi eum ad suauitatem & comitatem. Hac ratione adeò correxit & excoluit illam naturam, ut in ipso cursu uictoriarum uix quisquam fuerit unquam humanior ac moderatior.

Ludouicus Pius curauit fieri Monotesseron, id est, concordantias quatuor Euangelistarũ, magno sumptu. Quem librum diu habuit apud se Lutherus, & hodie est in Lipsica Bibliotheca. Præfatio est partim Latinis uersibus, qui ualde boni sunt, partim prosa oratione, etiam benè & latinè scripta.

Eberhardi ducis Vuirtenbergensis pia consuetudo.

Memini, uiuo pio & optimo duce Eberhardo Vuirtenbergensi, illam consuetudinem continenter eum obseruasse, ut audiret nobiles adolescentes in cubiculo recitantes Catechismum: & cum alicuius negligentiam animaduerteret, cæsus est in conspectu ipsius & reliquorum nobilium.

Caroli Magni educatio, eiusdemq; quotidiana studia.

Carolus Magnus est educatus in Collegio monastico, & habuit principes, qui coacti sunt legere singulis diebus horas matutinas. Et ipse hoc pulchrè obseruauit, ut si quando animaduerteret aliquem ebriosum aut adulterum, iusserit eum legere aliqua capita in Biblijs ac ipso monstrata, contra ebriosos aut adulteros: ut sic ipsos de disciplina commonefaceret, Otto Secundus est educatus in Ecclesia Hildesheimensi.

De Portugaliæ Rege, & Caroli V. Imperatoris excellente doctrina.

Hodie rex Portugalensis est egregiè doctus. Audiui ab Appiano & Hummelio, amicis nostris, se miratos esse, nostrum Imperatorem Carolum V. uirum occupatum tanta gubernatione Imperij, tamen domi & militiæ contemplationibus & meditationibus in doctrina Astronomiæ adeò deditum esse, ut etiam disputet multa quæ ignorent docti in schola.

Imperator Carolus V. diligens Thucydidis lector.

Audiui dici à sapiente uiro, nec auditum nec lectum esse, ullum principē tam studiosum fuisse literarum atq; Carolum V. Imperatorem, præcipuè cùm sit obnoxius multis calamitatibus seu morbis. Ille plurimùm legit Thucydidem, qui admodū difficilis est intellectu: benè etiam nouit paternā historiam suam: & est consuetudo cubiculariorum suorum, ut postquam manè, iuxta consuetudinē, dixerunt precationes, postea singuli aliquid legant, donec Imperator surgat: alius Thucydidem, alius Herodotum, alius Liuium, alius Gallicam historiam, alius aliud, postquam Imperator surrexerit, recitatis precibus, interrogat, quid singuli legerint, ut sic Imperatorem ad hilaritatem excitent. Imperator etiam ipse legit Thucydidem, lectisq; aliquot pagellis, sumit sibi spacium de ijs rebus meditandi. Thucydides lingua Gallica est benè uersus, & interpres eius adiutus est à Iano Lascare, qui fuit præses studiorum Lutetiæ.

Granuelus adferens Imperatori Thucydidem primò Gallicè uersum, dixit: Hunc librum dono tuæ maiestati, sed ea conditione, ut ea promittat mihi, quod uelit illum perlegere. Euolutis uerò in eo libro ab Imperatore aliquot pagellis, ita placuit, ut tertiò perlegeret.

Imperatoris Caroli V. erga doctos liberalitas.

Noster Imperator Carolus Quintus non libenter multum pecuniæ profundere dicitur: sed tamen ualde est liberalis erga doctos. Cuidam Poëtæ carmen lingua Italica de nauigatione Africana componenti, donauit mille coronatos. Alius quidam in Gallia uertit Psalterium uersibus in linguam Gallicam, quod ob facundiam ipsius insignem celebratur. Oblato hoc Psalterio Imperatori, dixit Imperator: Non dabo tibi multum: dedit tamen quadraginta coronatos.

Neronis erga doctos beneficentia.

Nero quamuis tyrannus, tamen conduci iussit (cùm uideret in suis scholis satis frigidè docere professores et magistros) alios professores, quos substituit ijs, quibus ex suis reditibus dedit stipendia, ut gratis docerent.

Eberhardi ducis Vuirtenbergensis studia.

Multi ex maioribus nostris, quamuis doctrina de filio Dei ualde fuit contaminata, habuerunt Spiritum sanctum, intus docentem. Sicut Eberhardus dux Vuirtenbergensis, quando audiuit aliquem multa de operibus concionantem, dixit: Ah, quid mihi multa dicis, ego scio articulum fidei, quòd oporteat me credere, & certò remißionem peccatorum expectare propter

Christum. Ille dux quamuis non habebat magnam cognitionem Latinæ linguæ, tamen solitus est in publicis disputationibus Germanicè opponere disputantibus. Idem dux Eberhardus Vuirtenbergensis multas causas dixit in imperio: & quia sciebant homines nobiles, Comites, Principes, & alij, ipsum delectari laude eloquentiæ, sæpè deferebant causas ad eum. Hic etiam primus habuit duodecim Doctores præstantes in conuentu, cùm alij tunc non multos haberent. Et hoc faciebat propterea: nam quando erat ad ipsum relata alicuius Principis, Comitis uel nobilis causa, & dicenda in senatu imperij, dabat eam faciendam Doctoribus: iubebat poni disertè propositionem uel statum causæ, & muniri certis legibus seu rationibus. Ipse interea, cùm diu de ea meditatus esset, & de elocutione cogitaret: Quæso, inquit, cogitate, quis nostrum poßit habebere pulchrum exemplum uel fabulam. Deinde ipse etiam recitabat, quæ præmeditatus erat.

Magnatum olim studia.

Iason adolescens fuit traditus Chironi medico in disciplinam. Credo quoq; quod docuerit eum præter artem medicam, etiam rationem anni & motuum cœlestium: sicut ponitur sagittarius inter signa cœlestia, & ipse sagittarius est Chiron. Breuiter, quæcunq; sunt disciplinæ, quibus magni principes & heroes studere solent, in ijs omnibus hic institutus fuit: quemadmodum & de Achille fertur. Postquam adoleuit, redijt in patriam, & cum uenisset ad flumen, quòd fuit ante patri-

am.

triã, ſtetit ibi mulier auguſta ſpecie, quæ dicebat ſe eſſe ſacrificulam Iunonis, *cùm eſſet ipſa* Iunò: *& petiuit ab ipſo ut ſe tranſportaret per flumen.* Ibi Iaſon *motus religione, ſuſceptam humeris traduxit eam, & cùm fortè hæreret in luto, amiſit alterum calceum ſeu ocream (quia ipſi uſi ſunt ocreis) & ſic uenit in patriam altero tantummodo pede calceatus.* Ibi *petiuit à ciuibus, ut ſibi traderent paternam hæreditatem, quam tunc tenebat* Pelias. Iſte, *eo uiſo, ſtatim recordatus eſt oraculi: quare arte uolens eum perdere, ſuaſit ei expeditionem ſuſcipere* Colchicam *ad tollendum aureum uellus.* Quid *autem id fuerit, alij aliter narrant.* Plutarchus *dicit fuiſſe uenas metallicas.* Poſt *illam expeditionem redit* Iaſon, *&* Peliam *interfecit. Sic uirtute & literis ad ſummos honores maximamq́; laudem peruenit.*

Cui facultati Aeacus deditus fuerit.

Narrantur *multa de* Aeaco: *ſed credo per illas fabulas ſignificatum, ipſum fuiſſe ſtudioſum in ſcrutandis cauſis rerum naturalium, & inuentorum metallorum ac fodinarum.*

Boni Magiſtratus erga Eccleſiam. egregia laus.

Gregorius Nazianzenus *ſic laudat præſidem ſuæ patriæ:* Quis *ſenectam meam fouebit? à te impetraui plurima beneficia ærumnoſis.* Lachrymas *uerò nobis relinquis, & laudes ſcriptas in mentibus noſtris tanquam in perpetuis columnis.* Quod *ſi redieris, ut optamus,* Deo *maiora officia gratitudinis offeremus.*

Dicit Nazianzenus, se fuisse προξενον *humanitatis Olympij, hoc est, pro alijs multa impetrasse.*

An magnates olim literas curauerint.

Ingeniosissimus princeps Fridericus Secundus imperator, ex Arabum monumentis doctrinam Mathematicam in Latinum sermonem transfundi, & utcunque instaurari magno sumptu curauit. At multa extãt testimonia, quæ ostendunt his studijs uetustissimos reges deditos fuisse, ut Atlantem, Orionem, Chironem. Ideo enim, nomina eorum stellis in cœlo grata posteritas attribuit, ut significaret se ab illis doctrinam de motibus cœlestibus, & anni descriptionem accepisse. Et Cæsar de se inquit apud Lucanum:

Media inter prælia semper
Stellarum cœliq; plagis superisq; uacaui.

Constat etiam nostrum Imperatorem Carolum V. diligentissimum esse in quærenda longitudine & latitudine regionum: in stellis conferendis ad regionum situs, ut nauigans cœli contuitu cursum dirigere possit. Sedens in thermis, cùm pedis curationi uacaret, ocium fefellit interdum horologijs artificiose describendis.

Zelus Georgij Marchionis Brandenburgensis erga religionem.

In fine conuentus Ratisbonensis, cùm altero die esset discessurus, uocauit me ad se optimus princeps Georgius Marchio Brandenburgensis enarrans mihi opus sibi esse medicamentis propter acres dolores in sinistro latere, Ad quem dicebam: Illustrissime Princeps,

ceps, celſitudo tua non ſit nimis ſollicita hac de re: narrabo illi cauſas illorum dolorum. C. T. habuit in hoc conuentu multa moleſta negocia publica & priuata propter multiplices religionis controuerſias, augentia ipſi atram bilem, quæ effunditur in uicina loca, & ea afficit ſua agitatione illos ingentes dolorum ſenſus. Quòd autem ita ſit, ſentiet C. T. cùm domum redierit ad uenationem: qua ipſa oblectetur, & excutiat ex animo illa negocia, quantum poteſt. Tum enim ſtatim lenientur illi ſenſus dolorum. Tum ille: Profectò ſentio id eſſe, quia ſi biduum aut triduum uacauero ab illis negocijs, paulatim animaduerto dolores leniri: & uicißim, cùm redeo ad illa negocia, augeri.

De illuſtriſsimo Principe Boruſsiæ, Alberto ſeniore.

Nota eſt multis principis illius pietas & liberalitas erga Eccleſiam & ſcholas, ita ut profectò uerbis conſequi non poßim zelum pijßimi principis, quo doctrinam puriorem cupit inuiolatam, & ad poſteros eſſe tranſmiſſam. Dixit autem aliquando ad honeſtum & doctrina excellentem uirum, à ſe ad docendum in Borußia Euangelium uocatum: ſe toto pectore lætari, ſi uideat occaſionem benefaciendi Theologis, & ſe uerè Theologorum colloquia pro delicijs habere. Reſpondit ille miniſter: Hæc uox non ſolùm principe digna, ſed & ſancta eſt, declarans ſuæ celſitudinis ſtudiũ & amorem conſeruandi & prouehendi miniſterium. Cui mox princeps: Sanctus ego non ſum, at ſancto-

rum

rum consortio & colloquio delector, & ô utinam mihi semper ad manum decem sint Theologi uita & doctrina probati: tum & suauius uiuerem, et suauius me mori scirem. Sic uerè alter Simeon est, summa uoluptate complectens Christum, eiq; dulcißima oscula infigens. Hunc pijßimum principem, patrem patriæ Germaniæ, ut Deus diu incolumem & saluum una cum coniuge omnibus uirtutibus excellentißima, & filio, qui illustrißimi principis patris Alberti uirtutes imitari studet, conseruet, propter nominis sui gloriam, ecclesiæ & Reipublicæ salutem, toto pectore, propter filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, omnes pij intimis suis pectoris gemitibus orent.

An cum artibus bellum sit gerendum.

Rex Demetrius cùm Rhodum obsideret, murumq; in eo loco, ubi tabula erat Protogenis magna arte picta, quassaturus esset: illo autem rogato à Rhodijs, ut monumento illi parceret: reuocauit inde milites, inquiens, se non gerere bellum cum artibus. Eaq; initia fuerunt faciendæ pacis cum Rhodijs.

Iacobus Marchio Badensis, maior natu, fuit episcopus Treuirensis. Debuisset quidem patri succedere in regno, sed Maximilianus Imperator uoluit eum esse episcopum propter excellens ingenium, eruditionem, eloquentiam, & omnem ingenij & corporis præstantiam. Quia Imperator uolebat, ut etiam doctus episcopus inter electores esset, cuius usus in negocijs imperij non minimus foret. Hic in conuentu Coloniensi post bellum Bauaricum, anno Christi 1505.

nomine

nomine imperij respondit legatis Gallicis Gallicè, legatis Pontificijs Latinè, legatis Venetis Italicè & Germanicis Germanicè. Fuit excellenter doctus in Iure, bonus Musicus, & in omnibus rebus industrius, etiam in re militari: ita ut immaturam ipsius mortem totum Germaniæ Imperium luxerit.

Francisci Regis Galliæ studium.

Rex Galliæ Franciscus suo sumptu Romæ & Lutetiæ multos libros describi curauit, è quibus multi editi sunt. Pars magna horum librorum adhuc Lutetiæ asseruatur.

Maximilianus Imperator habuit hanc consuetudinem, ut ad prandium ad cœnam quidam scriptores utiles ipsi legerentur.

Legi fundationem Episcopatus Hamburgensis, qui nunc est Bremensis, ubi Imperator Carolus Magnus dicit: Deus dedit nobis uictorias contra has gentes, ideo uolumus ut ipsi Deo seruiant, non nobis, & libertatem ueterem retineant. Ita reges olim uoluerunt fines uictoriarum esse salutem animarum, & pacem gentium, & libertatem legibus munitam. Et ex Hamburga uoce Episcopi Angari, uiri doctrina & testimonijs Spiritus sancti ornati, latè sparsa est doctrina in Frisiam & Daniam. Ita gens Saxonica ueram Dei agnitionem annos ferè 800. retinet. Et Heinricus Auceps fundauit episcopatum Schleswicensem.

Quæstio.

An Carolus Magnus habuerit causam gerendi bellum contra Saxones: Vnde sic argumentor.

Nemo

Nemo poteſt mutare corda: quia religio mutat corda.

Ergo non magiſtratus.

Reſpondeo ad antecedens: Nemo poteſt mutare corda ſcilicet, cui non eſt mandatum à Deo. Sed magiſtratus officium eſt, ut curet utramq; Tabulam primam & ſecundam, & ut maneat externa profeßio doctrinæ cum gubernatione externæ diſciplinæ. Nimis craßè dictum eſt, quòd magiſtratus ſit armentarius, & tantùm curet corpus.

Godefridus de Bilion, cùm recuperaſſet terram ſanctam, coronatus eſt ab exercitu corona ſpinea, capite impoſito ſaxo ſepulchri Chriſti. Ita principes debent uitam & omnes facultates in diſcrimem adducere propter confeßionem doctrinæ, & coronari corona ſpinea, id eſt, tolerare afflictiones propter confeßionem ueræ & ſinceræ doctrinæ.

Francofordiæ eſt pictura Caroli Magni: fuit uir grandibus oculis, fuit ei uox grandis, & ita eruditus, ut Græcam linguam intellexerit: quanquam non fuerit ea lingua uſus. Habuit præceptorem diſcipulum Bedæ, hominem Saxonicum (quia Angli ſunt Saxones) cui nomen fuit Alboinus: & is fuit ex cuius conſilio inſtituta eſt Vniuerſitas Pariſienſis. Curauit deſcribi lingua Francica hiſtoriæ Euangelij ſeriem. Roland fuit eius patruelis, cui illud Epitaphium fecit.

Caroli

Caroli Magni Epitaphium, in obitum Rolandi demortui in Rinceualle, anno à nato Christo 789.

Tu patriam repetis, nos tristi in orbe relinquis:
Te tenet aula nitens, nos lachrymosa dies.
Sed qui lustra geris octo binos super annos,
Ereptus terris, iustus ad astra redis.

Quando Carolus Magnus domuit Germanos siue Saxones, ibi Rolandus fuit capitaneus Caroli: & inde posuit ipse suam statuam in illis urbibus, ut significaretur esse eas in tutela Imperatoria. Halæ etiam talis statua est, quæ est inclusa, ut significetur, illam libertatem esse amissam.

Iohannis ducis Saxoniæ studium.

Dux Saxoniæ Iohannes fuit uir honestus, pius & bonus, qui sedulò audiuit cõciones, & multas etiã propria manu descripsit, & habuit suos codicillos: & si quid memorabile audiuit ex Luthero, illud annotauit. Pinxit quoq; characteres satis magnos & legibiles.

A quibus doctrina Euangelij intelligatur.

Fui Francofordiæ in conuiuio quodam nobilium, quorum aliqui adhuc uiuunt, inter quos fuit Heintz von Lütter, grauis & præstans uir, qui nunc est capitaneus principis Lantgrauij in Haßia. Ibi cœperunt nugari alij inter se de materijs Theologicis. Ille hoc ægrè ferens, seuerißimè eos obiurgauit: Heu inquiens, quare uos ita luditis in rebus diuinis, uos omnes nihil omnino intelligitis de illis serijs rebus. Ego quoq;

putabam

putabam me esse sapientem, & aliquid intelligere, sed nihil sciebam de his Theologicis materijs. Cùm autem nuperrimè ægrotarem, tunc incepi primùm aliquid de istis tentationibus discere.

Zelus Ernesti ducis Luneburgensis ob scandala in Ecclesiam inuecta.

Dux Ernestus Luneburgensis, pius & optimus princeps, cùm toto die fuisset ieiunus, & accepisset nuncium de negotio cuiusdam, dixit: Se maluisse ut brachium sibi fuisset præcisum, quàm quòd illud accidisset. Ita dolebat optimo principi, doctrinam nostram deformari.

Friderici ducis Saxoniæ studium.

Dux Fridericus Saxoniæ, quandocunq; legebat in optimis authoribus sententiam quandam insignem, eam parieti inscripsit, ut semper eam in conspectu haberet, ne excideret ipsi è mente. Sic ambulans in musæo, talia dicta tacitus secum considerauit.

Gubernatio veri doctoris est omnium difficilima vocatio.

Memini Lantgrauium Haßiæ, bonum principem, dicere in familiari collatione, se malle esse omnium principum monarcham, quàm minimū concionatorem uel doctorem Ecclesiæ: non quod ad dignitates aut honores uel autoritatem, aut etiam potentiam attinet, sed potius quod ad sustinendos labores, & propter illius uocationis difficultatē. Volebat dicere, doctorem Ecclesiæ multo maiores curas & labores oportere sustinere, quàm principē aliquē in tota sua Politica gubernatione

Ptolo-

Ptolemæi Philadelphi studia, & de versione Bibliorum septuaginta interpretum.

Ptolemæus Philadelphus habuit instructam Bibliothecam, & curauit Biblia Hebraica in linguam Græcam transferri. Idem curauit multarum gentium historias conscribere, & dicitur in translatione Bibliorum Hebraicorum ex Iudæa accersiuisse Leuitas, qui uerterent Biblia Græcè. Hoc potest fieri, quod misit: sed fabula est, quòd Septuaginta uiri sint inclusi in singula loca, & cùm uniuscuiusque codex inspiceretur, uisa sit unius uersio congruere uersioni alterius in Græca lingua.

Caroli Quarti studia.

Carolus Quartus fundator Academiæ Pragensis, sæpè mansit in disputationibus, & unà disputauit tam longo tempore, ut aliquoties negligeret etiam tempus prandij & cœnæ, Cùm autem uocaretur ad cœnam, dixit: Se magis delectari illis cibis & delicijs, quas ex suauitate illarum collationum perciperet, quàm ex terrenis. Tale nunc nihil est præterquam in paucis nostris principibus,

Insigne Academiæ Heydelbergensis.

Academia Heydelbergensis habet insigne, Leonem, tenentem librum, pulcherrimum Principis & Academiæ insigne. Est insigne testimonium, quod Principes & omnes gubernatores debeant esse custodes doctrinarum & scholarum.

Eduardi regis Angliæ excellens ingenium.

Non credo esse in mundo adolescentem, cuius fuerit excellentius ingenium, quàm regis Angliæ iunioris Eduardi. Erat natus annos octodecim, & benè græcè & Latinè loquebatur. Fuit etiam non ignarus Gallicæ & Italicæ linguæ, & benè institutus in artibus. Ita eruditè disputauit cum Cardano de multis Mathematicis quæstionibus, ut scribat de eo Cardanus, quòd si uixisset, futurus fuisset alter Salomon. Hic optimus rex moritur in flore ætatis suæ.

Omnes sapientes gubernatores cognitionem historiarum amant.

Memini Capnionem narrare, se cum Rudolpho Agricola, episcopo Dalburgio, & alijs præstantißimis uiris, quorum aliquos benè noui, fuisse in aula Palatini: quia habuit illa aula uiros præstantißimos & ingeniosos, ut illum ipsum Dalburgium & alios. Et quia audiuit Princeps eos sæpè colloqui de historijs, & antiquis rebus gestis, petiuit ab illis, ut sibi historiæ Epitomen conscriberent, & redigerent in ordinem annos Monarchiarum: quia non habuerunt illa tempora, sicut nostra, tam concinnas & breues Chronologias. Tradidit etiam Princeps satis liberales sumptus ad collectionem illarum historiarum. Illi igitur contulerunt operas, ac Capnio & Agricola ex monumentis ueterum scriptorum conscripserunt librum quendam propemodum eo ordine, quò nos contexuimus

contexuimus Carionis Chronicon: & excerpserunt iucundiora, ac tradiderunt illum librum Principi: qui ita fuit delectatus eo, ut quotidie in eo legeret. Existimo etiam illum librum adhuc extare in Bibliotheca Palatinorum.

Ioannis ducis Saxoniæ pia voluntas benefaciendi Ecclesiæ.

In prima inspectione Ecclesiarum, cùm nulli certi reditus in plerisq; parochijs essent, ibi cùm nos inspectione attribuissemus certos reditus Ecclesiæ Gothensi, & Isenacensi, & iterum reuersi essemus in aulam Vinariæ, cumq; acta recenseremus, addentes simul supplicationem, ut pius princeps hanc constitutionem defenderet, & ego inter cætera citassem sententiam Esaiæ, quæ tunc non erat nota multis. Reges erunt nutritores tui, & reginæ nutrices: ita placuit optimo seni Duci Ioanni, ut statim iuberet locum indicare, ubi hæc sententia scripta esset, Valde delectatus est illa sententia, in qua commonefecimus eum sui officij. Curauit etiam statim illa quæ petebamus, & misit certos quosdam uiros ad illa loca, ut illa confirmarent, ne à quibusdam aulicis perturbarentur.

Laudabile factum Constantini in componenda pace in Ecclesia.

In synodo Nicæna, cùm esset confeßio edenda de illo magno articulo, an λόγος esset ὁμοούσιος, & an duæ naturæ essent in filio: cùq; aduersarij ueræ doctrinæ multa apud Constantinum Imperatorem contrà

pios doctores & episcopos dicerent, simulq; multa scripta ad ipsum referrent, quibus rectè sentientes de doctrina traducerent & accusarent: Imperator clementissimè accepit omnium literas, accusationes ac delationes, ac promisit se illis clementer responsurum. Cùm uerò iam omnium libellos & literas accusatorias accepisset: illiq; putarent se habere propicium Imperatorem, & iam pios episcopos & Doctores cecidisse causa: Imperator Constantinus die quodam omnes accusatores conuocauit, ac in præsentia eorum omnes istas literas accusatorias nondum etiam resignatas, unà cum libellis nondum lectis in ignem coniecit, dicens: Ego uolo uos, qui alios uultis docere in Ecclesia, concordes esse, & non mouere certamina non necessaria. Iam uerò non de priuatis negocijs & odijs agendum est, sed de publica, & quidem animarum salute, & multarum gentium in salutari spiritualis fidei ædificatione, addens simul hanc uocem: Quia ministrorum Euangelij errata non prodest esse nota uulgo: Et si ministrum Euangelij in adulterio deprehenderem, pallio iniecto celarem scelus. Hic Imperator piè & honestè fecit: quia melius est, unum membrum perire, quàm totum corpus. Huc congruit elegans dictum Iasonis Phærei ante Philippum Macedonem regnantis, optimi principis in Thessa: Tendentis ad iusticiam in summa rei neceßitate est negligere iusticias multas in partibus.

Vtrum Magnates eruditos defendere debent.

Alexander Imperator habuit ſenatum præſtantißimorum & doctißimorum uirorum, qui tum floruerunt cognitione iuris, inter quos Vlpianus fuit eius Cancellarius, ſiue (ut uocant) magiſter epiſtolarum. Habetur uerò hoc memorabile de Alexandro, quòd, cùm milites (qui oderunt ſcribas & leges) impetum facerent in Vlpianum, Imperator obiecerit ſuum pallium, & oppoſuerit ſuum corpus & uitam ad tegendum Vlpianum. Ita princeps debet tueri leges & iudices. Recitatur & illud eiuſdem dictum: ὁ πολλὰ κλέψας, κὠλίγα δοὺς, ἐκφεύξεται*: id eſt qui multa furatur, & pauca dat, ſcilicet iudicibus, ille effugiet. Noſtri tranſtulerunt ad alia: Qui multa furatur, ſcilicet ex monaſterijs & bonis Eccleſiaſticis: & pauca dat, ſcilicet miniſtris Eccleſiæ, & pauperibus ſcholaſticis: Ille effugiet pœnas, id eſt, illum abſoluimus. Legit quotidie librum Ciceronis de Republica, qui fuit ipſi loco horarij, ſeu libelli precationis.*

Alexandri Magni ſumptus ad inquirendas res naturales.

Alexander miſit Ariſtoteli octingenta talenta, hoc eſt, quadringenta & octoginta millia coronatorum, ad conducendos uenatores, & alendas beſtias, ut naturas earum conſiderare poſſet. Qua in re non ſolum Alexandri liberalitas erga ſtudia eſt laudanda, ſed etiam Ariſtotelis diligentia, qui illos aureos libros de Hiſtoria animalium conſcripſit.

Sylla librorum Ariſtotelis conſeruator idq; exemplum omnibus gubernatoribus ſequendum.

Theſaurus librorum Ariſtotelis prorſus perijſſet, niſi Syllæ felicitate nobis hæc, quæ habemus, reliqua fuiſſent, uidelicet: Bibliotheca in bello parta (nam olim Imperatores & ſummi gubernatores hanc prædam maximè captabant, ut bona ſcripta conſeruarentur) in qua cùm eſſent multa Ariſtotelis uolumina, ſed penè obliterata, curauit undiq; in Græcia eius autoris libros conquiri, & emendatos ab Andronico publicauit. Quemadmodum uiuo Ariſtoteli amicus fuit regum ſummus, ita penè extinctum reuocauit in lucem potentiſſimus militiæ dux Sylla, ætatis ſuæ (ut fertur) ſexageſimotertio anno.

De verſione Bibliorum ſeptuaginta interpretum & ſumptus Ptolemæi Regis in inſtruenda Bibliotheca & alendis viris doctis.

Ptolemæus Philadelphus, filius Ptolemæi Lagi, uir ualdè prudens & doctus, habuit regnum florentiſſimum: nam habuit duodecim millia ciuitatum cuius laudes paſſim recitantur in ſcriptoribus. Hic opes tanti regni retulit ad ſuſtentandos homines doctos uiros, & inſtruendã Bibliothecam, quæ omniũ in toto orbe terrarum fuit celeberrima, & multiplicibus libris inſtructiſſima. Idem Ptolemæus etiam conduxit ſeptuaginta uiros, qui inter Iudæos pro doctis habebantur, ut ex Hebræo uerterent ſacra Biblia in Græcam linguam,

quam

quam uersionem adhuc habemus, & satis commoda est. Inter hos septuaginta interpretes dicitur etiam fuisse sanctus Simeon, cuius Euangelica historica facit mentionem, qui debuit Esaiam uertere. Sed cùm ad illum locũ peruenisset, Ecce uirgo concipiet & pariet filium: dubitauit, an deberet uertere, quòd uirgo esset paritura. Putabat enim hoc fore scandalum gentibus, & occasionem, ut doctrinam Iudaicam contemnerent. Cùm igitur ualdè esset anxius, rogauit Deum, ut significaret, quomodo uertere deberet. Et dicitur illi facta esse reuelatio per angelum ne uerba textus mutaret, sed simpliciter ex Hebræo in Græcum uerteret. Insuper & idem angelus fertur ad eum dixisse, ipsum non moriturum, nisi prius uidisset, & in manibus gestasset illum filium uirginis, de quo hic locus Esaiæ diceret. Propter hanc reuelationem dicunt sanctum Simeonem, cùm Christum in ulnis teneret, ut est Lucæ secundo, hæc uerba protulisse: Nunc dimittis seruum tuum Domine &c.

Vtrum literarum studia quosdam promoueant.

Dicunt de Seuero Imperatore, quòd primùm fuerit scriba, & homo doctus, peritus linguarum, optimus Mathematicus, & ita per rei militaris scientiam & excellentem doctrinam ad summos honores peruenit, id est, ad imperium Romanum regendum. Ferunt eundem moriturum dixisse: Omnia fui, & nihil mihi nunc expedit: significans, nihil perpetuum in hac uita esse. Omnis enim felicitas huius uitæ est quasi somnium.

An magnatibus & præstantissimis hominibus consultum sit, simul aliquod opificium discere.

Multi principes ante hæc tempora nouerunt artes liberales, & simul artes manuarias: ut dux Fridericus Saxoniæ optimè nouerat artem tornandi. Et ante annos 44. ueniebant in Germaniam quinq; Principes, qui erant capti à Turcis, & petebant à principibus Germaniæ stipendia, ut poßint se & suas coniuges ac liberos à Turcis redimere, illorum quinq; quilibet nouerat quoq; suum opificium. Nihil quenquam aggrauat, si inter cæteras artes opificium quoq; aliquod nouerit. Sicut etiam habemus exemplum de Apelle insigni pictore, qui nauigaturus in Aegyptum ex Græcia, fecit naufragium. Sed ipse arrepta tabula in qua sedebat, euasit tandem incolumis, & ad litus appulit, ubi incidit in piratas, qui ademptis ipsius preciosis uestibus, & datis uicißim suis pannosis & laceratis, ipsum dimiserunt. Miser Apelles, ut mendicus incedebat: & tandem peruenit in urbem Aegypti, in qua habebatur aula regia, & in hoßpitio paßim ab omnibus tanquam mendicus erat contemptus. Non enim indicabat quis esset, aut quam fortunam paßus esset: sed in angulo se abdens comedebat, quæ paßim mendicando collegerat. Interea fortè uenit eò satrapa regis, ornatus catenis aureis, & indutus holoserico, qui uidens hunc miserum hominem, derisit eum (sicut quidam insolentiores solent facere) tandemq; etiam per illusionem dixit:

Heus

Heus tu homuncio, rex te hodie ad conuiuium uocat. Miser Apelles dicit: Ita, ueniam. Aulicus constituit ei certum cœnandi tempus. Apelles respondet: Certò ueniam. Abijt regis cubicularius, nec putat illum uenturum: & sibi gratulatur, quòd miserum ita derisisset. Verum cum iam tempus cœnandi instaret, Apelles pannosus ascendit aulam regiam. Ibi cùm interrogaretur ab aulicis, quid sibi uellet mendicus: respondit, regem ipsum uocasse ad cænam. Irrident aulici hanc uocem: ô miser, cur rex te inuitaret? Ita fortaßis illusus es. Non inquit Apelles: Fuit apud me hodie quidam aulicus, qui me nomine regis inuitauit. Quærunt igitur, quod nomen esset illi, qui eum inuitauerat. Respondit Apelles: nomen se ignorare, sed benè posse se illum pingere. Statim iußit sibi adferri instrumenta, & pinxit istam imaginem cubicularij, quam mente conceperat, ita ut ab omnibus dignosceretur, quis esset. Videbant enim imaginem pictam omnino conuenire cum forma aulici, qui erat unus ex cubicularijs regis. Deferunt igitur imaginem pictam ad regem, Rex statim agnouit, quod esset imago sui cubicularij: ac iubet adduci hominem, qui istam imaginem pinxerat. Acceßit miser Apelles in suis pannosis & squalore obductis uestibus. Rex collocauit eum iuxta suam mensam, ut cœnaret cum eo: & inter cœnandum quæsiuit, cuias esset. Respondit, se esse hominem Græcum, & fecisse naufragium, & tamen euasisse incolumem: sed incidisse in piratas, qui ipsum suis uestibus exuissent, & pro illis has pannosas sibi induissent. Postea rex

longo tempore Apellem apud se retinuit, & usus est ipsius opera in pingendo. Tandem dimisit illum donatis multis millibus aureorum. Ita sua arte est seruatus cùm alioqui per totam uitam, mendicum & erronem manere ipsum oportuisset. Sed ars ei naufragio non fuit adempta. Sic quoq; in omni fortuna utile est, aliquem literas didicisse. Hæc anno 1557. sunt recitata.

An magnates, reges & principes studere debeant.

Cùm casu rex Alphonsus interuenisset disputationi duorum consiliariorum, quorum alter apud regem Galliæ erat, & Alphonsus quæreret de qua re disputatio esset? respondit Regis Galliæ consiliarius, Quòd reges non deberent literas discere: uerùm satis esse, si literatos, & doctos fouerent. Ibi dixit Alphonsus. Vox bouis est, non hominis.

Optima voluntas Imperatoris Caroli V. de Ecclesia bene mereri cupientis.

Imperator Carolus V. dixit, se uelle rem eò perducere, ut posthac ipse in comitijs & disputationibus præses & auditor esset. Sed credo ipsum impeditum esse bellis & malis hominibus, qui illud dissuaserunt.

Ad annorum supputationem sumptus conferendi.

Sapientes principes deberent aliquid conferre in talem laborem, ut anni historiarum ex ecclipsibus supputarentur. Is enim labor non est unius, sed multorum:

&

& nullus priuatus ſuis ſumptibus illum laborem utiliſsimum eccleſiæ & Reipublicæ perficere poteſt.

Conſeruatio & propagatio Bibliothecarum ad omnes ſpectat.

Popularis meus uiuens Romæ, & me ætate aliquot annos antecedens, egit cum Capitaneis in proxima direptione urbis Romæ ſub Clemente, ne Bibliothecæ diriperentur: quod etiam obtinuit. Illud enim Deus ordinauit, & poſtulat, ut libri tam à potentioribus quàm ab alijs conſeruentur.

Cognitio bonarum literarum gubernatoribus neceſſaria.

Valdè multum refert, ad bonam mentem accedere eruditionem, præſertim in magnis perſonis. Tunc enim rectius in omnibus controuerſijs iudicabitur, & plus iudicij accedet. Tales quoq; rectè inſtituti, non facilè ab aſſentatoribus corrumpuntur.

Gubernatorum liberalitas excitat ſtudia, & Papæ Sixti ſordes.

Vos uidetis, quando gubernatores mediocriter fouent literas, tunc multa quæruntur, quæ aliàs ignota manſiſſent. E regione ſordes illorum ſunt reprehendendæ, qui nullis officijs munificentiæ aut beneuolentiæ iuuant ſtudia: ſicut dicitur de Papa Sixto, cui cum dedicauiſſet Theodorus Gaza librum Ariſtotelis de natura animalium (ubi multa utiliſsima continentur) pulchrè auro & boloſerico ornatum, interrogauit aſinus Papa Sixtus quanti ornatus conſtaret? Reſpondit Gaza quadraginta coronatis. Illos tantum quadraginta ei

reddi

reddi iußit, cùm ille uir magno honorario propter utilitatem illius laboris fuisset ornandus, qui in tanta paupertate uixit, ut nisi eum ad se Dux Ferrariensis uocasset, fame ipsi moriendum fuisset.

Dalburgiorum familia semper doctos viros habuit.

Celebrata est familia Rhenanæ nobilitatis Dalburgiorum, in qua noui duos præstantes uiros, Iohannem Dalburgium, episcopum Vangionum, & Cancellarium Principis Electoris. Apud hunc Dalburgium uixerunt Rodolphus Agricola in academia Heydelbergensi, & Iohannes Capnio: qui cum essent eruditißimi, ornabant studia etiam uirtute & dulci concordia. Rodolphus Græcos scriptores iuuentuti interpretabatur. Capnio Hebrææ linguæ semina tradebat, sed paucioribus: quia monachorum rabie impediebatur, ne publicè doceret: Alterum Dalburgium Theodoricum etiam familiariter noui, qui cùm Philosophiæ admodum studiosus fuisset, postea, cùm Euangelij doctrina nobis illuxißet, ueram etiam pietatem amplexus est, & sæpè dixit, se letari hac luce doctrinæ, qui antea non uidisset discrimen Philosophiæ, & doctrinæ quæ est Ecclesiæ propria.

Studium Physices, olim penes principes erat.

Aristeus excellens & sapiens princeps, impetrauit sua precatione Etesias: id est, fuit Astronomus, multa docuit de natura. Sic apud ueteres studium Physices fuit sapientia summorum principum.

Aristar-

Aristarchi & Solonis beneficio opera Homeri sunt conseruata.

Aristarchus Grammaticus opera Homeri passim sparsa collegit, quæ postea Solon describi curauit (attributa ad id opus describendum certa pecunia) iubens ut certis solennitatibus & festis recitarentur, populoq; proponerentur.

An Philosophia cognoscenda.

Vir quidam nobilis à Maluuitz, ualdè studiosus Philosophiæ, qui alijs uituperantibus Philosophiam tanquam rem inutilem hominibus, se ipsis opponebat, ac dicebat: Imò legendam, & quidem studiosè cognoscendam Philosophiã esse, qui ad hoc prodest Philosophia, ut collata cum sapientia & doctrina Ecclesiæ, ostendat discrimen inter humanam rationem & doctrinam Ecclesiæ, & ut conspiciatur humanæ rationis imbecillitas, & quantum à ueris fontibus doctrinæ cœlestis differret.

De liberalitate Senatus Basiliensis.

Inter eos qui Basileæ facultatibus externis de studijs benemeriti sunt, atque etiamnum benemerentur, primum quidem occurrit ipse Senatus: qui non ignarus huiusmodi Vniuersitates non solum maximam ciuitatibus gloriam conciliare, & latißimè famam dispergere, uerumetiam ad necessarios usus Rerumpublicarum ingenia omnigena doctrina & prudentia instruere ac præparare, liberalitatẽ atq; beneuolentiam suam nunquam non studiosis declarat. Nam omißis ijs quæ ante nos gesta sunt, adhuc non solũ priuilegia authoritatemq;

tatemq; Academiæ tuetur: uerũ etiam pauperes scholasticos fouet ac stipendia professorum auget & intendit. Multos nãq; tenuioris fortunæ studiosos, tàm ex ciuium filijs quàm ex peregrinis, in usum Reipub. & Ecclesiæ sustentat. Anno autem 1561. Consule & Magistro ciuiũ Casparo Crůg, Proconsule, Francisco Oberriet, summis uero tribunis Sebastiano Doppenstein, & Iacobo Rudino: Rectore simul Vniuersitatis D. Doctore Basilio Amerbachio, Prorectore D. Huldricho Iselino, ambob. Iurisconsultis: Senatus considerans precia rerũ paulatim intendi, professorum uniuersitatis stipendijs septem canonicatus adiecit: hoc facto nõ solum præsentẽ munificentiam et liberalitatẽ ostendens, uerum etiã in posterum beneuolum suũ animũ erga pietatis & literarum studiosos pollicens. Hanc deinde summam Scholarchæ quos deputatos nominant (qui tũ fuerũt, nobilis uir D. Heinricus Petri. Io. Meier, & Lucas à Brunn, qui ante paucos dies, uitã hãc deserens in D. obdormiuit) unà cũ Rectore Basilio Amerbachio ex consilio quoq; doctißimorũ & pijßimorũ uirorũ D. D. Bonifacij Amerbachij & reuerẽdißimi uiri D. Simonis Sulceri, distribuerunt.

Beneficentia Erasmi.

Erasmi uerò Roterodami benè merita de studijs liberalib. ut totus ferè mundus nouit, ita eiusdem liberalitas perpetua multis egenis et facultatib. destitutis, liberales tamen profectus in studijs facientibus, subsidio esse solet in hac Repub. Eorum aũt beneficiorũ distributorẽ fidelißimũ cõstituit, uirũ æternis laudib. dignũ, D. D. Bonifacium Amerbachium, cuius fidelitatẽ & beneuolentiã

nemo

nemo nõ qui opẽ eius implorauit, est expertus. Nec desijt ea beneficentia, sed adhuc hodie per D. D. Basiliũ F. cõmune quasi asylũ sunt ædes Amerbachianæ omnibus qui quocunq; modo paupertatis onere preßi, eas adeũt. Erat aũt uir ille (liceat enim nõ negare manifesta) omni uirtute et eruditiõe excellẽtißimus. Inprimis singulari prudentia Iuris præditus, magna cum laude diu publicè professus est, & de Iure cõsulendo cũ Reipub. tũ priuatim multis profuit. Vnde à multis principib. et ciuitatib. nõ paruis munerib. ad magnos honores sæpè inuitatus fuit: sed maluit patriæ suæ prodesse. Huic egregiarum uirtutũ choro pulcherrimo accedebant & ea, quæ optimis quibusq; grata, atq; miseris necessaria sunt: nimirũ liberalitas, cãdor, beneuolẽtia erga oẽs etc. quib. dignitatem quandam addebat comis & modesta grauitas. Sed mors à primo parẽte in oẽs propagata, eũ (proh dolor) hoc anno 1562. mense April. nobis eripuit, quin potius Deus ipsum ex hoc ingrato mundo ad cœlestia gaudia trãstulit. Nã in uera fide et agnitiõe filij Dei saluatoris nostri, ex hac calamitosa uita emigrauit. Cuiꝰ obitũ nõ sine altißimis gemitibus et Resp. et schola adhuc tacitè deplorat, solatio tamẽ est ꝙ nõ prorsus à suis sit sublatus, sed adhuc hodie uiuere uideatur in doctiß. uiro D. Basilio filio ꝗ patris uirtutes exprimere sedulò conatur.

De liberalitate D. Ludouici Carini,

Clarissimus & doctissimus uir, omniq; laude et uirtute obseruandus senex D. Ludouicus Carinus, Fuggerorum olim præceptor (studens bonas artes & studia facultatum ad posteros propagare) aliquot millia

florenorum ad ingenuos pueros in bonarum literarum studijs instituendos destinauit. Pro quo beneficio merito totus ordo scholasticus precari debet, ut Deus ipsi longæuitatem, prosperitatem ualetudinis, aliaq; beneficia impertiri uelit.

De beneficijs Typographorum Basiliensium.

Vnica ea urbs typographicis operis & officinis cum omnibus Germaniæ, imò (si quod res est fateamur) cum totius Europæ urbibus certat: siue spectes multitudinem optimorum autorum, tam ueterũ quam recentium, siue consideres diligentiã quæ in emendatis librorum editionibus insumitur. Adde quòd tolerabili precio comparantur boni autores. Tanta est typographorum, præsertim in pauperes studiosos, liberalitas.

In eo autem uitæ genere, & ijs laboribus hoc tempore celebres sunt hi:

Hieronymus Frobenius, uir doctus, & Nicolaus Episcopius, uir in historijs & iure quoq; peritus, iudicij publici assessor & iudex, indiuidui amici, adhuc iungunt suam operam in grauißimis autoribus omnium ferè disciplinarum edendis. Præcipuè tamen accepta illis ferenda sunt scripta Theologica sanctorum Patrum, & maior pars Iurisprudentiæ, nec non Medicinæ, ut historicorum & aliorum utilium authorum opera taceam.

Heinrici Petri optimi uiri ob singularem prudentiam politicis negocijs & tutela Academiæ occupati, uices generit gerit ipsius Hieronymus Curio, & alij.

Ioannes

Ioannes Oporinus, uir & eruditione singulari praeditus, & diligentia solertiaq; in restituendis, emendandis & publicandis optimis autoribus, memini facilè cedens, qui alioqui proprijs quoq; scriptis iam clarus esse posset. Id quop omnibus φιλοκάλοις notius est, quàm ut referri à nobis opus sit.

Ioannes uerò Heruagius, uir grauis, instructam mira uarietate officinam, à patre laudatißimo uiro acceptam, subinde illustriorem & auctiorem reddit.

Nicolai Brylingeri, uiri boni, & de literis optimè meriti, industriam & diligentiam tam adultiores quàm etiam studiosa iuuentus quotidiè sentit. Huius gener Arnoldus Gymnicus his annis propriam officinam aperiens, non dubiam spem diligentis & industrij typographi praebet.

His annumerari possunt Iacobus Parcus, & Petrus Perna, uiri laboriosißimi.

Haec tantorum uirorum nomina potius annotare quàm laudes describere (quod captum meum longè superat) huc uolui: tantum ut scirent, qui ex studiosis bonarum literarum grati uolunt esse, quibus uiris magnam suae eruditionis & profectus in studijs partem acceptam ferre debeant: desinantq; cerebrosi zoili tantorum hominum merita extenuare. Deus misericors pater Domini nostri Iesu Christi, haec tanta ornamenta Basiliensis Reipublicae & ecclesiae gubernet etiam in posterum, & eorum conatus, labores & studia dirigat ad sui nominis gloriam, & multorum hominum emolumentum. Amen.

Iudicium Philippi Lantgrauij Haſſiæ de ſtudijs.

Lantgrauius Philippus tempore obſidionis urbis Monaſterienſis ad me dicebat: Nunc ego incipio magis diligere ſtudia, quia uideo ſi homines negligunt ſtudia, & abijciunt libros Propheticos & Apoſtolicos, fieri perplurimos phanaticos homines, ſuos enthuſiaſmos & reuelatinoes iactantes

Ioannis Alberti ducis Megapolenſis ſedulitas in promouendis iuuenum ſtudijs, & audiendo verbo diuino.

In Italia mos eſt, ut principes audiant et inſpiciant ſtudia, ſicut etiam inter principes Germaniæ olim fuit conſuetudo. Vix ullum autem hanc conſuetudinem imitari uideo niſi Iohannem Albertum principem Megapolenſem, qui quotannis aliqua examina in ſchola Suerinenſi inſtituit, quibus Illuſtrißimus princeps ipſe intereſt, & ſimul pueros examinat: benè quoq; reſpondentibus munera non exigua largitur. Aliâs etiam extra examina idem princeps ſcholas accedit, & ſtudia ac mores iuuenum conſiderat. Prætera tanta aſſiduitate conciones Dominicales & alias annotat, ut poſt multos annos concionatoribus locos, quos eo tempore tractauerint, indicare poßit, ac citò negligentiam eorum in ſtudijs reprehendat.

Mauricij ducis & Electoris Saxoniæ memorabile factum.

Laudandus inter cæteros mihi occurrit Dux et Elector

ctor Saxoniæ Mauricius, qui non solum duas celebres Academias Lipsensem & Vuitebergensem in flore retinuit, ac sumptibus auxit, uerum etiam insuper tres optimas particulares scholas, Misnensem, Grimmensem & Portensem, in suo territorio fundauit, ubi tàm discipuli plurimi, quàm ipsi præceptores perpetuò publicis sumptibus sustentantur: in quas ex singulis suis ciuitatibus & oppidulis semper elapsis sex annis alij nouitij scholastici introducuntur: Et hic ordo pulchrè est ordinatus: in ijsdem etiam scholis liberales & conuenientes cùm præceptoribus, tùm scholasticis sumptus præbentur.

De munificentia Augusti Ducis & Electoris Saxoniæ.

Laudatur similiter ab inhabitatoribus terræ Misnensis & Saxonicæ pia uoluntas illustrißimi principis Electoris ducis Saxoniæ Augusti, cuius celsitudo non solum has nominatas celebres Academias cum his tribus scholis conseruat, & omnibus beneficijs cumulatè afficit: sed insuper etiam certò secum conclusit, ac in actum suos consiliarios producere iußit, ut reditus perpetuos ad plurima noua stipendia constituenda ordinent. Sic hic pius princeps omnibus modis Ecclesiæ benefacere, & studia liberalium artium & facultatum cum sincera Euangelij doctrina ad posteros transferri desiderat. Quare ipsius subditi & omnes qui iam dictorum beneficiorum participes facti sunt, aut fient, meritò pro huius pij principis incolumitate, & felici gubernatione Deum precari uelint.

Ernesti Ducis Saxoniæ liberalitas.

Ernestus Dux Saxoniæ, frater Ioannis Friderici Electoris, etsi haberet exiguos reditus ex sua ditione, tamen adeò fuit munificus & liberalis erga homines doctos & studiosos, ut plurimos in Academijs aleret, & plurimis beneficijs eos afficeret.

Christiani regis Daniæ, & Georgij principis Anhaldini erga ecclesiam liberalitas.

Ante paucos annos serenißimus & sapientißimus rex Daniæ Christianus, in toto suo regno auxit stipendia pastoribus & ministris Ecclesiarum. Simile beneficium præstitit illustrißimus princeps Georgius Anhaldinus præpositus Mersburgensis, qui magna liberalitate quoq; ministros suæ ditionis affecit, ordinans ut illi reditus perpetuò apud eccclesiam permanerent.

Caroli Marchionis Badensis erga Ecclesiam beneuolentia.

Illustrißimus princeps Carolus Marchio Badensis, sedecim stipendiatos in usum Ecclesiæ & Reipublicæ liberalibus sumptibus sustentat. Ad hos, tres etiam alios habet, duos Theologicis, & unum Medicis studijs destinatum: quorum singulis annuos liberales impertit. Nec iam mihi tempus concedit, ut exponam pientißimum animum, aliaq; beneficia eiusdem illustrißimi Principis, quibus indies doctos uiros & ministros Ecclesiæ afficit, & contra notorias iniurias defendit.

Ducis

Ducis Luneburgensis & aliorum quorundam erga literatos munificentia.

Princeps Luneburgensis, quanquam non habuit magnos reditus: tamen admodum munificus erga sacerdotes & scholasticos fuit.

Relati mihi etiam sunt in hoc labore uersantes alij illustres comites & Barones, qui bonis literis operam nauantes liberalitate sua sustentant, ut sunt:

Illustris comes D. Conradus de Liechteneck.

Illustris comes de Sultz.

Illustris Baro D. Egenolphus de Rappoltzstein, duos aut tres plerunq; tennioris fortunæ studiosos sustentat.

Comitum de Stolberg liberalitas.

Neq; non recordari possum pietatis & beneficentiæ illustrium comitũ de Stolberg, & alterius uiri nobilis non procul ab Isleben habitantis (cuius nomen iam mihi non occurrit) erga literatos & doctos homines, qui abolitis abusibus in cœnobijs, illos reditus in fouendis pauperibus scholasticis unà cum doctißimis præceptoribus collocarunt. In collegio illustrium Comitum de Stolberg celebris famæ est Michael Neander, qui quãtum utilitatis partim scriptis eruditis ædendis & emendandis, partim in instituenda iuuentute afferat, id clarius manifesta luce apparet. Nobilis uir prudentia excellenti & eruditione præditus in gratiam iuuentutis alit quinq; doctos uiros, inter quos mihi unicus nomine M. Heinricus Schröter est notus familiariter, uir tum in artibus tum in Theologia egregiè exercitatus.

De liberalitate Doctoris Ioannis Neuij.

D. Ioannes Neuius doctor Medicinæ illustrißimi principis Augusti Ducis & Electoris Saxoniæ, singulari amore studia & pauperes scholasticos complectitur, in quorum gratiam anno 1561. Lipsiæ tria stipendia perpetuis reditibus ordinauit: quam pecuniam nemini, ipso mortuo, repetere liceat. Ea uero stipendia semel adepti, sexennio uti possunt, & sic (si placet) assumere gradum Doctoris, ad quem gradum commodè assumendum prudens suum consilium addit. Non dubito, quin utentes cum alijs bonis uiris suam gratitudinem & uerbis & reipsa, si alicubi habeant occasionem, declaraturi sint: & Deum precaturi, ut huic bono & pio seni Doctori unà cum suis longæuitatē, prosperitatemq; in omnibus uitæ actionibus concedat.

Norinbergensium & Hamburgensium beneficentia.

Norinbergensium quoq; & Hamburgensium beneficentia ac liberalitas nequaquam silentio prætereunda uidetur, qui exceptis alijs officijs, quæ in pauperibus scholasticis & ministris Ecclesiæ alendis & sustentandis paßim præstant, hoc etiam summa cum misericordia addunt, quòd uiduis & orphanis concionatorum post ipsorum mortem habitationes & sumptus uitæ largiuntur, promouentq; etiam eorum filios, quando apti sunt, ad studia aut ad artificia: & filiabus etiam dotem addunt in elocando. Hanc pietatem, qua magistratus suam gratitudinem erga Euangelij

angeli doctores quoq; mortuos declarat, Deus & postulat & compensat.

Nobilis familiæ Tilgerorum benemeritum.

D. Antonius Tilger senior, uir nobilis, ciuis & senator urbis inclytæ Bernensis, duo millia coronatorum pauperibus scholasticis in suo testamento locauit, ad quæ patre mortuo, filius eius optimus uir D. Antonius Tilger ducentos adhuc adiecit. Quæ consilia præclara, & in omnem posteritatem laudabilia, illos ambos benemeritos de Ecclesia & Republica uiros mouerint paucis perstringam. Cogitauerunt hi omni genere uirtutum præstantes ac nobiles uiri, quòd nullum regimen, imò nulla uocatio dextrè, cum utilitate proximi, sine studijs gubernari posit. Quantum præterea bonum sit, iuuentutis ad utiles res institutio, satis monstrant exempla: nam nemo non intelligit quanta diuersitas sit, in oratione, moribus, & in alijs circumstantijs rerum & personarum, inter medioeres doctos ac rudes, uidelicet tanta, quantum lapides, cæmentum & ligna nondum præparata, à pulchro ædificio discrepant. Quapropter merito omnes boni uiri, his benemeritis uiris, consulentibus illis modis posteritati, ut in utilibus communi uitæ & Ecclesiæ studijs iuuentus instituatur, doctrinaq; Euangelij unà cum bonis legibus propagetur, perpetuas agunt gratias.

Laudabili quoq; munificentia, sibi posteros deuincire uolunt. Nam quantum ex relationibus bonorum & doctorũ uirorum percipio, communi ærarij sumptu quindecim aut circiter stipendiatos, qui apud ipsos, & in pe-

in peregrinis locis liberalibus sumptibus sustentatur. Insuper Tigurinos canonicos multos studiosos alere ferunt. Eædem etiam ciuitates fouent quamplurimos doctos uiros, qui uiuentibus & posteritati multa præclara scripta præbent. Hæc omnia ab his inclytis ciuitatibus in hunc finem fiunt, ut bonæ artes & doctrinæ, Euangelij puritas conseruetur. Conseruari autem aliter doctrina Euangelij & studia bonarum artium non possunt, nisi sint docentes & discentes: quamobrem à ueteribus Reipublicæ gubernatoribus ille ordo scholasticus docentium & discentium tot & tantis priuilegijs ac immunitatibus ornatus est, ut quàm plurimi ad subeundum, contra uulgi iudicia, illum ordinem inuitarentur. Itaq; adhuc ab omnibus sapientibus Reipublicæ præsidibus ille ordo honoratur: & ijdem priuilegia huic ordini scholastico à maioribus nostris non sine grauibus causis concessa nullo modo uiolari, aut ipsis auferri cupiunt, sed potius nouis immunitatibus, & beneficijs ornare student. Denique ut Deus omnipotens omnibus bonis gubernatoribus priuatisq; hominibus, qui de studijs literarum, (sine quibus honesta disciplina & inuiolabilis iustitia inter homines, aliaq; innumerabilia bona in genere humano existere non possunt) benemereri uolunt, prosperos in gubernatione ipsorum, & omnium suarum actionum successus largiri uelit omnes horum ingentium beneficiorum intelligentes precantur.

DE

DE MAGISTRATV, ET politica potestate.

BONVS MAGISTRATVS.

ARistoteles, ὁ ἄρχων ἐστὶ φύλαξ τοῦ νόμου: id est, *Magistratus est custos legis.*

Xenophon: οὐδὲν διαφέρει ἄρχων ἀγαθὸς ἀγαθοῦ πατρὸς, id est, Non differt bonus princeps à patre bono.

Aristoteles ad Alexandrum: Cogita imperium non esse ὕβριν, id est, temeritatem, petulantiam, seu licentiam afficiendi iniuria quoslibet: ἀλλ᾽ εὐεργεσίαν, sed beneficentiam.

Quales dominæ tales catellæ.

Scilicet in uulgus manant exempla regentum:
Regis ad exemplum totus componitur orbis:
Vtq; ducum lituos, mores sic castra sequuntur: Claud.

Item: ——*Sed non inflectere sensus*
Humanos edicta ualent, ut uita regentis:

Homerus nominat principes concionatores. Prima enim potestas antiquitus fuit regia, & sacerdotalis: id est summa authoritas fuit rex & sacerdos. Idem in Aristotele habetur.

Athenienses diu ad hunc modum Græciæ principatum tenuerunt, ut cùm permitterent alijs ciuitatibus libertatem, ipsi tamen in excubijs essent, suoq; discrimine omnes tuerentur.

Populus Romanus non sæpè uictis gentibus libertatem seu αὐτονομίαν concessit. Græcis tamen id honoris habuit, quòd post bellum cum Philippo Mace-

done geſtum, immunitatem ijs donaret, & ut ſingulæ ciuitates ſuis legibus uiuerent permitteret. Ea de re cùm decretum à ſenatu populoq; Romano factum Titus V. Imperator in Nemijs, quo ex more ad ſpectaculum tota Græcia uenerat, uoce præconum recitare iuſſiſſet, audiuiſſentq; gratiſsimum præconium uniuerſi, quantis honoribus affectus Imperator, quàm gratis ſermonibus Romanum nomen celebratum eſt? eſſe eam unam in terris gentem, quæ ſua impenſa, ſuo labore & periculo, pro libertate aliorum bella gerat, detq; operam ne quod toto orbe terrarum iniuſtum imperium ſit, & ubiq; fas, lex, potentiſsima ſint. Ita iudicarunt Græci non aliud maius beneficium homines hominibus præſtare poſſe, quàm quod accepiſſent à Romanis.

Enumeratio præſtantiſsimorum & optimorum Regum ac Principum, imperia tempore maiorum noſtrorum gubernantium.

Ferdinandus rex in Hiſpania.

Alphonſus rex Neapolis, uir ſapiens & prudens.

Imperator Fridericus, etiamſi non multa geſsit in armis: tamen fuit ſapiens, nouit modum ſui imperij & regni, ac in omni uita ſapienter imperium rexit.

Caſimirus rex Polonicus, iuſtus et excellens uictor.

Rex Mathias Vngarus, Aſperior aliquantulum, at utilis in armis.

Ioannes Hunniades, præſtans princeps, & egregius poſt Mathiam rex Vngariæ, &c.

In Germania Carolus Burgundus, pater Philippi

Burgun-

Burgundi, qui eſt nominatus Bonus: à quo Maximilianus filius etiam bonus dictus, qui propter multas excellentes uirtutes ualdè fuit dilectus in Burgundia.

Marchio Albertus, qui nominatus eſt Achilles Germanicus, ualuit conſilio, prudentia, & alijs uirtutibus. Albertus Dux Saxoniæ.

Fridericus Palatinus, egregia uirtute præditus.

Sic conſiderate, quòd Deus ſemper dederit & dat aliquos bonos & ſalutares principes, quorum gubernatio & regimen imperijs eſt fœlix & ſalutare.

Leo imago boni gubernatoris.

Sicut leo uenatur lupos, ſic ordinaria Imperia & gubernatores politici debent tollere latrunculos, & noxios ſeu ſceleratos homines.

Signa bonæ gubernationis.

Benè conſtitutæ Reipublicæ ſigna ſunt, rectè ordinatum horologium, bonum regimem, & bona Eccleſiæ conſtitutio in concionibus & ceremonijs. Veteres addunt, bonos caminos in ciuitate.

Acutè dictum Maximiliani Imperatoris, de gubernatione regni Hiſpaniæ Galliæ & Germaniæ.

Imperator Maximilianus ſolitus eſt dicere: Tantum tres reges ſunt hoc tempore: unus eſt rex hominum, alter aſinorum, & tertius rex regum. Rex hominum eſt rex Hiſpaniæ, ille adhuc moderatè regnat, & ſentit ſe præeſſe hominibus. Alter rex aſinorum, eſt rex

Galliæ,

Galliæ, cuius subditi omnia onera ut asini patiuntur, quæ ipsis imponuntur. Tertius rex regum, inquit, ego sum, nam quilibet meorum subditorum uult esse rex & facere quæ ipsi placent.

Pensiones debentur magistratui propter defensionem.

Debentur pensiones principibus & magistratibus iniustam uim à subditis depellentibus, ut alant equites ac alios seruos, quibus arceant malos, ne incursiones in suam ditionem facientes, subditos diripiant ac spolient, sicut ante paucos annos fecit quidam qui ducens secum famelicam turbam militum, miseros subditos non solum pecunia, uerumetiam uictu, pane, petasonibus, ac omnibus deniq; facultatibus spoliauit. Ille fuit tyrannus. Etiam frater ipsius improbauit hoc: & scripsit ad ciuitates, nihil horum fieri suo consilio, se ualde improbare stulticiam & crudelitatem fratris.

An liceat bono magistratui belligerari.

Alexander cæpit piratam, & interrogauit eum quare latrocinium exerceret in mari? At ipse respondit: Quin magis mihi licet latrocinari in mari, quàm tibi in terra. Non rectè *respondit. Quia latrocinium est ordinis politici confusio: sed bellum legitimum non est latrocinium. Alexander gessit iustum bellum, & puniuit iniustam crudelitatem quam tyranni in suos exercuerant.*

Magiſtratus non debet eſſe quæſtus, ſed λειτουργία

Quidam dominus, cui pater adminiſtrationem ditionis tradiderat (quia pater maluit alibi uiuere propter ſuas cauſas) ſcripſerat patri, ſibi non ſufficere iſtos reditus, & uelle uti eius conſilio ut peteret ſuperindicta. Illud pater reſciſcens, gubernationem filij aſperrimè tulit: & ſignificauit filio, ut mœnia strueret pro ſuis opibus: er ſol ſich ſtrecken/darnach er decke hett.

Pulchra alluſio in dicto ſequenti, ad multitudinem gubernatorum.

οὐκ ἀγαθὴ πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔσω, *id eſt, non eſt bona multitudo regentium, rex unicus eſto. Auguſtus uenuſtè deprauauit,* οὐκ ἀγαθὸν πολυκαισαρίνη, *id eſt, non bona eſt multitudo Cæſarum.*

Conſuetudo oſculandi pedes & manus vndé.

Eſt antiqua conſuetudo, quæ etiam in Oriente fuit cœpta in Africa, ut oſcularentur pedes, Diocletianus retinuit iſtum morem: ita creuerunt adulationes. Poſtea Papæ ſunt imitati, ut Imperatores ſeſe abijcerent ad pedes pontificum.

Imperator noſter Carolus V. cùm prouinciales in Africa uellent oſculari eius pedes, ſeuerè dixit: Caput imperat non pedes. Nos Germani præbemus tantum manus: ſed in prouincijs erat conſuetudo, ut prouinciales oſcularentur manus Conſulibus.

Impera-

Imperator noſter Carolus V. ſedit in menſa: & uenit ad eum Gardianus Cygneus, uolens accuſare noſtrum principem Ioannem Fridericum, & prius uoluit Imperatori oſculari pedes. Imperator attraxit pedes: ille ſequebatur. Tandem ſignificat Imperator miniſtris, ut iſte fatuus abduceretur, & ipſe liberaretur, quia noluit ſibi oſculari pedes.

Vigilantia & ſedulitas decet Magiſtratum.

οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα,
ᾧ λαοί τ' ἐπιτετράφαται καὶ τόσσα μέμηλε.

Hos uerſiculos dignos putauit Dux Saxoniæ Fridericus, ut ſua manu deſcriptos, & latinè uerſos in ſuo cubiculo haberet, his uerbis:

Non decet principem uirum dormire totam noctem,
Cui populi gubernacula commiſſa ſunt, & à cuius cura pendent ingentia rerum momenta.

Origo Electoratus.

Origo Electoratus principum Germaniæ, orta eſt à Perſis. Vt enim illorum regi adiuncti fuerunt Principes, Sic Imperatoribus Germaniæ adiuncti ſunt Electores, qui Imperio Romano Senatum ſummum, conſtituunt. Si rectè uelimus conſiderare, regi Perſico adiuncti fuerunt Ephori. Penes hos enim fuit ſumma poteſtas regem eligendi, capiendi & abdicandi. Sic ſumma poteſtas & authoritas eſt Electorum, qui ſæpè ab Imperio beſtias & tyrannos remouerunt. Hic Electorum ſtatus defendit Germaniam, & retinuit moderationem & tranquillitatem annos iam quingentos.

Benè conſtitutæ Reipublicæ ſigna.

Fui Brunſuuigæ, ubi eſt optima diſciplina: etſi nihil detraho alijs ciuitatibus, tamen nuſquam meliorem uidi, præſertim in tam populoſa ciuitate. Incedunt ciues plerique longis ueſtibus, ſine armis: & nuſquam uidi pulchrius tectas mulieres, quàm ibi. Et ciuis apud quem diuertimus, homo fide dignus, dicebat in uiginti annis nullam ibi cædem factam eſſe.

Simile.

Rex Ferdinandus, cùm eſſet Noribergæ, interrogauit unum ex præcipuis ſenioribus ciuitatis, quo modo tantam multitudinem regerent? Reſpondit ille: Sereniſsime rex, blandis uerbis, & atrocibus pœnis. Eſt ſapientiſsimum reſponſum hominis ingenioſi. Sic enim debent eſſe Imperia conſtituta, ut gubernatores omnibus comiter reſpondeant, at in pœnis ſumendis grauitatem adhibeant.

Deſcriptio trium præcipuarum in hac vita vocationum.

In curia Baſilienſi aureis literis hic uerſiculus ſcriptus inuenitur:

Tu ſupplex ora, tu protege, tuque labora.

In hoc uerſiculo tres præcipuæ huius uitæ uocationes proponuntur: Eccleſiaſticus, Politicus, & ſubditorum ſtatus.

Præ-

Præcipua ornamenta horum trium regnorum, Angliæ, Galliæ, & Hispaniæ, ante hæc tempora.

Capuanus natus ex nobilitate Schönberg Misnensis, factus Cardinalis, missus est in Angliam & Hispaniam, ac ad nostrum Imperatorem Carolum V. adolescentem. Cùm Romam rediisset, sic est interrogatus à Cardinalibus: Dic nobis Capuane breuiter (quia ipsi amant argutè dicta) quæ uidisti? Dicam inquit. In Anglia uidi pulcherrimum regnum, in Hispania sapiens consilium: hæc tribuit Imperatori.

Pictura boni Magistratus apud veteres.

Imperatores Germani apud ueteres hoc modo pingi solebant, tenentes, altera manu librum, & altera ensem. Quo antiquitas uoluit significare, Imperatores legum & armorum peritia debere esse instructos. Gladius enim sine lege, est tyrannis. Pictura ista in gratiam iuniorum sic proposita est, ut commonefierent de præcipuis gubernationis partibus.

In curia Vuormatiensi hoc distichon argenteis literis est scriptum, admonens gubernatores de suo officio.

Astra Deo nil maius habent, nil Cæsare terra:
Sic Cæsar terras, vt Deus astra, regat.

INTE-

INTEGRITATIS ALIArumq́; virtutum in ſummis perſonis picturæ.

Integritas principis Erneſti Luneburgenſis.

Propè oppidum Zell, eſt prædium Lotharij nominatū & exiſtimatur locus eſſe natalis Lotharij. Quæſtor in arce oppidi Zell uoluit imponere prædio, quod habuit immunitatem, nouam penſionem. Colonus uenit ad Erneſtum principem Luneburgenſem, qui clementer audiebat ſuos, & delectabatur honeſtarum rerum conſideratione, dicens: Illuſtrißime Domine princeps, prædium illud ſemper fuit immune: quia nominatur prædium Lotharij, & nos exiſtimamur eius poſteri. Delectatus princeps iſta allocutione, inquiſiuit diligenter in rationibus: inuentumq́; eſt fuiſſe immune prædium. Quo comperto, duxit princeps ſecum colonum in ſuum conclaue, & percontatus eſt alia multa, quæ uoluit. Iußit deinde ſcribi in rationibus: Hoc prædium locum natalem eſſe Lotharij, & eſſe immune. Hanc hiſtoriam ideò recito, ut ametis & cognoſcatis hiſtorias, quarum magna utilitas & neceßitas eſt in omni uita. Quia nemo poteſt regere patrimonium ſuum ſine hiſtoria. Oportet ſcire, unde acceperis feuda: unde tui acceperint: unde uenerint in poſſeßionem.

Aliud Friderici Ducis Saxoniæ inſigne.

Dux Fridericus ſepè maluit petentibus ligna, potius dare pecuniam ex camera, qua emerent ligna ex Bohemia, ut parceretur ſuis ſyluis. Quia omnes ſapi-

entes gubernatores magni faciunt ſyluas, & potius dant pecuniam, quàm amittant ſyluas: cùm tamen alioqui non ſit uſitatum, ut principes largiantur pecuniam. Habebat etiam Dux *ſyluas uicinas* Vuitenbergæ, *olim emptas à ſuis maioribus principiſſa* Anhaldina, *mater horum principum qui nunc uiuunt, cùm & ipſa eſſet ſapiens, & bona œconomiſſa repetebat illas ſyluas: quia erant uenditæ cum pacto de reuendendo.* Etſi *autem princeps difficulter amittebat ſyluas illas, & malebat adhuc aliqd pecuniæ ſoluere: uel addere, quia precia lignorum iam creuerant: tamen nolebant honeſtiſsimam matronam diu uexare, aut ſuſpenſam tenere & quamuis aliqui conſilia & prætextus, quibus eas aliquo iure retinere poſſet, proponerent, tamen noluit ſuam conſcientiam grauare, nec quicquam huiuſmodi prætexere, quo ſyluas illas poſſet retinere: ſed tanta fuit eius integritas, ut* Anhaldinis *ſyluas illas ſponte reſtitueret.* Pertinet *ad curam boni* Principis *& gubernatoris, ne ſyluas inutiliter perdat, aut conſumat.*

Aliud Ioannis Friderici ducis Saxoniæ.

Cùm optimus princeps Ioannes Fridericus *captiuus teneretur in* Belgico, *ac aliquando proficiſceretur in uenationem: accidit ut cuſtodes aberrarent ab eo, ac eum diu fruſtra quærerent.* Ipſe *uerò ſolus ſine comitatu uenit ad portam, ubi expectauit cuſtodes, ne ſi ſolus ingrederetur, indignationem & odium* Imperatoris *cuſtodes incurrerent.* Illud *cùm* Imperatori *indicaretur, admodum delectatus eſt illa integritate.*

Pulchra

Pulchra laus candoris in quolibet magistratu.

De Marco Antonino dicit Dion: *Erat similis sibijpsi omni tempore, & nihil erat in eo arte fictum & simulatum.* Est *pulcherrima laus uniuscuiuslibet uiri, praesertim boni principis.*

Aliud Francisci Regis Galliae.

Imperator Carolus V. cum esset mota seditio in Flandria à Gandauensibus, petiuit transitum per Galliam à rege, qui ipsi concesit. Ibi quidam fuerunt suasores regi, ne seruaret pactum: fore sibi noxiam Imperatoris potentiam. Sed regium fuit, seruare pactum. Postea spectaculum exhibuerunt regi: ceruum immiserunt in hortum spaciosum, & emiserunt qui uastaret hortum (quemadmodum Galli delectantur talibus spectaculis) uolentes significare, imperatorem Galliam uastaturum esse.

Aliud integritatis in Ludouico rege Galliae.

Ludouicus rex Galliae iudicio Parlamenti aßidere solitus est, & audire suas causas. Si uerò aliqui blandirentur regi, cùm ipsius causa ageretur, ac dicerent causam regis bonam esse, Audiamus, inquit eam, an ius seu iusticia plus in ea ualeat quàm uestra beneuolentia. Cùm autem ipsi sententia dicenda esset, saepè contra se pronunciauit: & ipsos, si nimium suae causae tribuerent, duriter obiurgauit.

Parlamenti autē (ut uocant) Parisiensis, (quo nihil

est pulchrius) authorem esse dicunt Pipinum, patrem Caroli Magni.

Celebratio virtutum in Imperatore Carolo V.

Dux Saxoniæ Fridericus aliquando de Carolo V. Imperatore dixit: Deus dedit nobis Cæsarem & clementem ac terribilem. Magnum est elogium, quasi diceret: Deus dedit nobis talem Imperatorem, qui multa in republica corriget, & sub quo multa fient.

Celebratio candoris in Imperatore Theodosio.

In laudatione Theodosij Imperatoris inter cæteras uirtutes nominatim etiam illa reperitur, quòd animus eius non fuerit suspicax.

Animositas in Romanis colonijs, temporibus aduersis.

Quando Hannibal occupauerat maximam partem Italiæ, & Romani post Cannensem cladem nihil reliquum præter colonias 25. aut circiter haberent: istas deduxerunt Romam, & ostenderunt formulas seu album conscriptorum militum: proposueruntq; sententias, quid essent facturi: an uellent defendere istã particulam & reliquias Italiæ, an uerò se dedere Hannibali? Responderunt coloni, se ad extremum dimicaturos esse. Nunquam Roma fuit maior, quàm cùm fuit pauperrima. & derelicta, ita ut nihil spei esset reliquum. Ita opposuerunt se Hannibali excelsis animis, & recuperarunt uires, ut cum turpitudine coactus sit Hannibal fugere ex Italia. Illa exempla uirtutis manifestè

ſtè oſtendunt præſentiam Dei in imperijs, & negocijs gubernationis rerumpublicarum.

Modeſtia Imperatoris Caroli V. reſponſio, de ſuis laudibus,

Imperator Carolus V. cùm à rege Gallico Pariſijs exciperetur honorificentiſsimè, & tanto triumpho, qualis nuſquam ei eſt exhibitus: poſtea unus ex conſiliarijs regis eum longa & grauiſsima allocutus eſſet oratione, in qua multarum uirtutum & rerum geſtarum Imperatoris commemoratio fiebat: ille ad hæc omnia breuiter ac modeſtiſsimè reſpondit, Ideo ſibi gratam eſſe orationem, quòd eum commonefeciſſet, quòd talis eſſe deberet.

Magnanimitas Auguſti in defendendo ſeruo.

Cùm Auguſtus aliquando conuiua alterius magni domini eſſet, & ſeruus illius in porrigendis poculis uitrum cryſtallinum frangeret. Dominus adeò ſeruo iratus eſt, ut iuberet conijci eum in uiuarium, quò à murenis deuoraretur. Auguſtus ægreferens illam crudelitatem, miſertus ſerui, ſurgit, & frangit omnia cryſtallina uitra, quæ in menſa erant collocata. Inſuper etiam ſeruum libertate donauit. Hoc fuit uerè regium decus.

Beneficentia Athenienſium in ſoluendis debitis, pro duce.

Dux Athenienſis qui uicit Mitylenem, cùm ad eum deferretur imperium, excuſauit ſe, quòd multa deberet, & obæratus non poſſet imperare cum authoritate. Ibi ſenatus tanti eius uirtutes fecit, ut pro eo ſolueret debitum.

Dextrum iudicium Ludouici regis Galliæ, de Imperatore Maximiliano.

Conſiliarius quidam regis Galliæ dixit de Imperatore Maximiliano, eum eſſe conſulem Auguſtanum. Ad ea Ludouicus Tertius, pater Franciſci, reſpondit: Tace tu aſine, noli talia loqui de poteſtatibus, quando hic conſul tympanum pulſat, tunc propter ipſius uirtutem tota Gallia tremit.

Virtus in iuuenili ætate cernitur.

Amicus quidam noſter ante annos quadraginta à Maximiliano miſſus erat legatus in aulam Palatini, de Carolo quinto adhuc adoleſcente dixit: O amice, non poſſum tibi multa dicere de eo: ſed quandocunq; aliquid dicit, hoc habet magnam emphaſin. Illud eſt animaduerſum ſtatim in illa prima ætate. Ita indoles in bonis cito eminet.

Audio tam mirabilia dici de Imperatoris Caroli V. nepote, ut ego credam aliquid magni fore. Hoc propterea dico, ut cogitetis, qui tunc temporis uicturi eſtis, quando ille regnabit. Geneſis eſt talis, qualem nunquam uidi præſtantiorem. Quis ſcit, quidnam Carolus Sextus deſignaturus ſit? Deus ſuam gratiam ipſi largiatur. Videtur aliquid magni portendere & præſtiturus eſſe. Fortaßis Turcæ uires labefactabit, aut tale quid ſimile præſtabit.

Magnanimitas & virtus prima ætate in præſtantibus hominibus cernuntur.

Fuit

Fuit quidam nobilis Artesiensis, nomine Antonius de Crocquis in carcerem coniectus propter æs alienum, intercedentibus agnatis & consanguineis suis, liberatur. Veniens igitur in arcem Valdolid, hoc est, Vallem oliuarum, ubi dominus eiusdem arcis commorabatur, cum suo quodã conterraneo nobili uiro, colloquebatur de suis negocijs. Interuenit iuuenis princeps, natus annos decem, aut circiter: & miratur, quid causæ sit, cur ille aulicus detecto capite astaret Antonio malè uestito. Itaq; uocato ad se aulico, quærit quisnã sit iste? Respondit aulicus, esse nobilem, & ex eo numero equitum qui uocantur archiers de Corf. Iuuenis princeps inquit: Quare utitur uestibus tam attritis? nunquid habet alias? Respondit is, amisit omnes facultates, ob debita. Quærit ulterius: habet equũ, nec ne? inquit aulicus: Non, sed creditores uendiderunt. Ait iuuenis princeps, dic ei, ut cras hora nona pomeridiana tecũ ueniat huc. Quod ita sequenti die ab ijs factum est: princeps idem, animi gratia ibidem obambulans, uidit eos: & memor fuit eius quòd pridie ijs mãdauerat, ut redirent. Quare princeps accedit ad cubiculum summi cubicularij patris sui cui Dõn Rodorigo Rugones nomen erat, & ab eo cùm adhuc dormiret: iussit auferri uestimenta omnia, & gladium, eaq; dono dat Antonio: & simul mandat, ut uestibus ijs indutis confestim redeant. Quo facto, uidebat princeps consiliarium uenientem: à quo mutuò petit quinquaginta ducatos, is prætendebat se non habere pecuniam in promptu. Vade domum, inquit, & adfer: An non existimas me posse tibi red-

dere tantillum pecuniæ? Quid faceret ille? pecuniam ſtatim attulit. Qua accepta uocauit Antonium, & dedit ei hanc pecuniam, ut equum emeret, & præcepit ut eſſet fidelis patri ſuo, ac ſibi. Antonius agit gratias immortales, ſeq; non ingratum fore recepit. Quam rem cùm cognouiſſet Rex pater huius principis ex conſiliario & cubiculario, interrogat filium, quid factum eſſet de ueſtibus & pecunia: Reſpondit filius, nudum inueni, & cooperui. De pecunia uerò quid rex quærit? dono dedi ei, ut equum emeret. Et iratus addit: An putat Iudæus ille, quod non poſſum ei ſoluere hanc pecuniam? Ibi reliqui qui aſtabant ridere cœperunt: & conſiliarius cum rubore & pudore diſceßit.

Aliud exemplum eiuſdem iuuenis principis.

Conſiliarius quidam uenit ad eius patrem, quem cùm uidiſſet hic iuuenis princeps, quæſiuit quiſnam is eſſet? Reſponderunt aulici, eum eſſe Iudæum. Ait is: Nunquid ita ſolent incedere Iudæi? Reſpondent illi: unus eſt ex iſtis qui uocantur Retaliados: hoc eſt, qui lucri cauſa ex Iudæis Chriſtiani facti ſunt. Ibi ſubticuit iuuenis princeps, & conſiliarium euntem ad patrem ſequebatur. Cumq; patri loqueretur ueſtibus eius pellibus ſubductis lignum ardens ex camino ſumptum tacitus apponit, & tunicam comburit ac aufugit. Accedentes autem nobiles, ignem ſtatim ſopiunt. Abeunte conſiliario, reuocatur iuuenis princeps, & à patre reprehenditur grauißimè: ac interrogatus, cur hoc ſuo feciſſet ſenatori? ille ne uirgis cæderetur metuens: acceſſis

ſit Maiorem domus, hoc eſt, eum qui præcipuus in aula erat, dicens: O ſegnior von Diego, ora pro me. Pater autem nihilominus ſcire uoluit, qua de cauſa feciſſet illud. Intercedentibus autem omnibus, promiſit pater, quòd deberet impunè euadere. Ait igitur iuuenis princeps: Ego cùm cognouiſſem eum eſſe ex Retaliados, exiſtimaui non conuenire, ut talibus indutus ueſtimentis incederet. Quid enim, ait, ſi iſti Iudæi talia gerant ueſtimenta, nos ex regia nati familia induemus? Cœperunt igitur omnes ridere, & patre etiam hoc æquiori animo ferente, hilares abiere.

Eiuſdem principis exemplum.

Idem iuuenis princeps habuit in delicijs teſtudinem. Ea capite exerto memordit aliquando eum, ipſumq́; læſit. Quod ipſum adeò male habuit, ut eam iniuriam ſe ulturum eſſe palàm aſſereret, ac diceret: Ego docebo te, ne deinceps mordeas infantem huius regni. Atq; ita aliquandiu eo expectante, donec caput denuò exereret, dentibus ſuis ad os teſtitudinis applicatis, mordicus eam apprehendit & caput abſcidit. Cumq́; in ore teſtudinis aliquid ineſſe ueneni exiſtimarent medici, adhibitis alexipharmacis iuuenem curauerunt.

DEFENSIO & GVBERnatio diuina Magiſtratus.

Maximilianus, cùm aliqui ipſum ſequentes interficerentur, & ferirentur globis, dicebat: Non oportet uos meam audaciam imitari. Principes habent ſuam quandam peculiarem fortunam.

Imperium sedes Dei.

Quando Roma fuit capta, uenit Iulius Pflug Episcopus Naumburgensis ad Ducem Saxoniæ Georgium ex Italia, & retulit ei historiam Romæ captæ. Cùm uerò diceret, tantam fuisse multitudinem in urbe Roma, ut facilimè potuerit exercitus ab ea repelli: & quòd fames coëgisset exercitum properare ad expugnationem: ibi sedit Dux Georgius diu cogitabundus, ac tandem hæc uerba protulit: Nunc demum reipsa comperio, quodcunq; Deus uoluerit, id certò ac necessariò euenire: quod uerò Deus noluerit, id non posse succedere aut perfici.

Aquila est imago Imperatoris, qui diuinitus custoditur.

Dicitur autẽ aquila ideo ministra fulminis, quia altißimè uolat, & non feritur fulmine: nam diuinitus seruatur, deinde non uescitur alieno labore, ut uultures & corui, sed proprio, ex uenatione. Moritur autem fame in senecta. Iam uidetis, quantæ sint conspirationes contra nostrum Imperatorem Carolum. Italia & aliæ regiones consentiunt in interitum aquilæ: sed tamen hæc aquila diuinitus seruatur à fulmine Gallico, Italico, Turcico, & aliarum conspirationum. Sed,

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo:
Et subito casu, quæ ualuere ruunt.

Tria cuilibet Magistratui necessaria.

Augustus, cum mitteret Germanicum in Asiam, optauit ei tria: Virtutem Alexandri: beneuolentiam hominum tantam, quanta fuit erga Pompeium, & ter-

tiò

tiò addit, Opto tibi meam fortunam. Significans quòd res gestæ, & uictoriæ ab ipso partæ, fuissent diuinitus gubernatæ.

Aquilæ conseruatio.

Quando Franciscus Rex Galliæ coniunxerat sibi Venetos, Pontificem Romanum & Italiam contra Imperatorem, tunc fœdus illud uocabatur Liga sancta. Sed tamen nihil effecerunt: Rex enim captus: Veneti sunt facti supplices, procumbentes in genua, & difficulter impetrauerunt pacem, quamuis deprecante pro eis pontifice Romano.

Deus bonos principes mirabiliter custodit.

Fridericus Marchio Misnensis, inuitatus est à Duce quodam in conuiuium, in oppidum Madeburgum, inter prandendum autem uenit percussor, qui debebat interficere Ducem Misniæ, & impetum in ipsum facit. Adest tum fortè ciuis quidam Freibergensis, inijciens sese inter ducem & percussorem: qui tam fortiter defendit suum dominnm, ut ipsius uulnera exciperet, ac tandem ipsum percussorem interficeret. In primis quidem exemplum hoc ostendit, quomodo Deus subinde bonos principes Reipublicæ conseruet, atq; etiam in summis periculis mirabiliter tueatur ac liberet. Deinde in hoc ciue relucet exemplum magnæ fidelitatis subditi erga suum Principem.

Deus politiarum conseruator.

Omnes politiæ sunt ruinosæ domus, quas diabolus conatur demoliri: sed Deus eas fulcit.

AMOR

AMOR SVPERIORVM erga inferiores, & econtra.

Gubernatoribus preciosissimus thesaurus.

Dux Eberhardus Vuirtenbergensis in conuentu Vuormaciensi tempore Maximiliani habito, cùm singuli principes singulas suas ditiones laudarent, ille auscultauit. Saxonici principes laudauerunt suas uenas metallicas. Duces Bauarici laudauerunt ciuitates: Dux Palatinus fertilitatem terræ, & fœcunditatem uini. Dux itaq; Eberhardus Vuirtenbergensis iussus à Friderico duce Saxoniæ etiam suæ ditionis laudes prædicare: Nihil est, ait, quod prædicem, cùm sim inter uos infimus: sed hoc unum scio, me posse securè dormire in gremio cuiuslibet subditi mei, in medio campo, quandoquidem libuerit, quasi diceret: Ego ita guberno meam ditionem, ut mei subditi me ament. Sic reliqui hanc laudem suis facultatibus prætulerunt.

Alius preciosus gubernatoribus thesaurus.

Cùm alij Principes iactarent sua κειμήλια in conuentu aliquot principū, ubi Comes de Nassau, dominus Cattorum, dicebat: Habeo nonaginta rusticos, quorum quilibet potest mihi, cùm opus est, sine magna iactura suæ rei familiaris, pendere quadringentos florenos. Hunc thesaurum pluris facio, quàm uestros thesauros & κειμήλια: & hic thesaurus est mihi certior, quàm si in meis articulis absconditus esset: atq; hi sunt mihi fideliores custodes huius thesauri, quàm si meis quæstoribus esset commissus.

Alius

Alius ſimiliter ἄυτȣργ☉, cùm uideret neminem gratulari regi, ſe uerò quoq; in promptu nihil quod tali regi dignum foret, habere: proximum fluuiolum fortè conſpicatus, accurrit, hauſtamq; ambabus manibus aquam Artaxerxi ſitibundo obtulit. Qua hominis urbanitate & beneficentia motus, illico phialam auream, atq; mille Daricos nummos pro tali in tempore beneficio exhibito donari curauit.

ODIVM INTER SVPERIORES & inferiores.

Eſt naturalis inimici ia inter cygnum & aquilam. Cygnus non prouocat aquilam, ſed ſæpè uincit prouocatus. Cygnus ſignificat oratorem, uel bonum ſenatorem. Aquila ſignificat atrocem gubernatorem. Eſt odium inter amantes pacem, quietem, & iuſticiam, & inter turbatores quietis. Aquila fuit imperij Babylonici ſignum. Romani etiam aquilam habuerunt, ſed ante Marium alia habuerunt inſignia.

Memini magni nominis principem alteri conqueri, dicentem, ſe mirari quod non diligeretur à ſuis ſubditis, cùm tamen nihil in eius moribus reprehendere poſſent. Ibi alter, cui illa erat conqueſtus, uocauit ad ſe puerum, dans ei pomum, ac iubens, ut alius pomum puero eriperet. Quod cum ille faceret, puer cœpit flere, & ei ſuccenſere. Idem, reſpondit principi, tibi contingit: etſi in uita es honeſtus, ita ut nemo de tuis moribus conqueri poßit, tamen iſta βȣλιμία in te reprehenditur.

DE CALAMITATE imperiorum, eorundemq́ mutatione.

Imperator noster Carolus V. in obsidione oppidi Vuitebergæ, cùm audiuisset multiplicia scelera Hispanorum, inquit: Ah, si quando accipiam magnam calamitatem, ea accidet mihi propter malitiam & petulantiam meorum hominum. Quanquam adeò est seuerus, ut statim puniat enormia delicta.

Demosthenes dixit: Si retexenda uita esset, & sibi duæ uiæ proponerentur, quarum altera rectè duceret ad summos honores in republica, altera uerò rectè ad mortem: se commonefactum de periculis, potius ingressurum illam uitam quæ ad mortem duceret, quàm ducentem ad honores. Huic non dissimile est, quod Erasmus dixit: Miseros esse principes, si intelligant sua mala: miseriores, si non intelligant.

Septuaginta hebdomades significant aliquid peculiare, quia uniuersaliter septuagies septies est periodus usitata imperiorum. Vniuersaliter habetis mutationes regnorum circa annum 500.

Primus annus peregrinationis Abrahæ fuit 2023. Populus uerò egressus ex Aegypto, & lex tradita est anno 2453. Ergo à peregrinatione Abrahæ ad exitum ex Aegypto, sunt anni 430.

Diluuium anno mundi 1656. Exitus ex Aegypto anno mundi 2453. Ergo à diluuio ad exitum ex Aegypto anni 797. Circumcisio uerò instituta est anno mundi 3047. Ergo à diluuio usq; ad circumcisionem sunt anni 291.

Tem-

Templum Hierosolymitanum ædificatum à Salomone anno 2933. Populus egressus ex Aegypto anno 245. Ergo ab exitu usq; ad ædificationem templi à Salomone, anni 480.

Templum direptum est, & destructum à Nabuchodonosore anno 3336. conditum à Salomone 2933. Ergo à Salomone usq; ad Nabuchdcnosorem anni 442. & tot annos stetit templum Salomonis.

Templum instauratum est post captiuitatem Babylonicam anno 3446. Christus natus est anno 3962. Ergo ante natum Christum restitutum est templum annis 516. Hoc templum destruxit Herodes annis 16. ante Christum natum, & aliud ædificauit. Subtractis ergo annis 16. proueniunt præcisè anni 500. quibus templum post restitutionem durauit.

Initium monarchiæ Persicæ fuit, quando Cyrus cepit Babyloniam, anno mundi 3417. Græcorum uerò monarchia cœpit, quando Alexander uicit ultimum Darium, anno mundi 3634. Ergo durauit monarchia Persica 217 annos.

Initium Romanæ monarchiæ fuit, quando Iulius Cæsar factus est monarcha, anno 3617. Initium Græcæ monarchiæ, ut suprà anno 3934. Ergo durauit Græca monarchia tantum annos 283. Sic duæ monarchiæ, Persica & Græca, compleuerunt annos 500.

Troia capta est anno 2783. Initium regni Romani cœpit à Romulo, anno 3211. Ergo à capta Troia, usq; ad regnum Romuli, anni sunt 428.

Reges Romani expulsi sunt à Bruto & suis sociis.

ciis, qui summam potestatem postea ad consules contulerunt, anno 3455. Iulius Cæsar ex Aristocratia monarchiam fecit, anno 3917. Durauit ergo Consulum potestas annos 462.

Initium monarchiæ Romanæ cœpit à Iulio Cæsare, anno 3917. ante Christum natum 45. qui addantur ad initium monarchiæ. Cœpit autem Italia uastari à Vandalis & Gothis, anno Christi 409. Ergo floruit monarchia Romana annos 454. Post illud tempus continuos 139. annos uastata est à Gothis & Vandalis.

Constantinus sedem Imperatoriam transtulit Constantinopolim anno 312. Carolus Magnus rursus eandem transtulit Romam anno Christi 801. Fuit ergo Constantinopolis Romanorum Imperatorum sedes annos 489.

Constantinopolis capta à Turcis anno Christi 1453. desiit esse sedes Romani Imperij anno Christi 801. Ergò post Carolum Magnum Constantinopolis fuit Græcorum Imperatorum sedes, annos 652.

Orta Electorum Imperij institutio ab Otthone Tertio, anno Christi 1002. nunc uerò agitur annus 1549. Ergo iam durauit annos 547.

Initium gubernationis regum in populo Iudaico fuit anno mundi 2850. Finis eiusdem gubernationis, anno captiuitatis Babylonicæ, incidit in annum 3355. Durauit ergo gubernatio regum annos 505.

Populus rediit ex Babylone soluta captiuitate anno 3426. Herodes ex Idumeorum regum familia Iudæam occupauit, anno 3928. Ergo post captiuitatam præ-

fuerunt

fuerunt populo Iudaico ſummi ſacerdotes ex familia Leui annos 502. Poſtea translata eſt poteſtas ad peregrinos reges à Romanis conſtitutos, quorum primus fuit Herodes.

Ita ſunt anni 500. ab exitu ex Aegypto ad regnum Salomonis, inde iterum ad deſtructionem factam à Nabuchodonoſor, & inde tot anni ad deſtructionem factam per Titum, ſunt anni 500. A principio regni Vngarici & regni Polonici uſq; ad noſtrum illud tempus, ſunt etiam circiter anni 500.

Seruitutem Capuæ prædicens.

Capuæ fuit uir nobilis, qui aſſumpſit habitum morionis, & cecinit fiſtula in plateis. Interrogatus quare id faceret, cùm aliâs eſſet uir grauis & ſenator? reſpondit, Ego ante ſeruitutem uolo declarare me adhuc liberum eſſe. Sic prædixit illis triſtem ſeruitutem, quæ non multo pôſt ſecuta eſt.

Mutatio Imperiorum quando accidit.

Quando numeri degenerant in ſonos, id eſt, quando uirtus extinguitur, tunc etiam deficiunt magiſtratus & gentes: ut factum eſt ſub Heinrico Quarto, ubi cecidit imperium Germanicum.

Infinitæ calamitates Imperiorum.

Heydelbergæ in arce picti ſunt principes Palatini (ſicut & apud nos Vuitebergæ habentur imagines ducum Saxoniæ in arce) & ex ijs unus eſt habens gremium impletum pane, & appoſitam cucullam ſtulti. Propterea quod ille ſibi in Palatinatu delegerat oppi-

dum exiguum & amœnißimum, ubi erant uina optima, & poma sapidißima, aliorumq; frugum præstantia & abundantia, ac uitam tranquillam prætulerat Reipub. & gubernationi: adeò ut reliquam suam hæreditatem fratri suo dono daret: cùm tamen ille longè fuerit felicior, & sapientior cæteris omnibus, quærens mediocritatem. Et multo suauius uixit fratre, siquidem Imperiorum infinitæ sunt miseriæ.

Capnio de mutatione Imperiorum.

Quando duplicantur lateres, tunc uenit Moyses. id est, cùm onera sunt nimis grauia: tunc mutantur Imperia, & ueniunt pœnæ.

Antiquus est uersus in Oraculis, uidelicet.

αὐτὸς, καὶ παῖδες, καὶ παίδων οὐκ ἔτι παῖδες.
id est: ipse, & filij, filiorum uerò filij non amplius.

Sic Constantinus pater regnauit, & post eum Constantinus filius. Post Constantinum uerò, nullus ex illa familia relictus est.

Vetus legitur Sibyllæ oraculum de Athenis, duas ei pestes exitio futuras, fraudes & ignauiam ducum. Sed si communem hominum uitam & interitus regnorum consideremus, non tantum Athenis, sed etiam omnibus urbibus ac imperijs Sibylla est uaticinata.

Rudolphus cùm esset Imperator, neglexit Italiam, eo quod propter paupertatem timeret se non posse eam amplius recuperare. Sic Imperij fines defecerunt. Tempore Friderici Barbarossæ habuit hoc imperium ad minimum ex reditibus, qui fuerunt proprij Imperij. uiginti

uiginti tonnas auri: ad quas Germania parum admodum contulit, ſed maximam partem pependit Italia. Hæc mihi dixit Peutingerus Auguſtanus, qui fuit conſiliarius Maximiliani. Poſtea mox illi cenſus diminuti ſunt. Tempore uerò Rudolphi penè omnino nobis hi reditus perierunt.

GVBERNATIO POLITICA & conſilia in eadem vtilia.

Duo genera ſunt aulicorum ſeu politicorum hominum: Alij habent practicam ſine doctrina, qui pulchrū putant in negocijs certare ingeniorum acumine. Alij ſunt eruditi, manentes intra metas ſuæ uocationis, non ludentes ingenio, ſed habentes leges ſuorum conſiliorum terminos. Hoc eſt rectius & ſalubrius. Sic etiam in Theologia, aliqui ſunt facundi & loquaces, qui non referunt ad metas ſuas orationes. Alij uero ſunt minus eloquentes & facundi, qui referunt ſuas orationes ad certas propoſitiones, quod eſt utilius.

Donatio ſpeculi aulici.

Eſt in Eccloga Petrarchæ narratio de paſtore in aulam ueniente, cui cùm donaretur ſpeculum, illudq́; inſpiceret, incepit amare uirgines aulicas, ſed malè ob id tractatus, & deiectus per gradus, ibi in hæc uerba prorupit.

Aeternum gemit ille miſer, paſtoribus aulæ
Qui primus mala dona dedit, &c.

Voluit ſignificare, quod illud ſpeculum fuiſſet paſtori, id eſt, nouo aulico malum donum. Sic nouitijs aulicis ſpeculum illud aulicum, id eſt, admiratio pro-

priæ suæ sapientiæ, doctrinæ ac aliarum dotum, est exitiosum donum.

Episcopus Saltzburgensis, Lanio dictus, interrogauit Hispanum quendam in aula Imperatoris Maximiliani, inquiens: Domine quomodo placet tibi administratio & constitutio aulæ nostri Imperatoris? ille respondit: Quantum animaduerto, certè sunt præcipui uiri, per quos administrantur negocia Reipublicæ: Sed inter illos uix sunt quinq; aut octo, qui promouent negocia: cæteri omnes tantum impediunt.

In aulis maximus est labor Cancellariæ, sicut dixit dux Saxoniæ Fridericus: Cancellariam esse cor Principis.

Aulici versus.

Non mihi sit seruus medicus, propheta, sacerdos.

Non mihi sit seruus medicus: id est, non uolo talem habere, qui moderatam uictus rationem præscribat, aut temperantiam ac sobrietatem præcipiat: sed uolo comedere cibos, & bibere potus, quibus delector. Deinde, non sit mihi seruus propheta: id est, talis consiliarius, qui me in periculosis casibus adhortetur. Vltimò, non uolo ut mihi seruiat sacerdos: id est, qui ex uerbo Dei mea peccata arguat, & indicet mihi quòd contra uerbum Dei uiuo.

Alius.

Da, capias, quæras, plurima, pauca, nihil.

Id est, da plurima, capias pauca, quæras nihil: id est, non scisciteris.

Aulicæ beneuolentiæ rarò durabiles, iuxta uersum Ouidij:

Omnia

Omnia vertuntur, certè vertuntur amores.

Huic respondent Germanica prouerbia:

Lieber Rittel reiß nicht/
Herren Dienst erbet nicht.

Quidam bonus uir, amicus noster, ex aula scripsit ad nos.

O me caula prius, quàm nutriet aula Poëtam

Archelaus ad Euripidem.

Σὺ μὲν ἄξιος λαβεῖν, σὺ δ' ἄξιος αἰτεῖν.

Fertur Germanico prouerbio: Lang zu hoff/ lang zu hell. Id sic sapientes interpretantur: multum est miseriarum, dolorum & anxietatum in hac uita, ac præcipuè in aulis & gubernatione.

Demades, cùm ei obijceretur inconstantia in Republica, respondit: Nunquam uobis contraria, mihi sæpè contraria dixi. Est sapiens responsum: uoluit enim dicere: Quandoquidem tempora mutantur in Republica, fieri non potest ut idem semper dicamus, sed idem semper spectemus.

Iurisconsultorum dictum de donis: Neq; omnia sunt accipienda, neq; semper, neq; ab omnibus. Citatur in digestis Græce: οὐδὲ πάντα, οὐδὲ πάντοτε, οὐδὲ παρὰ πάντων. Certè multum refert in aulis, intelligere, quid accipere, quid petere liceat, multo minus omnia omni tempore, & ab omnibus petenda.

Dux Saxoniæ Fridericus princeps sapientißimus fuit, curam administrationis solus habuit, nec omnia quæstoribus & curatoribus commisit, sed dixit: Quam diu ego uixero, ipse in mea ditione uolo esse quæstor.

& procurator. Quod ut commodius exequeretur, solitus est, quotiescunq; apud aliquem suorum procuratorum diuertisset, statim suam symbolam soluere, ne postea in ratione reddenda ulla fraude uti possent.

Aristophanes lepida antonomasia lusit in quæstores, quod etiam Plutarchus citat, ταμίαι λαμίαι, id est, quæstores bubones. Allusit ad nomen simile (sicuti appellarunt Tyberium, Biberium: & Erasmus Eccium nominauit Ieccium) iuxta prouerbium Germanicum. Es ist kein emptlein so klein/es ist henckens werdt.

Quando Solon iuit ad Crœsum, dicitur interrogasse Aesopum, qui tunc fuit apud Crœsum, quomodo deberet loqui cum rege? Respondit ei Aesopus: Aut quàm minima, aut quàm dulcißima.

Salsè & acutè dictum est à Cancellario ducis Vuirtenbergensis Georgio Lamprecht (qui postea factus est Consiliarius Imperatoris Caroli V. cum cuius filio mihi fuit dulcis familiaritas) Oportere quemlibet principem habere fatuum, quem ipse exerceat: & uicißim alium, à quo ipse exerceatur.

Quidam prudens uir ex equestri familia, in aula Vuirtenbergensi, agnatus Ducis, habebat canem ipsum comitantem usque ad consilium: qui aliquando malè acceptus à moloßis arcis, memor istius iniuriæ, postea Dominum abeuntem in arcem comitatus est usque ad aditum arcis, & deinde domum recurrit. At nobilis ille: Canis meus me multo prudentior est, inquit: nam cùm semel malè mulctatus sit in aula, non uult redire

redire eò. Ego qui toties plagas accepi ibi, tamen illuc indies redeo.

Negocia proposita sunt perficienda.

Qui binos lepores una sectabitur hora,
Vno quandoq;, quandoq; carebit vtroq;.

Aulicum dictum est, admonens quod negocia instituta sint urgenda, & non differenda seu distrahenda. Detur uitio gubernatoribus, qui instituta negocia non perficiunt, & motis rebus incipiunt nouas.

Consilium Imperio Romano vtile.

Antequam uentum est ad solennem electionem Caroli V. Imperatoris, omnes Electores iurauerunt se non processuros ad electionem solennem, priusquàm omnes consensissent in unum. Et fuit hoc ducis Saxoniæ Friderici consilium (quia illa magna difficultate agebantur) & priusquam irent ad ultimam suffragationem, singuli darent literas sui suffragij. Ita facta est concors electio Caroli V.

Dux Palatinus in conuentu Francofordiensi, de Imperatore Carolo V, dixit: Ah, illustres domini, cauete uobis ab hac aquila, quæ cùm semel mihi tantum uolauerit in culmam, ad hoc usq; tempus nunqum damnum resarcire potui, ita ut nunquam eius obliuiscar.

Cùm essent deliberationes de eligendo Imperatore, & quidam illam summam Imperij gubernationem deferrent ad ducem Fridericum, Dux Fridericus honestißimè se excusauit: ac cùm pleraq; alia, tum ætatem non utilem esse imperio affirmauit. Nam paulo

poſt alium eligendum eſſe, & crebras illas mutationes multa afferre incommoda imperio.

Ariſtoteles proponit præceptum Poëtæ, *tuendum his qui populo concionantur in ciuitatibus* μή μοι τὰ κρότητα λέγε, ἀλλ' ὧν πόλει δεῖ. *Non mihi plauſibilia dicas, ſed quibus eſt opus ciuitati.*

Demoſthenes *grauis orator, cùm* Philippus Macedo *ea conditione cum* Athenienſibus *fœdus facturus eſſet, ut illi oratores ſibi dederent, qui perpetuis concionibus animos ciuium aduerſus ſe exacerbarent: iniquiſsimam reipublicæ conditionem feſtiuo quodam apologo diſſuaſit, quanquam ab ea non ita multum plebs diutino bello uexata abhorreret:* Nam *cùm docere uellet, in hoc poſtulari oratores, ut urbs deſtitueretur oratorum præſidio: mira luce & perſpicuitate* Macedonis *conſilium ante oculos multitudinis poſuit, hoc commento:* Lupos *quondam cum paſtoribus eſſe pactos, nihil ſe poſthac hoſtile caulis illaturos eſſe, ſi ſibi canes dederentur: placuit ſtultis paſtoribus conditio, canesq; dediti ſunt.* Proinde *cùm lupi uiderent excubias caularum ſublatas eſſe, liberè graſſari in gregem cœpêre.* Hac *fabula docuit, quanti referret* Reipublicæ *ſeruare* Oratores. *Tantiſper enim dum hoc conſilium ualuit, ſeruata eſt* Reſpublica.

Noſter Imperator Carolus Quintus *non ſubſcribebat, niſi prius negocium cognoſceret.* Quareſi *quando uehementer ægrotaret, iubebat differri ſubſcriptiones.* Rogauerunt *eum aliquando decumbentem conſiliarij, ut pateretur alium ſubſcribere, qui poſſet eius*

manum

manum effingere. Respondit: Non assuefaciatis ad illud quenquam, ego ipse subscribam.

Contrarium exemplum huic est Imperatoris Arcadij, qui nimis leuis fuit in subscribendo. Hanc leuitatem animaduertens soror Arcadij, scripsit literas nomine alicuius serui, ut daret sororem seruo. Imperator non legens literas, sub scripsit statim. Postea uerò uenit soror, & expostulat cum eo, quod eam dare uellet illi nebuloni. Respondit Imperator: Nequaquam. At illa comuicit ipsum sua manu. Ita hortata est eum, ut uitaret illam leuitatem in subscribendo & largiendo, non perlectis prius literis.

Anni sunt circiter septuaginta, aut octoginta quando duo potentißimi reges rex Matthias Hungaricus, & Casimirus rex Polonicus, certauerunt de Silesia ambo uolentes ad se pertrahere Silesiam, & similiter Bohemiam, si bellum proceßisset. Ibi Electores & principes Germaniæ, in primis Ernestus Elector, auus Ioannis Friderici Electoris nuper mortui, & Ioannes Marchio, iam uiuentis Marchionis & Electoris Ioachimi proauus, uidentes illos motus, præterea uicinitatem tam potentum regum fore toti Germaniæ perniciosam, collegerunt exercitum sexcentorum equitum, adiunctis aliorum Principum copijs, & obuiam ueniunt illis duobus regibus Vratislauiæ. Rex Hungariæ urbem Vratislauiam iam occupauerat, & rex Polonicus extra urbem sua castra locauerat. Ita res erat disposita, ut utrorumq; regum potentia Germaniæ esset metuenda, quoquo modo res procederet

Venerunt igitur Principes, & proposuerunt illis duobus potentißimis regibus pacis conditiones, ita ut se promitterent adiuturos esse illum, qui has conditiones pacis reciperet: & contra illum dimicaturos, qui eas recipere nollet. Casimirus igitur rex Polonicus, qui erat pacis cupidißimus, & alioqui placidus, eas conditiones recipit. Matthias uerò paulò inquietior, tardius conditionibus à principibus propositis assentitur. Ibi causam illam Marchio Ioannes Elector, sapiens & eloquens princeps, aliquot horas dixit, inspectantibus & audientibus illis tribus exercitibus, tanta eloquentia, ut iudicatum sit à sapientibus, nullius fuisse tantam eloquentiam, qui coram tot regibus & principibus potuisset illam causam explicare. Ita tali coniunctione & concordia Principum pacata est Germania, & uterq; rex discesßit. Hæc narratio nusquam est in ueteribus historiographis scripta, sed tantum audita ex Io. Electore, & duce Saxoniæ, patre Friderici, qui unà cum parente Ernesto in illa expeditione fuit.

Recitabo uobis narrationem cuiusdam doctoris Tubingensis, uiri præstantis. Hic in legatione quadam cum alijs duobus fuit, quorum unus eques auratus, alter senex miles eques erat (mihi benè notus) nomine Speter. In itinere autem eques ille auratus cœpit disputare de mutando decreto commisso, & utile esse aliquando decreta mutare de graui consilio. Doctor dixit: ego cogitabam. Ille prior dixit: Iam tuum erit etiam aliquid addere, ut semper primæ partes in consilijs principum, sunt equitum auratorum) & contrariam

riam ſententiam cœpit defendere: & quædam etiam confirmauit, pro ut potuit. Cùm autem uentum eſſet ad tertium, ſenem illum equitem, hic dixit: O Domini, audiui uos diſputantes diu de commiſſo decreto noſtri Principis. Noſter Princeps habet in ſua aula tres gradus conſiliariorum. Primus eſt Cancellarij, qui erat homo magnæ authoritatis, doctus: & iam ſenex, Lamprecht uocabatur. Secundus eſt eorum, quos nominant die Landſchreiber, quorum non eſt ita magna authoritas. Poſtremus eſt conſiliariorum, in quo nos ſumus. Hi omnes re bene deliberata, & approbante quoque principe nobis hanc legationem demandarunt. Quare eam exequamur, nec quicquam immutemus. Sic illi acquieuerunt illius ſententiæ.

Pontanus ſcribit de duobus regibus, quorum diuerſa fuit conſuetudo, de rege Ferdinando, & filio eius Alfonſo. Pater Ferdinandus conſueuit legatis dicere: Mando uobis, ut hoc negocium rectè adminiſtretis: & do uobis poteſtatem mutandi decreti, ſicut uidebitur.

Filius Alfonſus, forſan uidens aliquid ineſſe huic rei incommodi, contrarium ſeruauit, & res deliberatas committens legatis dixit: Mando uobis hoc negocium, & prohibeo ne quicquã in hoc decreto mutetis.

Dominus de Breitenbach, conſiliarius Ducis Georgij, cùm eſſet in legatione commiſſa ſibi à Principe, uidensq́; quædam malè deliberata, ac melius conſilium inueniret: relicto facto decreto, rem ſuo arbitratu geßit. Poſtquam autem rediret ad ducem Georgium, & narraret ei quomodo expediuiſſet negocium, & decre-

decretum mutaſſet: Princeps diu ſtetit tacitus, torno uultu illum intuens, & tandem dixit: Domine Doctor rectè effeciſti negocium, ſed non ſicut erat imperatum, Vide, ne poſthac idem facias.

Palatinus Victorioſus dictus, qui ante annos ſexaginta uixit, uenit aliquando in Senatum ſuum, quem habebat electum ex optima & florentiſsima nobilitate & proponit, ſe moturum bellum contra Epiſcopum Moguntinum: & petere, ut ipſi de modo copiarum equeſtrium & pedeſtrium ac commeatu deliberarent. Conſiliarij reſpondent: Rem eſſe magnam, de qua conſilium peteret, & orant, ut ipſis tempus deliberandi concedat Princeps, concedit eis octiduum ad colloquendum inter ſe, & conferendum de illo negocio. Elapſo uerò octiduo, redeunt ad principem, & maximus natu, uel qui primas inter eos tenebat, diſſuadet bellum Principi longa, & quidem graui oratione. Quem princeps placidè audit: & quærit deinde, quæ ſit aliorum ſententia? At ille qui aliorum nomine iam dixerat, reſpondit eandem omnium eſſe ſententiam: & ſibi commiſſum eſſe, ut omnium nomine loqueretur. Ibi ſubiratus Princeps dixit, Se etiamſi nouerit eorum uoluntates, & ſciat ipſos ea bono animo dicere, tamen hoc non quæſiuiſſe ex eis an eſſet mouendum bellum, ſed quomodo eſſet gerendum: & ſe ea quæſtione nolle onerare eorum conſcientias, ſibi enim commiſſum eſſe, ut inferat bellum, uel non: & ſuum maximum periculum eſſe, ſi motum fuerit, ipſos, ſi ex territorio ſuo expellerentur, poſſe inuenire alium dominum: ſe

uerò,

uerò, ſi ſemel expelleretur ex ſuo territorio, non poſſe inuenire aliud territorium. Hæc ab homine ſapiente, & graui, ſapiens uox eſt. Multa autem ille optimus princeps præclarè & feliciter geßit.

Noſter Imperator Carolus Quintus ultra quatuor aut quinque non uocat ad conſilium, quorum quemq; iubet ſuam ſententiam dicere. Poſtea animaduertit quæ ſint præcipuæ, & de una ac altera ſententia diſputat: & non ſtatim concludit, ſed differt in aliud tempus. Poſtea (inquiens) plura colloquemur de hoc negocio.

Audiui Pontificem Paulum Tertium, ſapientem uirum, cùm haberet conſilia cùm cardinalibus, interrogaſſe primùm iuniores Cardinales, qui hac de cauſa ſemper inſtructiores acceſſerunt, quàm aliâs fieret. Illos cùm audiuiſſet, poſtea audiuit Senenſem Cardinalem Genutium, & cum illo diſputauit: Imo, inquiens, probo meam ſententiam propter hanc & hanc cauſam. Sederunt cæteri Cardinales audientes illorum duorum præſtantium uirorum cum magna admiratione conſilia & diſputationes.

Norinbergenſes habent Senatum Iuriſconſultorum, & antè quàm quæſtionem proferunt, audiunt prius Iuriſconſultos: & ſi eſt eccleſiaſtica controuerſia, tunc audiunt prius Theologos. Principes Saxoniæ habent admodum pulchrum iudicium, ubi ſedent nobiles & doctores.

Ebnerus ſenator Norimbergenſis, uir admodum bonus, cùm hærere uideret conſilia ob difficultatem guber-

gubernationis, dicebat: Ich heiß Ebner / aber ich kan nicht alles eben machen/*iuxta prouerbium:* Non semper feriet, quodcunq; minabitur arcus. *Non enim semper euentus respondet consilijs.*

DE LEGIBVS, IVRE, & consuetudinibus.

In Gallia est talis consuetudo, ut bona feudalia, quæ sunt regis, non transferantur ad hæredes: patre mortuo non succedit filius, sed feudum ex arbitrio regis transfertur ad alium. Credo Constantinum hunc morem introduxisse, ut feuda in familijs conseruarentur, ut ea re sibi deuinciret milites fortes. Constantinus mirabiles mutationes fecit in Imperio, mutauit religiones, &c. Item hunc morem de feudis instituit, quod fuit sapiens consilium, & diuinum opus. In Turcia etiam expelluntur ex bonis feudalibus hæredes, & alij substituuntur: ut si qui uasalli etiam in acie occumbant (sicut solent etiam in uno prælio aliquot centum militum occidi) tunc eorum liberi & coniuges eijciuntur ex bonis feudalibus & alij in illorũ bona substituuntur.

Disputatio de summo iure præbet occasionem maioribus tumultibus: non enim possunt omnia in integrũ restitui. Vt cùm summa imperia semel corruunt, tunc nunquam restituuntur in pristinum statum: ut si quis currum ouorum prosternat, non potest omnia oua sine damno recolligere. Domini autem, qui semel in possessionem uenerunt, postea non facilè adducuntur, ut ciuitatum aliarumue ditionum dominia alijs cedant.

An

An legum mutationes prosint.

Non ad ciuitatum ocium, & concordiam stabiliendam quicquam perinde conducit, atq; ueterum legum morumq; conseruatio, quòd cum urbium exempla passim testantur, tum monet aureus ueteris Poëtæ uersiculus.

Moribus antiquis res stat Romana, virisq;.

Turcorum iudicia.

Turci non exercent legitima iudicia iuxta leges. In Vngaria Budæ dicitur esse tanta barbaries, ut liceat quemlibet appellare de debito, reum etiam absq; causa & legitimo iudicij processu coram iudice sistere. Ille negat, alter affirmat. Accusator conducit falsos testes qui affirment sic esse. Sic solummodo ex relatione falsorum testium causæ dirimuntur, non consideratis ullis alijs circumstantijs, ut omnino innocentes debita soluant.

Leges mutantis pœna.

Solonem refert Demosthenes, cùm reum ageret quendam perniciosæ legis authorem, dixisse: Cùm capitale sit numisma adulterinum, morte etiam mulctandos esse eos qui leges uitiant: propterea quòd ut in priuatis commercijs ac contractibus numismate utimur, ita in publicis commercijs & negocijs leges sint numismatis uice.

De legum conditoribus commentum.

Legum authores omnes ueteres, quo plus authoritatis suis legibus adderent, Deorum oraculis probatas asseuerabant. Minos fingebatur nouem annorum

spacio

spacio Iouis usus familiari consuetudine, ab eoq; constituendæ Reipublicæ rationem didicisse Lycurgum ferunt, & ab Apolline Deum appellatum esse, & sua edicta ῥήτρας uocasse, quòd oracula uideri uellet. Numam aiunt cum Aegeria nocturnos habuisse congressus. Fingebantur hæc, ut cum diuino iudicio approbatæ leges uiderentur, pluris fierent.

Legum finis.

Plato dicit: Hypothesis nostrarum legum est, ut ciues fiant honesti, & inter se amici. Est satis pulchrum dictum. Sed nos habemus simplicius dictum: Primum quærite regnum Dei, & cætera adijcientur uobis.

Quàm diu legum reuerentia maneat.

Sicut Athenis leges uiguerunt, Solone gubernante: sic Romæ legum reuerentia mansit, donec Augustus uixit. Sed utroq; loco breui post oppreßi sunt ciues tyrannide, & leges conticuerunt. Nam Athenis, Solone etiam adhuc uiuo, Pisistratus rapuit dominationem. Sic post Augustum, mox tyranni aliquot perquàm crudeliter grassati sunt in Rempublicam. Hæc exempla sæpè mouent magnos homines, ut aut nullum, aut exiguum esse usum legum arbitrentur, qui quidem dictum illud Ciceronis in ore habent: Inter arma silent leges. Marius dixit, se legum uocem inter claßica et tubarum sonos non audiuisse. Et Nazianzenus de Iuliano inquit: Voluntatem principis esse, ius non scriptum.

Leges optimæ quæ?

Cicero, cùm de optimo ciuitatis statu disputat, non

alias niſi Romanas leges fert, easq; naturæ maximè omnium conſentaneas eſſe cenſet.

Difficilis fuit diſputatio ante annos aliquot, utrum liceat litigare in foro? Erat hîc bonus homo Angelus, qui non tantum propter hunc articulum, ſed etiam propter alios, in Anglia erat coniectus in carcerem, ac diſputabat mecum hac de re acerrimè.

An legis vſus ſit abſq; executione.

Doctor Henningus, qui fuit apud ducem Saxoniæ Fridericum, dicere ſolebat: Lex ſine executione eſt ſicut campana ſine clipulo ſeu piſtillo.

Nouas leges ferentis pœna.

Locris lex erat, ut ſi quis contra receptas leges rogationem faceret, is eam inſerto in laqueum collo ferret, quæ ſi uidebatur è Republica eſſe, ſaluus euadebat autor: ubi autem oratio diſplicuiſſet auditoribus, conſtricto laqueo ſtrangulabatur.

An leges ſibi contrariæ ſint.

Quidam in Italia magni nominis profeſſor ſcripſit, leges eſſe uarias ſeu contrarias, quia uoluntates hominum ſunt uariæ. Eſt inſulſum dictum: quia in legibus multæ ſunt demonſtrationes, quæ naſcuntur ex decalogo, id eſt, lege naturæ: etiamſi non omnia ſunt demonſtrabilia.

Politianus.

Inuentum Actæi dicuntur iura Draconis:
Vera eſt fama nimis, nil niſi virtus habent.

Hoc non eſt uerum, quòd Draco dicitur inueniſſe leges. Quia leges Athenis fuerunt promulgatæ an-

te Draconem: sed curia una, quales multæ fuerunt Athenis, fuit insignita pictura Draconis, ad terrendos homines, ne se polluerent sceleribus. Hinc Politianus motus esse uidetur, quòd scripserit: Inuentum actæi dicuntur iura Draconis. Sed hoc uerum est, quòd Draconis leges fuerint seueriores: sicut in uniuersum leges antiquæ fuerunt seuerißimæ. Deinde uerò senectus mundi quasdam leges propter humanarum uirium imbecillitatem mitigauit.

Regimen Norinbergense à quo constitutum.

Audiui regimen Norimbergense temperatum esse per hominem Frisium, quem habuerunt in consilio: & in ijsdem legibus stat adhuc ciuitas, Dei beneficio.

VRBANAE QVORVNDAM negociorum illusiones.

In comitijs quibusdam, cùm legati Iuliacensis principis in causa sui Ducis ferè ab omnibus principibus impetrassent, ut omnes eo tempore comparerent: Imperator Carolus V. quoq; eos auditum ueniens, salsissimè ipsos taxauit: Ecce, inquit, sæpißimè grauißimas res proposui de religione, de defensione Imperij contra Turcos, & conseruatione communis Imperij status, & nunquam tantam uestrûm frequentiam impetrare potui. Iam uerò cùm unica causa contra me allata sit, omnes conuenitis. Sic ex consessu ipsorum se abduxit, ipsos in consessu relinquens.

Dissensione orta inter Hispanos & Germanos, ignoro qua de causa, quidam Hispani adeunt Imperatorem

torem Carolum Quintum, à quo inſolenter petunt, ut omnes Germanos ex aula dimittat. Imperator miratus eorum ſtultam & inſolentem petitionem: Benè, inquit, ſiquidem non poteſtis eos ferre, curabo ut liberemini ab illa moleſtia. Conſtituit eis certum diem quo iubet ad ſe accedere omnes Germanos in unum locum. Optimi conterranei, inquit, mei Hiſpani petiuerunt, ut uos omnes ex mea aula dimitterem, quia etiam ſum Germanus. Venite igitur abeamus, ne ſimus illis moleſti, & conſcenſo equo, præcedit eos: illi læti, clamantes ſequuntur. Cùm hæc ſic Hiſpani agi uiderent, accurrunt, & ad pedes Imperatoris ſe deijciunt, retinentes equi frenum: orantesq́; propter Deum, ne ſtultam & inſolentem petitionem ægrè ferat. Et ſic dirempta eſt contentio.

Cum Heinrico Lutzelburgenſi aliquando equitarunt duo Iuriſconſulti, diſputantes de quadam arce non procul à Bononia, quorum unus defendit eſſe Imperatoris, adducens generalem propoſitionem: Omnia eſſe Imperatoris, alter uerò econtrà, unumquemq; ſuarum facultatum eſſe dominum contendebat. Tandem de hac lite conſtituerunt Heinricum Lutzelburgenſem iudicem. Certatum eſt, ita ut uictus ſolueret equum uictori. Cùm uentum eſſet in urbem Bononiam, Imperator conuocatis aliquot, iuſsit ferre ſententiam pro eo qui dixerat, omnia eſſe Imperatoris. Hinc homines docti facetè ſic luſerunt. Alter reſpondit equum, ſed alter habuit equum. Significatū eſt eo ioco

quòd dicentes æquum improbent propositionem: omnia esse Imperatoris.

Quidam Doctor Tubingensis, adeò doctus, ut alij Iurisconsulti ad eum causas deferrent, quando audiebat leges flecti ad commoda potentum, aut uidit legem latam esse in commodum eius qui tulit eam, sicut in Decretalibus sæpé fecerunt: solebat dicere, Das ist des Schultheßen ku: addendo fabulam. In pago quodam læserat uacca prætoris uaccam alterius rustici: qui accedens prætorem, primùm in genere quærit de iure, Si alicuius uacca ab alterius læsa sit, quid iuris? Prætor respondit: quòd debeat soluere, quantum interest. Rusticus deinde addit Minorem: Tua uacca læsit meam. Tunc ille respondit: Das ist des Schultheßen ku, damit ist ein anders: id est, Verùm hæc est prætoris uacca, de qua aliter ius interpretandum est.

Venit Athenas Demetrius, regum suæ ætatis florentißimus, Antigoni filius, ut Eleusinijs initiaretur. Venit autem eo mense, quo fieri Eleusinia non licebat: quibus attributi erant menses duo, Nouember & Augustus. Vt igitur regi mos gereretur, nec tamen sacra pollui uiderentur, inuenta est bella ratio, ac lex lata est, ut mensium nomina mutarentur.

Heydelberge quidam legatus habiturus orationem in Cancellaria Palatini, cùm ipsa matrona soror Friderici Victoriosi eum audiret (sicut erat mangnifica matrona) stans ipsa cum gynæcio ex altera parte: ipse perterrefactus initio orationis suæ, ex terrore edidit

crepitum

crepitum. Virgines hoc audito, incipiebant ridere. Ille uerò ut factum diſsimularet, & pudorem abſtergeret, dixit: Domina, celſitudo tua curet, ut circumeat per circulum (ſicut illos aulicos oportet habere multa in promptu) poſtquam ordo ad me redierit, ego quoq; non prætermittam ea, quæ mei officij erunt. Et ſic poſtea pertexuit orationem ſuam. Hæc fuit iocoſa eluſio.

Tubingæ quidam præfectus, uir acer, ſolebat eos qui leuioribus de cauſis afferebant querelas iniuriarum, in carcerem conijcere, donec illis primus impetus iræ deferbuiſſet, ne affectus admiſcerentur ſuis cauſis. Qua ſeueritate effecit, ut paucæ apud eum lites agitarentur, ſed ciues potius ſponte inuicem controuerſias componerent.

Noſter Imperator Carolus V. eſt expertus multorum negociorum: nemo in aula ipſius ſimplicius ueſtiri ſolitus eſt, quàm ipſe. Patientiſsimè conſueuit omnes audire, & ſingulis manſuetiſsimè reſpondere. Potuit etiam ſignificare offenſionem animi ſui in audiendo. Marchio Albertus epiſcopus Moguntinus petiuerat ab eodem noſtro Imperatore, ut audiret unum ex conſiliarijs, ex aula ab ipſo dimiſſum. Venit itaq; conſiliarius conſtituta die, dixitq; ſuam cauſam integras duas horas. Elapſis tandem duabus horis, Imperator dixit: Vis aliquid amplius? Ille reſpondit: Nihil, niſi quòd expectem T. C. M. reſponſum. At Imperator: Non promiſi, quòd tibi reſpondere, ſed quòd tantum te audire uelim, ſicq; ab ipſo dimiſſus eſt.

Narratur dictum Alexandri Imperatoris: Fumo

pereat, qui fumos uendidit. Dicitur autem fumi uenditor, qui uana ſpe lactat homines, & promittendo auxilium, pecuniam aut alia beneficia extorquet: interim clàm eos prodit, & malignè deſert. Talem impoſtorem idem Imperator fumo combußit.

DE TYRANNIS.

Lucanus nominat Alexandrum prædonem, ſic inquiens: Hîc iacet felix terrarum prædo.

Non rectè dicit, quamuis poëtica licentia eſt conceſſa. Nam quando adoleſcentes legunt non præmoniti, multum errant, detrahentes politico ordini dignitatem.

Deſcriptio tyranni, à Catullo.

—Tantum tibi gaudium in omni,
In quo aliquid ſceleris eſt.—

Eſt terribilis deſcriptio tyranni.

Ad generum Cereris ſine cæde & uulnere pauci
Deſcendunt reges, & ſicca morte tyranni.

Poëta ex naturali luce, ipſa experientia edoctus, hoc uerſus expreßit, pulcherrimè conuenientes cum dicto Chriſti: Qui gladium acceperit, gladio peribit.

Serpens niſi deuorauerit alterum ſerpentem, nunquam fit draco. ὄφις ἂν μὴ ὄφεις φάγοι, οὐ μὴ γενήσεται δράκων. Aeſchines uoluit tollere Demoſthenem: ita Romæ multi uolebant ſublatum Ciceronem, & utebantur inſtrumento Clodio, qui erat factioſus.

Tyranni apud Senecam deſcriptio.

Fides, pietas priuata, bona ſunt: Reges, quo uolunt

ſunt, eant. Intellige reges non eſſe alligatos ad leges, ſed omnia impunè eis licere.

Seneca.

Iniuſtus eſt, qui depoſitis armis mentem armatam retinet. Ariſtoteles: Vicioſa democratia eſt ἐσχάτη τυραννίς.

Philippus, poſtremus rex Macedonicus, cœpit filios & filias omnium à ſe interfectorum, & poſtea interfecit eos. Id mouit Theoxinam Theſſalicam matronam, ut præberet uenenum filijs, & filiabus, ne uenirent in manus tyranni.

Deſtructio Sydonis & Tyri.

Ochus rex Perſicus deſtruxit Sydonem: quanquam apparet ex Prophetis, quòd iſtæ duæ urbes Tyrus & Sydon antea ſint oppugnatæ & captæ à regibus Syriacis: tam magna deſtructio ſecuta eſt per Ochum, qui ante Darium fuit ſæuus tyrannus, interfecit multitudinem triginta millium hominum. Alexander ſex menſibus Tyrum oppugnauit, cuius incolæ quamuis mirabilibus modis ſe defenderint in mari, tamen eam tandem cœpit & deſtruxit.

Herodis tyrannis.

Herodes triginta annos geſſerat bellum, cùm naſceretur Iohannes Baptiſta, & interfecerat florem huius populi. Illam lanienam uiderant parentes Iohannis Baptiſtæ.

Vrit maturè, quod vult vrtica manere.

Scribitur de Lacedemonijs, quòd interfecerint

filium regis puerum, cùm uidiſſent eum effodere oculos auiculis. Hinc enim Lacedæmones iudicauerunt naturam fore tyrannicam: & ſi regnaturus eſſet, futurum eſſe crudelem in ciues.

Rabies oratorum.

Demades dixit, oratores eſſe alijs hominibus ſerpentes, ſibi inuicem uiperas: id eſt, oratores necant alios homines, à quibus non necantur: ſed ipſi ſe mutuò interficiunt. Sic ipſe Demades fecit decretum contra Demoſthenem, & ſororis Demoſthenis filius fecit decretum ut Demades pelleretur. Antipater pater Caſſandri poſtulauit ſibi dari Demoſthenem, ut interficeretur. Demades interfectus à filio Antipatri, ſcribente decretum alio oratore, Demoſthenis (ut iam dictum eſt) ex ſorore nepote.

Fœna tyranno digna.

Alexandrum Phereum ſua coniunx cum fratribus interfecit: qui cùm inſueret homines in pellibus luporum, & adigeret canes, ut ipſos lacerarent: tamen tanta fuit eius uigilantia, ut ciues non potuerint conuenire ad capienda conſilia de eo interficiendo. Pernoctauit ſemper in turri, & uigiles neminem niſi coniugem ad ipſum admiſerunt, hæc autem de die ſuos fratres in turri abſcondit: & noctu, cùm ille iam dormiret, uocauit fratres ut ipſum interficerent. Qui cùm primò perterrefacti hærerent, ibi ipſa inquit: Niſi ipſum occideritis, excitabo eum ut uos occidat. His uerbis moniti, ipſum ſtrangularunt. Dux quidam etiam talia faciens, eſt perfoſſus.

Pictura

Pictura tyranni.

Demoſthenes pingit Ariſtogitonem circumeuntem in foro, & uibrantem ſpiculum ceu ſcorpium, exerentem caudam inſidiari ciuibus, & circumſpectare quem feriat, & aliqua calumnia opprimat. Deinde qui cum nullo ciue ullius officij ſocietatem habeat, ſed cum illis uiuat, quos apud inferos aiunt aßidere, impijs uidelicet cum inuidia Furijs, & alijs peſtibus.

Regni Cyclopici pictura.

Vlyſſes interrogat, quale regnum eſſet Cyclopum? reſpondit Silenus: νομάδες, ἀκούει οὐδ' εἷς οὐδ' ἑνός: *id eſt, uagabundi, ubi nullus alium audit. Sicut in quodam regno accidit controuerſia, ubi quidam non uoluerunt habere Superintendentes, allegantes textum: Sitis ſicut pueri, unde conſequi putarunt, omnes debere eſſe pares.*

Phocæ tyranni pœna.

Phocas interfectus eſt ita, ut detruncata ſint ei brachia & pedes, & ſic iacuit diu, ut duriter excruciaretur, nec citò mori poſſet, Ita Deus ſeruat talionem.

Piſonis tyrannicum factum, eiuſdemq́; tragica mors.

Seneca ſcribit de Piſone tyranno Hiſpanico, quod interfecerit trecentos ſubditos, poſteaq́; inceſſerit per cadauera, dicens hoc regium eſſe. Sic Piſo poſtea ſibi conſciuit mortem. Cùm eſſet accuſatus coram Tyberio, dixit, ſe, quæ feciſſet, feciſſe iuſſu Tiberij, quem ad hoc libellum ſcripſiſſe finxit: cui libello incumbens, mortem ſibi conſciuit.

Præmia societatis tyrannorum.

Aratus præstantißimus princeps, fuit familiaris Philippo Macedonico posteriori: qui postea dedit ipsi uenenum, quod paulatim eum extinxit. Ille uerò cùm manè uomuisset, uidens uomitus sicut uenenum, dixit: ταῦτα τῆς φιλίας τίμια τυραννικῆς: *id est, hæc sunt præmia amicitiæ tyrannicæ.*

Tyrannis & calamitas in Turcico regno.

Narrauit Dominus Pflug, se audiuisse ex legatis Austriacis, qui cùm essent excepti hospitio ab Imbre Bascha, quem Solymannus interfecit, & colloquerentur de forma Imperij, interrogauit Imbre Bascha, an homines in Romano imperio haberent proprias facultates? Legati dixerunt: Reges nostros habere sua certa dominia, & reliquos subditos nobiles: & magnates pleno dominio poßidere suas facultates, & alia in quibus haberent dominium utile, ut feudalia: & non licere dominis eripere, quæ uelint. Sedit Imbre Bascha cogitabundus, tandem sustulit oculos: Ego, inquit, quotannis recipio nomine Domini mei sex tonnas auri, unde oportet numerare stipendia: sed quando morior, non scio an obulus sit peruenturus ad meos hæredes. Tale est regnum Turcicum: est tyrannis & barbaries.

Vindicta tyrannica.

Dux quidam proprium suum fratrem necauit fame, impositum cancellis ad arduam domum: qui die tandem nono fuit mortuus, in maximis uociferationi-

bus,

bus, audiente populo. Hæc eſt uindicta tyrannica, ut Plutarchus ait: id eſt, propoſitio conceſſa, quod tyranno licet interficere patres, fratres & propinquos, quia diabolus iſtos regit.

Rudis eſt tyrannus, qui pœnam morte
exigit, ait ille in tragœdia.

Phocas prius interfecit filium & filiam. Deinde coniugem Maurici Imperatoris: deniq; interficit ipſum Mauricium.

Tyranni deterrimi, & Caligula filius boni
viri Germanici degener.

Nero, Caius, Caligula, & Heliogabalus, fuerunt deterrima monſtra in toto terrarum orbe, parricidijs, confuſione libidinum, & alijs peccatis infinitis contaminati, quæ omnia uix aliquis enarrare poſſet. Caliguli fuit optimi uiri Germanici filius. Quando Auguſtus adoptauit Tyberium, non uoluit eum adoptare, niſi hic prius adoptaſſet Germanicum, ad quem poſtea propter eximias eius uirtutes uoluit transferri Imperium. Hic Germanicus primò domuit Germaniam: cuius coniunx fuit Agrippina, ex qua filium genuit Caligulam, ad quem propter uirtutem patris peruenit Imperium, ſed poſtea adeò à paternis uirtutibus degenerauit, ac talis beſtia factus eſt, ut uoluerit eſſe Deus, & ſtatuam ſuam Romæ in templo iuxta Iouem Capitolinum collocauerit, tanquam Ioui aliquid ſuſurrantem in aurem, cui ſacerdotes ſacrificia offerre iuſsit.

Dionyſij tyrranica facta.

Dionyſius tyrannus obiurgauit filium ſuum, corrumpentem filias, & coniuges ciuium. At ille: *Tyranni filius non eſſem, niſi iſta facerem. Debuiſſet nebulonem laqueo ſtrangulaſſe. Sed pater nihil aliud reſpondit, niſi hoc: Iſta faciens, non habebis tyranni filios. Et ita accidit, ut in exilio poſtea moreretur. Fuit itaq; magna indulgentia patris, non cohercentis & ſeueris pœnis punientis filium.*

Cuidam ante paucos annos obuiam uenit ruſticus, geſtans pennas gallorum in pileo. Nobilis petit pennas. Ruſticus inquit: Mi frater ſi hoc officio tibi gratificari poſſum, libenter tibi tradam. Nobilis ebrius indignè ferens quod ipſum fratrem uocaſſet, emittit globum ex bombarda, & ſic ruſticum interficit. Tales ſæuas beſtias reddit ſuperbia & inſolentia, cum ſtulta perſuaſione opulentiæ. Cùm maxima uirtus, hoc eſt uera nobilitas ſit, humilitas, & conſeruatio proximi.

Tyrannorum conſultationes & familaritates, bonis perniciosæ.

Dionyſius cùm uellet ſtatuas in templum collocare, inquiſiuit qui eſſent optimi ſtatuarij: Reſpondit quidam, eos, qui feciſſent ſtatuas Tyrannicidarum Athenis, ſignificans, tyrannum eſſe tollendum. Sed fuit illi exitio ea uox.

Sylla ſolus ſæuitia feliciter regnauit.

Nemo unquam in Imperio quicquam effecit ſæuitia, præ-

tia, præter unum Syllam (quod est apud Appianum, & alioqui nullibi scriptum reperitur) qui etiam hominibus sæuis & barbaris imperauit, apud quos lenitate & mansuetudine nihil efficere potuit. Quare apud illos seuerior disciplina necessaria fuit. Hic dixit, se uidisse aliquando rusticum exercentem operas suas, quem cùm pediculi, quibus scatebat, morderent, coactus est exutis uestibus, & relicto labore, inquirere pediculos. Cùm uerò rursus accederet ad operas, cœperunt denuo, ut antea pediculi eum molestare, ita ut sæpius eum à labore abigerent. Tandem cùm nihil se proficere uideret, coniecit uestes in ignem, & combußit. Sic dixit se nulla ratione suos efferos populos cohercere posse, nisi summa asperitate uteretur.

Quidam ad Rhenum habitans omnes pauperes ad se uenientes, & eleemosynam petentes, concludebat in unam domunculam, quam deinde incendebat. Cunq; illi miseri homines alta uoce clamarent, dixit: Audite uocem murium. Verùm, diuina uindicta sic miraculose ordinante, Episcopus deinde à muribus est arrosus. Cùm autem non posset ingruentem ad se murium copiam arcere, curauit sibi ædificari turrim in medio Rheni. Facta hac turri, in eam migrauit: sed ne sic quidem pœnam diuinam effugere potuit, & mures transnatarunt Rhenum, & eum interfecerunt. Vestigia illius turris hodie, iter in illis locis facientibus, ostenduntur.

Ante paucos annos huc scribebatur, esse quendam

dam

dam, qui euulſione dentium pecuniam à ſuis miſeris ſubditis extorqueret. Capiebat enim eos, ac primò unū dentem euellebat, minitans, ni tantum pecuniæ darent, quantum poſtularet, ſe reliquos omnes dentes ipſis extracturum. Hoc planè eſt Barbaricum, Cyclopicum, & tyrannicum: hoc eſt concutere, & concuſſio ſeu extorſio, quæ fit per uim. Illi ſunt crudeles in ſuos, ſicut de Lacedæmonibus dictū eſt: Domi leones, foris uulpes. Sic iſti ἀϛρωλόφαϛοι. (ut ſeipſos nominant) in ſuos ſunt leones, id eſt, ſunt crudeles et in hoſtes ſunt timidi & fugaces. Nam Lacedæmonij uerè fuerunt genus hominū uulpinū, & lupinū: id eſt, ſæuū & aſtutū.

Quidam præſtans uir, uirtute, prudentia, & alijs uirtutibus ornatus, qui fuit in Cæſaris exercitu, quando obſeſſum fuit Tunethum, dixit uerſus occidentem eſſe miſerrimum hominum ſtatum, nullos ordines, nullas eccleſias, nulla ſtudia literarum, nullos ſenatus: ſed unum tantum eſſe in urbe qui habet ſua prædia, & omnia regit ſine legibus, ad nutum ſuum. Talis ſtatus in politijs, eſt tyrannis. Et cùm interrogarem de domeſtica uita, reſpondit, eſſe prorſus nauticam uitam: cibum capiunt in terra, non ſecus atq; ſues.

Ciuis Haganenſis nomine Schmaltz / miſſus legatus ad Turcam, affirmauit Turcicum Imperatorem quæſiuiſſe de Luthero, quot annorum eſſet? Cùm ei reſpondiſſet, eum eſſe annorum quinquaginta, ait ille: Vellem ipſum eſſe iuniorem, habiturus eſſet me beneficum dominum. Reſpondit Lutherus, ſigno crucis facto: Deus me tueatur à tali benefico Domino.

Narrant

Narrant Procopius & Aegesippus de Theodorico Rege Gothorum, quòd cùm interfecisset Boëtium, & eius generum Symmachum, uiros consulares, propter futilem suspicionem affectatæ libertatis, hanc cædem tantam mœsticiam esse secutam, ut inter paucos dies exanimaretur.

Quendam quidam suorum rusticorum à quo captus fuerat ceruus, uiuum insuit in corio cerui, ac in eundem immisit canes, ut eum lacerarent. Illud supplicium per se est maius iusto: præterea additur singularis species atrocitatis, qua delectatur, unde tamen nihil ei lucri accedit.

Tyrannicum factum, & eiusdem tyranni pœna.

Cùm mandasset rex Astyages, ut Harpalus capitaneus ipsius interficeret puerum Cyrum: resciscens ipsum fouisse eum, & clam abduci permisisse, interfecit capitanei filium, quem dedit patri comedendum, & postea filij caput, brachia, & quædam alia membra iubet proferri, & patri monstrari, dicens: Quomodo tibi ista placent? Respondit: Quicquid facit rex, illud mihi placet. Sed postea scripsit Cyro, ut istam iniuriam ulcisceretur: qui uenit, & tyrannum interfecit.

Tyrannis erga Ecclesiam.

Regi cuidã exhibuerunt quidam spectaculum. Cùm igitur uenirent in illud conclaue, in quo rex sedebat in conuiuio cum suis, & dicerent se exhibituros Comœdiam, & collocarent in medium tres arculas seu pixides, statim deinde effugerunt. Rex putat eos foris

cætera

cætera adornare, quibus opus erat in tali actione, aut uestes mutare. Et *cum longius differrent reditum (subduxerant autem sese, ne comprehensi pœnas darent) iubet rex aperire ordine arculas: in quarũ prima fuit imago Christi alligati columnæ, quæ cædebatur uirgis & flagris à rege. Significabant illo figmento Ecclesiam, & doctrinam ueram à rege crudeliter opprimi.* In *secunda arcula erat eques, qui agitabat equum conculcantem miseros homines. Significabant autem esse regnum tale, in quo opprimerentur pij homines, & pauperes, in quibus nulla ratio subditorum egentium & pauperum haberetur. Tertia arcula significabat œconomicum regimen regis: quia in ea sedebat rex in conuiuio sui gynæcij.*

EPIGRAMMA DE STATVA Danielis, à Ioanne Stigelio compositum.

Hæc quicunq; legis Danielis scripta Prophetæ,
Qui tibi de Christo nuncia uera canit:
Aspice Regnorum seriem, & titubantia fata,
Quæq; abijsse diu, quæq; futura docet.
Aspice decidua uix stantem mole Gigantem,
Quàm titubat fragili languidus ille pede.
Scilicet occiduo declinant omnia mundo,
Actaq; ad extremum fabula spectat opus.
O quicunq; cupis uenientem cernere Christum,
Iudicium expectans disce timere Dei.

Septem

Septem principes Electores, his versibus continentur: quorum priores ecclesiastici, cæteri verò Politici sunt.

Moguntinensis, Treuirensis, Coloniensis,
Atq; Palatinus Dapifer, Dux portitorensis:
Marchio præpositus Cameræ, pincerna Bohemus.
Romanum regem statuendi dant tibi legem.

Regulæ vitæ pro studiosa iuuentute, à Ioanne Stigelio traditæ.

Viue tibi, stolidæq; caue commertia turbæ,
Consultum uitæ si cupis esse tuæ.
Nil facias, fieri nisi quod debebat honestè:
Sitq; tuæ uitæ regula certa Deus,
Nec famæ rebus temerè te ingesseris ullis,
Ni sinat officij causa probanda tui.
Congressus caueas, nisi cùm tua functio poscit:
Illa autem placidi sint simul atq; breues.
Quâ potes officijs orna, nec commoda specta:
Pro meritis reddi gratia rara solet.
Præcipuè caueas ulli nimis esse sodalis,
Hic iacet in uiridi frigidus anguis humo.
Non ego te iubeam cædem uitare minantes:
Quos tibi coniunctos spes erat esse, caue.
Dulce quidem certè est, & amici nobile nomen.
Sæpè sed hic etiam crimen adesse solet.
Limina præcipuè fuge suspiciosa potentum,
Crede mihi hæc fuco gratia rara caret.

Cautus ut euitat blandas Syrenas Vlyßes:
Illecebris aulæ ne capiare, Vale.

Eiusdem.

Qui sapere, & durum traducere molliter æuum,
Et uacuum sceleris pectus habere cupis:
Res age, iusticiæ memor: & qui cuncta gubernat,
Omnia præsenti crede regenda Deo.
Disce & fortunam placidè superare ferendo,
Atq; animum sortis spe melioris ale.
Suggerit ingenuas animo patientia uires:
Vincere felici spes ratione potest.

Alia regula vitæ, à Paulo Cherlero Elsterb.

Vt tibi toto
Rideat æuo
Vita beatæ
Plena salutis:
Exue culpam,
Indue Christum.
Dilige casto
Numen amore.
Postea cauta
Mente caueto,
Ne tibi pectus
Occupet error.
Ritè labore
Fungere iusso:
Auspice Christo
Perfice cuncta.
Sors ubi tristis
Venerit olim,
Pectora uerbi
Robore fulci.
Sic tibi dulcis
Vita fauebit,
Aurea donec
Ibis ad astra.

LIBELLVS QVO VARIÆ TAM SACRARVM LITERARVM QVAM prophanarum historiæ, tanquam in Calendario, iuxta mensium ordinem, ex lectionibus Domini Philippi Melanchthonis, & quorundam aliorum doctorum virorum, distributæ & collectæ sunt

A

IOANNE MANLIO.

AD LECTOREM.

Samuelis Holtzachij Basilien-sis Carmen.

Tempora percurrunt hæc scripta uolubilis anni,
Et quædam certis gesta diebus habent.
Hæc quoq; diuino referente Melanchthone scripsit,
Plurima quæ solitæ pondera laudis habent.
Cùm sint grata scholis dixit quæcunq; Melanchthon:
Vana quid ulterius fundere uerba iuuat?

IANVA-

IANVARIVS.

X. Ianuarij. Anno mundi 3335. urbs Hierosolyma ab exercitu regis Babylonici Nabuchodonosor obsessa est: durauitq; obsidio duodecim menses, etiam fame & pestilentia miserabiliter necante inclusam multitudinem Iudæorum: donec tandem urbs capta, unà cum templo direpta & exusta est, & populus in triste exilium abductus.

XII. Ianuarij. Est dies mortis Maximiliani Imperatoris, qui in superioris Austriæ oppidulo Vuels obijt: maximus princeps, ac uerum Aemilij illius magni (cuius nomen referebat) imò sapientiæ prudentiæq; suo seculo unicum exemplar. Cuius cadauer ex testamento in noua ciuitate loco natali, regio more & communi omium luctu conditum fuit, anno 1519.

XXVIII. Ianuarij. Est dies mortis Caroli Magni, & Othonis Tertij: etiamsi non eodem anno, tamen eodem die sunt mortui. Carolus Magnus anno Christi 814. ætatis uerò 71. Imperij 14. regni 46 mortuus: Otho Tertius uerò plus centum annis post ipsum uita defunctus est.

FEBRVARIVS.

III. Februarij. Est dies Blasij, id est Basilij (nam quem Germani Blasium uocant, idem est qui Latinis & Græcis Basilius dicitur) qui fuit Episcopus in Cæsarea Cappodociæ, natus ibidem ex nobili patre Basilio, & matre Emmalia: sicut olim nobilitas habitare solebat in urbibus. Fuit coætaneus & amicus singularis Nazianzeni, qui ipsi funebrem orationem

tionem scripsit. Illi duo, Basilius & Nazianzenus, fuerunt præstantissimi in Ecclesia Orientali, & in eadem propagatores excellentissimi doctrinæ de filio Dei cõtra Arrianos propugnauerunt symbolum Nicænũ, & fuerunt in magna authoritate. In primis uerò nullus scriptor Ecclesiasticus in tota Græca lingua est, qui rectius loquatur quã Basilius. Iste Basilius est institutus in patria: postea missus est ad alia celebriora loca. Fuit auditor Libanij, præstantissimi oratoris. Postea uenit Athenas, ubi pepercerunt ei ne illos ludos depositionis cum eo exercerent (ab eo enim tempore durauit ritus & consuetudo illa depositionis studiosorum: de qua fertur, quòd olim adolescentes ducti sunt in balneum, & exagitati, posteaq; recepti.) Venerunt ad eum fratres, Petrus & Gregorius Nyssenus (hic fuit episcopus Nyssæ, et scripsit libellum de anima, qui adhuc extat) et abduxerunt eũ ex cathedra, iusserũtq; seruire Ecclesiæ. Ita redijt in patriam, & factus est lector collegij in sua patria. Ibi incidit simultas inter ipsum & episcopum, sicut sunt res humanæ. Quanquam fuit bonus homo et episcopus Cæsariensis, tamen habuit etiam aliquid humani: ut nihil humani est perfectum, sicut dicitur: Non est iustus in terra, qui non aliquando peccet. Gregorius Nazianzenus dicebat, Basilium non uoluisse cum suo episcopo contendere, sed ipsius consilio usum secessisse. Habuit itaq; deinceps cœtus scholasticos in suo prædio hæreditario, quod conuertit in scholam, ubi uixerunt unà in studio illo tempore, cùm esset liber, sumpsit tempus ad peregrinandum. Dicit se peragrasse Asiam, &

uidisse

uidisse ecclesias Palæstinas, & Constantinopolitanam, ut inquireret testimonia de doctrina. Addit, se didicisse summam doctrinæ Christianæ à sua nutrice, quam affirmat fuisse auditricē Gregorij Neocæsariensis clarißimi uiri, cuius confeßio extat scripta cōtra Samosatenū. Postea reuocatus, factus est episcopus Cæsareæ. Eodē tempore ille ipse uoluit eum sibi subrogari qui prius fuerat eius æmulus: et qui ante prægrauauerat eū, tūc tribuit ei testimoiū eruditionis. ἀκεσαὶ δ' ε φρένες ἐσθλῶν, inquit Homerus. Imperator Valens tum persequebatur rectè sentientes de filio Dei, & tuebatur Arianos, ita ut fuerit tūc ecclesia satis miserabiliter dilacerata. Valentinianus tuebatur rectè sentientes, et fuit amicus Ambrosio. In oriente regnabat Valens frater Valentiniani, qui fauebat Arianis, et pellebat rectè sentientes. Hunc igitur Cæsareæ ingredientē in templum, Basilius iußit egredi, tanta fuit in eo magnitudo animi. Verum postea rursus à Valente fuit decretum, ut exiret in exiliū: sed præfectus quidam interceßit pro eo, ut latêret. Valens postea à Gotthis in fugam actus, abdidit se in casam, et sic combustus est, quod periculum ipse prædictum erat à sancto uiro, dicente: Vade, tu peribis: & sic accidit.

Scripsit profectò Basilius accuratius & melius quam omnes alij contra Arianos: defenditq; doctrinam de filio Dei, quòd sit ὁμοούσιος patri. Dicit quidam Arianus, Basilium & Gregorium Neocæsariensem non antecelluisse cæteris doctoribus, ut poßit Athanasius prior uideri collatus ad istos, quod est uerum. In primo capite Ioannis disputat, quare filius Dei dica-

tur λόγος: qui genitus est cogitatione. Refutauit etiam Nouatianos, qui in occidente sic nominati fuerunt, uel in Græcia καθαροί, qui dixerunt lapsos post pœnitentiam non posse iterum recipi aut redire ad pœnitentiam. Contra istos scripsit luculentam orationem in narratione de filio prodigo, ubi ait: Trahit Deus, sed uolentem. Reliquit multa testimonia de Trinitate: nam oportet benè confirmatum fuisse de Trinitate.

MARTIVS.

VII. Martij Narratur fabula de Thoma Aquinate, qui mortuus est anno à nato Christo 1274. septimo Martij, quod conspecta sit hæc species ea ipsa hora qua mortuus est. Visum esse Thomam ipsum in usitata cathedra legentem, & ingressum esse Paulum Apostolum in auditorium. Hunc cum interrogaret Thomas, rectène interpretatus esset ipsius scripta? respondit Paulus: Rectius cæteris omnibus: & tantum ipsum percepisse ex suis scriptis, quantum in hac uita intelligi posset: sed nunc eum secum iturum esse in cœlestem scholam, ubi maior lux fulget, atq; ita cùm Thomas cum Paulo ex auditorio egrederetur, & monachi utrunq; retinere conarentur, ambos euanuisse fingitur. Postea compertum est, Thomam eadem hora mortuum esse. Credibile est, consultò fictam esse hanc narrationem à quodam discipulo seu auditore Thomæ, præceptorem suum magnificiente. Manifestũ est, doctrinam Thomæ in multis materijs à Paulo dissentire. Iubet enim Paulus probare spiritus an ex Deo sint, quod præcipuè iudicari potest ex dogmatib. Scribit alicubi-

mortem

mortem Christi fuisse sacrificium pro peccatis ante eum factis: postea oblationem in missa sacrificium esse pro peccatis sequentibus. Præcipuè etiam confirmauit ἀρτολάτρειαν, cùm Papa Vrbanus Quartus circumgestationem instituerit. Et sunt alia multa tetra eius errata. Ac moles librorum, & uitæ eius breuitas ostendunt ei defuisse diligentiam, & iudicium, Vixit tantum quinquaginta annos, scripsit magnos aceruos librorum. Sed apparet, pleraq; ex alijs descripta & consarcinata esse: & oratio non solum squalida est, uerùm ita confusa, ut sæpè non intelligatur. Negligentia autem in exponendo, significat temeritatem in pronunciando. Quare certißimum sit, Paulum ei non tribuisse honorificum illud testimonium, quod in somnio illo seu fabula narratum est.

XXV. Martij. Hoc die Dominus noster Iesus Christus, filius, λόγος æterni Patris, assumpsit humanam naturam in uirginis utero. Eodem die post annos triginta tres, filius Dei Dominus noster Iesus Christus est factus pro nobis uictima in cruce. Dicitur, eodem die creatos esse Adam & Euam: quod potest esse. Et scriptum est, tunc uesperi ambulasse filium Dei in paradiso. Res profectò mirabilis est, quòd Deus nos isto modo uoluit saluare: uidelicet misso suo unigenito filio, qui legi satisfaceret. Ita cogitate, hac septimana initium fuisse mundi: & hodie inchoatis annum mundi 5521. Hæc scire, est diligentia digna homine, nam filius Dei seruauit discrimina dierum: itaq; & nos discendi causa, etiam dierum discrimina

consideremus. Hæc dicta sunt anno à nato Christo millesimo quingentesimo quinquagesimo nono.

XXXI. Martij. Vltimus dies Martij est dies mortis Heronymi Stridonensis. Dicitur autem Strido, uel Stridonium, ab Istro. Ister autem dicitur, ut ego credo à Germanico Oster, id est, Orientalis, quia Ister seu Danubius fluit ad Orientem. Sed Strido aliud oppidum est in Istria. Est autem Istria in Illyrico, seu pars Illyrici. Illyricum nomen factum ab Illyri flumine, ubi fuit Strido. Fuit porrò hic Hieronymus ex gente Heneta, seu Vandalica: quæ est antiqua gens, & latè dominatur, sparsaq; est per Illyricum, Poloniam, Russiam, & magnam partem Germaniæ. Ptolemæus inquit: Heneti sunt pars Sarmatarum. Sarmatæ autem, seu Sauromatæ dicuntur à Sar, qui fuit dux exercitus. Ista historica considerate: nam iucundum est.

Et pius est patriæ facta referre labor. In oppido Stridone fuit natus hic Hieronymus. Vixit in Italia, ubi didicit Latinam & Græcam linguam: in Asia uerò Hebræam. Estq; optimè de Ecclesia meritus, præcipuè illa translatione ex fontibus Hebræis in linguam Latinam. Transtulit enim libros Moysi, Samuelis, Regum, Paralipomenon, Prophetarum & Psalmorum. Nostri Psalmi, qui sunt in Biblijs usitati, non sunt Hieronymi, sed ab alio sunt uersi ex Græco. Credo etiam quod uerterit prouerbia Salomonis, Ecclesiastem, & Cantica canticorũ ista est bona uersio, ita Hieronymus est conseruator linguæ Hebrææ. Si ipsius translatio non conseruasset linguã Hebræam, iam non haberemus

eam.

eam & hanc Iudæi à nobis discunt. Fuit igitur doctus Hieronymus, audiuit doctißimos homines, & nauauit ecclesiæ bonam operam: ideo debetis eum magnifacere, non contemnere ipsum sicut aliqui faciunt. Translatio illius magnifacienda est, licet aliquid uetustatis resipiat. Dicat aliquis: Ipse sæpè errauit. An tu nihil erras? hoc non potest fieri in loquendo, ut non interdum impropriè loquamur, etiam cum singulariter uolumus efferre nostras cogitationes. Homines eloquentißimi & felicißimi, uberrimiq; in dicendo, natura sculpti & facti ad decus eloquentiæ, intelligunt & experiuntur hanc difficultatem. Ideo debemus boni consulere lapsus aliquot magnorum hominum, quos non potest natura hominum cauere. Interdum enim & bonus dormitat Homerus, inquit Horatius. Hic bonus senex est mortuus ultimo die Martij, anno ætatis suæ 91. Cogitate eum modestè temperanterq; uixisse, cùm ad tantam senectutem peruenerit. Cùm esset iunior, fuit Romæ, postea Damasci fuit scriba seu notarius, ideo pingitur sicut Cardinalis: quanquam tunc non fuerit ea Cardinalium dignitas, quæ nunc est. Vixit magis ex beneficijs locupletum ciuium, quibus respondit ad multas quæstiones, ex sacris literis desumptas, quibus item dedicauit, uersiones & enarrationes, quàm ex certis reditibus. Est autem mortuus anno à nato Christo 420. Iam itaq; à morte ipsius effluxerunt anni 1130. Vos legite eius uersionem, quæ est bona: cui adiungito postea uice interpretationis Germanicam Lutheri uersionem. Augustinus præcisè decimo anno post eum

mortuus

mortuus est: id est, anno 430. cùm esset egressus annum septuagesimum sextum: Mortuus est autem Hieronymus in Bethleem, quo secesserat, ut effugeret multorum sycophantiam: quare procul iuit in Asiam, ibiq; consenuit (ego nusquam esse alibi malim, quàm in illo loco) & fuit ibi familiarißimus Epiphanio, cum quo quotidie per literas collocutus est, sæpè etiam solebant conuenire: sicut & ipse Hieronymus dicit, eum sibi fuisse familiarem. Vixit eodem tempore Nazianzenus in Cappadocia, quem Hieronymus dicit se interrogasse, quid sit sabbathum δευτερόπρωτον, quod in Luca est capite sexto. Pono casum, quòd incidisset dies Pascahtos in diem Sextum, & proximè sequens dies esset sabbathum. Illud sabbathum proximum erat δευτερόπρωτον, quia incboabat septimanam. Hieronymus dicit Naziazenum sibi respondisse: In concione audies, ibi non poteris mihi contradicere. Ita per iocum dixit, quod hodie seriò multi imitantur. Fuit enim quidam lepos illorum hominum, in genere fatentium, se quædam ignorare: fuit dulcis familiaritas inter illos uiros, fuit igitur Hieronymus in Bethleem tanquam in collegio Ecclesiastico (wie in eim stifft/ut sunt apud nos) ubi habuit bibliothecam, & fuit instructus rebus necessarijs.

APRILIS.

XXI. Aprilis. Dies est natalis urbis Romæ, seu initium quo incboata est urbis Romæ conditio, uel quo die sunt eius mœnia extructa: quo tempore fuit festum Pascha.

XXIII.

XXIII. Aprilis, Dies est Georgij. Tres sunt equites in cœlo, Georgius, Martinus & Christus, qui uectus est asino. Dicunt autem Georgium fuisse martyrem Cappadocum, qui locus est in Armenia. Hodie credo Armenios resistere Turcis. Nulla pars Orientis habet Ecclesias ordinatas, quibus hoc tempore plus est studiorum, præter gentem Armeniorum. Armenij enim primò amplexi sunt Euangelium, ita ut aduersarentur Diocletiano & Maxentio, & defenderent pastores contra illos tyrannos. Doctrina etiam quæ nunc est in nostris Ecclesijs, uenit ad eos. Vngarus quidam, qui aliquando fuit in Armenia, dixit, quod discant ibi Græcam linguam, sicut nostri Latinam in scholis. Illa historia quæ habetur de Georgio est fabulosa. Vnde autem sint istæ fabulæ de Georgio Christophoro, Catharina, incertum est. Potest fieri, quòd fuerint inepti imitatores, qui pulra affinxerunt stultè, quibus fuerit uoluptas sic deludere populum, enumeratis miraculis illorum sanctorum: sicut hodie fit in Italia, ubi habent impurißimas & obscœnas fabulas de Maria, quæ apparuerit monachis. Nostri monachi fuerunt fatui, & asini magna ex parte: sed nihil potest cogitari sceleris, quòd non sit in Italicis monachis. Christophori fabulam narrat Apollinaris, uir ualde eloquens, & bonus poëta, quod ostendit eius Psalterium lectu ualdè iucundum: annumeratur ijs qui suo tempore ualuerunt ingenio. Fuit amicus & coætaneus Basilij, ac Gregorij Nazianzeni. Credo eum adolescentulum uidisse Constantinum.

scripsit

Scripsit autem Christianis multas tragœdias, & comœdias, sumpsitq́; exempla martyrum, quibus addit poëmata. Hoc ideo *fecit quia fuit coætaneus* Iuliani Apostatæ Imperatoris, qui prohibuit *publico decreto, ne in scholis* Ethnicis *instituerentur* Christianorum *filij, ubi tradebantur tragœdiæ* Euripidis, *Sophoclis, & aliorum (*Christiani *interim cogebantur instituere priuatas scholas) quia sperauerat fore, si non essent eruditi* Christiani, *extingui doctrinam, & religionem conticescere: sicut & aliud fecit decretum, ne* Christiani *admitterentur ad honores militiæ, uel togæ.* Cogitauit *si non haberent potentiam, tunc Christianos nullam habituros esse defensionem.* Huius Iuliani *tempore uixit* Apollinaris, *qui ut Christiani haberent poëmata & exempla pia, scripsit eis comœdias, & multa pulchra poëmata.* Tale *fuit* Christophori *commentum.* Quia Christophorus *significat* Ecclesiæ *concionatorem, qui debet esse grandi corpore: id est, debet esse fortis, & magnanimus, qui non recuset adire pericula.* Circumgestat *paruum puerum, id est,* Christi *doctrinam circumfert: quam ostendit populo, quæ uidetur esse imbecillis.* Et *magnum pondus immergit illum magnum gygantem in undas, id est pericula: & circumnatant eum beluæ, id est tyranni.* Gerit *tamen panem in pera: id est,* Deus *uult alere concionatores, & senex ipsum præcedit cum lychno in litore, significat uerbum diuinum, &* Prophetas *monstrantes doctrinam, & exempla: quæ prælucere debebant*

Christia-

Christiano concionatori, quòd & alij sancti sæpè similia paßi sunt, & patiuntur. Sic Georgij pictura est allegoria ex imitatione Persei facta. Georgius est imago boni principis, γεωργὸς enim significat agricolā. Illa duo sunt opposita inuicem, Agricola & tyrannus, seu Turca. Turca significat propriè deuastatorem, quia etiam imperium Turcarum est uastatio. Sed bonus princeps debet esse γεωργὸς, id est, agricola, colens, ornans terram & gentes. Princeps diligens in gubernatione, primùm curare debet ut iusta imperet, Ecclesias ornet, non nimium expilet populum, eumq; præsidijs legitimis tueatur. Commentum de Georgio sic se habet: Magnus draco iacuit in Lybia ante ciuitatem Sileam, iuxta quam erat stagnum instar maris, in quo draco pestifer latitabat, qui sæpè populum contra se armatum in fugam conuerterat, & quàm plurimos ciuitatis inhabitatores accedens ad ciuitatis muros, flatu suo infecerat. Quare ciues compulsi, duas oues quotidie ad sedandum furorem, draconi dabant, ne ciuitatis muros inuaderet, & aërem inficeret, unde multi moriebantur. Deficientibus ouibus, initum est consilium, ut draconi unica ouis cum adiuncto homine, quem sors tetigisset, sine ullius hominis respectu, attribueretur. Cùm igitur sorte omnium ciuium filij & filiæ draconi darentur, & sors nemini parceret, quadam uice unica filia regis in Lybia sorte deprehensa est, & draconi adiudicata. Cùm ea iam ad draconem à ciuibus illius loci educeretur, fortè

Georgius

Georgius illum locum præterequitaus, audiuit ploratus, & lachrymas illius puellæ, filiæ regis: à qua lachrymarum causas inquirit, quibus auditis, iubet puellam forti animo esse, se enim fore ipsius liberatorem. Draco uerò iracundia commotus properat, ut & Georogium & puellam deuoret. Cui Georgius cataphractus insistens, celerrimo equi cursu occurrit, eumq; longa hasta transfodit. Sic liberatam filiam regis in urbem, cum omnium ciuium admiratione, reduxit ad parentes: à quibus honorificè exceptus, & apud eos contra suam uoluntatem diu retentus est. Cæterum discedens ex Libya, uenit in illa loca, ubi Diocletianus & Maximianus imperabant (quo tempore tanta persecutio fuit Christianorum, ut in spacio unius mensis ultra septendecim millia piorum hominum sint interfecta) ac fortè incidit in quendam ipsorum præsidem nomine Datianum, sub quo pio zelo suam confeßionem de Trinitate contra Ethnica numina edidit. Præses uerò, audiens taxari idololatriam Ethnicam, bonum illum Georgium capit, & ad martyrium tale ducit. Coniecit ipsum in dolium, in quo fuerunt inter se oppositæ falces, & nouaculæ, eoq; concluso, deiectus est de excelso monte, ut corpus illis falcibus seu nouaculis laceraretur. Verùm diuina clementia fortiorem se in seruando, quàm improbi tyranni sunt ad persequendum, ostendit: quæ ipsum inter medias falces, tanto cum periculo uolutum, incolumem conseruauit. Tandem uerò, edita confeßione pia, quamuis ante sæpè liberatus ex multis tormentis & afflictionibus,

nibus, ab eodem Præside Datiano est decollatus. In antiquis seu uetustis templis, Christophori imago foris ad turres depicta uidetur: Georgium autem intus ad parietes depinxerunt. Quemadmodum enim Christophorus est speculum boni & pij ministri Ecclesiæ: ita Georgius bonum principem, defensorem iusticiæ, & puræ doctrinæ denotat: quorum hic foris, ille domi & in templis, Ecclesiam tueri & propagare debet. Talis fortunatus & pius iusticiæ cultor, sinceræq́; doctrinæ propagator fuit imprimis Imperator Constantinus, contra tyrannos illos Maxentium, Maximum & Licinium: à quibus, etsi diu uexatus & multis insidijs odijsq́; multiplicibus sæpè fuerit circumuentus: tamen Deus ipsum defendit, & felices euentus inter illas tempestatum turbas concesit.

XXIIII. Aprilis. Doctißimus & clarisßimus uir Bonifacius Amerbachius legum doctor, professor Academiæ Basiliensis, qui de multorum, præsertim peregrinorum studiosorum studijs benemeritus est, hora secunda Basileæ post meridiem, piè ex hac uita à Christo Saluatore nostro, cui suam animam commendauit, euocatus est, Anno 1562.

MAIVS.

I. Maij. Calendis Maij celebratur memoria sanctorum Philippi & Iacobi. Philippus uixit Hierapoli, ueteri urbe Phrygiæ, ubi sunt thermæ: quæ fuit celebris, clara & magna urbs. Ille Apostolus Phrygiensis habitauit ibi cum filiabus & sorore, & circa ea loca concionatus est. Plura non habentur de eo, nisi

quòd ibi fregerit idolum, in quo fuit horribilis draco (sicut recitatur) nescio qua ratione, nos non habemus integras eas historias. De Iacobo plura scribuntur. Iste Iacobus, de quo fit mentio in hoc festo, est minor Iacobus, qui nominatur frater Domini: quia ex sorore natus est, & fuit ei similis, nam & Christus fuit similis suæ matri. Credibile est enim fuisse similitudinem sororum. Hic Iacobus fuit filius Alphæi. Alter Iacobus nominatur Maior, cuius memoria in Augusto celebratur, & est filius Zebedæi. Familiæ series recitatur propter Euangelij historiam. Maria soror matris Christi fuit nupta initiò Alphæo, qui habuit ex illa Maria filium Iacobum. Postea Maria fuit nupta Cleophæ, ex quo fuit Simeon. Iste uerò Iacobus, minor nominatus, fuit filius Alphæi, qui mansit episcopus Hierosolymæ, ibiq; inter cæteros dixit sententiam in Synodo Apostolorum. Act. 15.

Cogitate in qualia tempora uitæ ipsius curriculum post resurrectionem Christi, uel post Pentecosten inciderit. Fuit annos 30. episcopus, & spectator horribilium motuum, quibus iam ruebat Respublica. Decennio post eius mortem, Hierosolyma deleta est. Quando propinqua est periodus seu finis Imperiorum, tunc magnæ confusiones, & perturbationes, ut in quolibet corpore multi magni morbi ante interitum, fiunt. Fuerunt aßidui motus in urbe Hierosolyma, multæ cædes, seditiones, & distractiones factionum, sicut Christus ipse prædicit: Cùm uideritis abominationem desolationis, id est idolum supra arcam propitiatorij: sicut

Caligula

Caligula iusserat collocari suam statuam in Sanctum sanctorum, in cuius statuæ collocatione & defensione plurimæ cædes fiebant. Harum miserabilium calamitatum spectator fuit ille optimus senex Iacobus. Post eum factus est Episcopus frater eius uterinus Simeon, qui uixit tempore excidij Hierosolymitani. Postea affectus est extremo supplicio tempore Traiani, cùm esset egressus, annum ætatis 120. Illum iussit Deus egredi cum Ecclesia ex urbe Hierosolymitana, trans Iordanem, ubi seruatus est. Postea euersa urbe reuersi, habitauerunt in ruinis & casulis. Pulchræ sunt imagines, quomodo Deus inter ruinas regnorum & Imperiorũ seruet Ecclesiam. Agite gratias Deo, quòd nunc quoq; seruet inter mirabiles ruinas generis humani ecclesiam. Postea est interfectus Iacobus scelere Pontificum, cùm magistratus Romanus abesset, ac non haberent Pontifices ius administrandi gladij: sed illa occasione usi Pontifices quòd magistratus Romanus abesset, sanctum uirum interfecerunt. Philippus autem diu est concionatus antè supplicium: sic Iacobi frater Simeon longo tempore postea interfectus est, fraude cognatorũ Iudæorum. Multa monet nos de generibus doctrinæ historia sanctorũ. Postea ostendit testimonia cõseruationis Ecclesiæ. Quid aliâs est pulchrius cognitione historiarum? Tenebræ sunt in tota uita, sine luce historiarũ Apostolicarũ. Primò ab illis discamus doctrinã: sciamus quid docuerint, sicut facit Iacobus qui pronunciat sententiam in synodo Hierosolymitana. Credimus purificari corda, &c. Secundo cogitemus, quibus

temporibus uixerint, & quàm mirabiliter Deus colligat Ecclesiam: imò non solum colligat, sed etiam protegat atq; defendat.

V. Maij. *Est dies ascensionis Domini nostri Iesu Christi in cœlum: numerando ab eo Paschate, quo resurrexit Christus ad hunc diem. Nam 25. Martij passus est, 27. Martij resurrexit: numerando 40. dies usq; ad hunc 5. diem: tunc est dies ueræ ascensionis Domini. Cogitate quale seculum fuerit quid mirabilius factum in omni tempore mundi, quàm quæ facta sunt in illis 40. diebus? Illa omnia familiarius facta sunt, quàm descripta: quia Apostoli non uoluerunt omnia describere. Cogitabant enim fore, ut gentes deriderent, uel ethnici illa subsannarent: ideò maluerunt breuiter significare magnitudinem illarum rerum.*

XVII. Maij. *Noë cum sua familia ingressus est in arcam, & sunt anni ab initio mundi quo ingressus est in arcam, usque ad hunc quinquagesimum quartum 3860. Fuit igitur præcise in arca annum integrum. Sed interroget aliquis, quomodo congruit cum 10. diebus, quòd fuerit in arca integrum annum. Respondeo: Adduntur decem dies illi, quia prima ætas distinxit annum in 12. menses lunares. Illi non complent, & congruunt ad integram periodum solis: sed oportet addi decem dies (qui uocantur epactæ) ad menses lunares.*

XXIX. Maij. *Est dies captæ Constantinopolis. Historia insignis, & sæpè cogitanda: Cùm dies nos admoneat, necesse est eius facere mentionem.*

Hodie

Hodie sunt anni 104. ab eius captiuitatis tempore. Est enim capta urbs anno Christi 1453. Celebris urbs opportunißimo loco sita: et quanquam destructa est, cùm fuisset cincta obsidione triennali, tamen instaurata est propter opportunitatem loci. Et lingua Heneta ferè usq; ad Constantinopolim in usu est. Est autem sita in Thracia, ad Hellespontum. Adhuc hodie credo eam omnium urbium pulcherrimam esse: etiamsi Turci nō student ornare ista eripia, tamen sunt pulchra. Ideò Constantinus suo quodā fatali impetu fecit arcem Imperij. Inde potuit traduci exercitus in Asiam, & in reliquam Europam, Pannoniam, & Italiam: fuit locus oportunißimus, & est uberrima regio. Ante dicta est Byzantium, ualde clara & potens urbs ante Romana Imperia: aliàs fuit Lacedæmoniorum socia, aliàs Athenienſium, & multæ res ibi gestæ sunt. Anaxilaus tenuit Byzantium nomine Lacedæmoniorum, & Athenienſis obsidebant eam. Ille cùm fames grassaretur in urbe, & multi perirent fame, fecit deditionem urbis. Quæsitum est, an rectè fecisset? sicut idē accidit in obsidione arcis Blassenburg, interrogaui quendā, an habuißet ulterius uictualia? Respondit mihi, ipsos nihil habuisse nisi pauxillū panis, quo uno mense uix potuissent retineri. Non fecerunt contra fidem datam, qui fecerunt deditionem. Contra, Capitaneus debet anteferre defensionem arcis suæ uitæ: Ergo non debet se dedere, propter aliorum morbos uel famem. Respondeo ad antecedens: Capitaneus debet anteferre defensionem arcis aut ciuitatis, scilicet tam diu donec cum natura non est bel-

lum: sed quando cum natura est bellum, tunc nõ contra fidem datam facit. Fuerant autem anni 1113. ab instauratione facta, usq; ad hanc postremam illius urbis sub Turcis captiuitatem. Stetit ergo illa urbs, & habuit Imperatores tam longo tempore, quàm diu stetit urbs Roma, à Romulo usq; ad Totilam sunt anni 1200. Hæc considerare prodest ad id, ut expauescamus cogitatione iræ Dei: & consideremus, utcunq; stantes & florentes urbes in bono regimine & florenti statu, esse magnum beneficium Dei, sicut fuit magnum beneficium, quòd doctrina religionis aliquo modo conseruata est in ista urbe tam longo tempore. Postea consideranda uenit horribilis ira, quod Deus destruxit illam urbem, sicut Hierosolymam, & alias, propter luxum & insignia peccata. Esaias dicit: Iniquitates nostræ ut uenti dißipauerunt nos. Est regula communis de ruinis Imperiorum: Propter iniquitates corripis homines, inquit Psalmus. Trucidatus est ipse Imperator Constantinus, raptæ sunt honestißimæ matronæ. Dicunt iam in Liuonia maiorem sæuitiam exerceri, quàm Turcæ exercuerunt. Propter peccata populi multæ principum mutationes, inquit Salomon. Peccata sunt causæ magnarum & horribilium mutationum. Fortasse hoc etiam fuit fatale. Arius ibi mortuus est, sedens in latrina, effuditq; intestina. Iam Machometica pestis est ibi, quasi stercus Arij. Turca delet doctrinas & leges diuinas, ipsi habent suas leges, utiles ad retinendos milites utcunq; : sed domestica disciplina nulla est, omnia sunt plena turpitudinis & crudelita-

delitatis. Dicunt, quando Turca dat in Vngaria puellæ donum, & illa accipit, tunc cogitur esse eius coniunx. Ipsi namq; ducunt quotquot uolunt coniuges, & abijciunt quot & quando uolunt, hoc non est coniugium. Post illud exilium, eamq; uastationem Constantinopolis, restitutæ sunt doctrinæ in Italia per exules Græcos, qui intulerunt eruditionem in Italiam, inde in Germaniam: ut audiuistis sæpè ex narratione Capnionis, qui missus fuerat legatus Romam. Multum prodest ad excitanda studia doctrinarum, cognitio Græcæ linguæ: quia Latina est admodum manca sine Græca. Omnes artes sunt Græcè scriptæ: Doctrina Apostolorum habet fontes Græcos. Vetera testimonia & certamina ecclesiæ fuerunt Græcè scripta: sic Mathemata, Medicina. Narrant Rudolfum Agricolam fuisse motum ut proficisceretur in Italiam, & audiret Theodorum Gazam: quia uidebat se Aristotelem non posse intelligere, nisi legeret ipsum in fontibus.

IVNIVS.

V. Iunij. Est dies Leuctricæ pugnæ, in qua Lacedæmonij sunt uicti, & fractæ sunt turres & potentia Spartanorum, ita ut semper in posterum urbs Spartana oppressa, & in seruitute fuerit. Memorabilis est historia, propter manifestam libidinum pœnam. Duo nobiles adolescentes profecti sunt ad Delphos, & in itinere hospitio sunt excepti à Scedaso, habitante in Leuctris, ibiq; eius filias sollicitarunt ad stuprum

quæ refragatæ sunt, sed reuertentes, ui eas stuprarunt absente patre: dissectasq; in frusta, in puteum proiecerunt. Pater uerò cognita iniuria, miser proficiscitur Spartam, & hos adolescentes nobiles illius notoriæ iniuriæ accusat. Derisus est autem senex ab Ephoris, unde in summo mœrore urbem egrediens, diras inhabitatoribus imprecatur. Cùm uerò Magistratus nollet punire illa scelera, Deus atrociter puniuit. Quia oraculum etiam dixit: Ero memor filiarum Scedasi, Paulo pòst Lacedæmonij in illo ipso loco ab Epaminunda uincuntur, ita ut tota ipsorum potentia labefactaretur: quam nunquam recuperarunt.

VI. Iunij. Est dies natalis Alexandri Magni, filij Philippi, regis Macedonis, qui cœpit regnare post Cyrum, & post reductionem populi ex Babylone, cùm essent exacti anni ducenti. Initium regni Alexandri Macedonici fuit certò Olympiade centesima undecima, sicut omnes historici consentientes narrant, anno mundi 3628. Regnauit annos duodecim: mortuus est ante natalem Christi, 324. annis, ætatis suæ anno 33. Fuit Alexander Heraclydes, ab Hercule paterno genere: materno autem genere fuit Aeacides. Mater eius fuit Olympias, regina Epiri à rege Molossorum, oriunda: pulcherrima & nobilißima familia, quæ fuit in Græcia. Frangitur Alexander uoluptatibus, cum iam esset uictor orbis terrarum, uino et ebrietate extinguitur, relinquens bella ducibus, & orbem terrarum inter certamina ferè annos ducentos, donec Romani rursus constituerunt monarchiam. Obseruatione dignũ est.

est, quòd Alexandrum nemo uicerit dimicando, sed uincitur & capitur uoluptatibus: sicut dicitur de regibus Macedonicis, quod sint pardi.

XIX. *Iunij.* *Anno 1555. magnæ fuerunt tempestates: quia sol eo tempore fuit in Asellis, qui immediatè cient tempestates. Fingunt fabulam poëtæ Titanes bella uoluisse inferre Dijs: sed territos esse clamore Asellorum, ut desisterent ab incepto: propter quod beneficium relati sunt inter sidera Aselli. Hanc fabulam mementote, propter similitudinem: quia cùm impij putant se maximè uicturos, tunc terrentur clamore asinorum.*

XXV. *Iunij.* Hodie *est annus 476. quando postridie est facta pugna Mersburgensis, ubi Heinricus Quartus uicit Rodolfum, magno prælio, qui fuerat electus Imperator contra eum. In illis bellis ciuilibus attrita est Germania, eiusq́; potentia concidit, cùm esset tunc in excubijs pro salute generis humani. Illæ duæ partes robustißimæ dimicarunt. Saxonica fuit coniuncta cum Sueuis & Bohemis, ex una parte: Belgica uerò, & Francica potentia ex altera: ipsiq́; duces fuerunt consobrini. Rodolfo præcisa est manus in acie, cùm ductus esset Mersburgum, prolata manu, dixit ad episcopos? Videte, ista est mea manus, qua Imperatori iuraui. Papa enim excitauerat Rodolfum contra Imperatorem. (Et sic Pontifices moliti sunt multa mala, ut omnibus temporibus turbarent imperium) quia Pontifex non uoluit tribui episcopatus à nostris imperatoribus, sicuti tribuuntur à rege Gallico. Illa*

eadem consuetudo fuit in Germania, ut non fieret translatio constitutionis à Pontifice, Inde bella orta sunt. Saxones ingeniosi homines auersati sunt Imperatorem. Quanquam uerum est: nostri Imperatores abutebantur quoq; illa potestate transferendi episcopatus. Papa igitur misit Rodolfo coronam, cui inscriptum erat:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolfo. Petra, id est Christus, dedit Petro, id est Episcopo, eam potestatem imperij: & Petrus, id est Romanus Pontifex, dat tibi Rodolfo diadema, id est coronationem Imperij. Postea ille idem Heinricus, qui nunc fuit uictor, fugatus est à filio: & ille filius qui uicit patrem, magno prælio postea à Saxonibus uincitur.

XXVIII. Iunij. Est dies mortis Alexandri, qui potatione & ebrietate nimia, facta apud calumniatorem Medeam, moriebatur, ita Deus puniuit eius blasphemias. A morte Alexandri usq; ad natum Christum, sunt anni 324. Illud tempus bene mementote, propter historias.

IVLIVS.

VII. Iulij. Est dies pugnæ ad Cheroneam, ubi admodum acre & insigne commissum est prælium. Fuit autem ea pugna Philippi, patris Alexandri, in qua uicit Thebanam ciuitatem: ubi fuit uictor, non ipse, sed potius filius eius Alexander, qui tunc erat natus annos uiginti. Eo die mutatam est imperium Græcorum, & Græcia uenit in seruitutem: re-

gesq;

gesq; Macedonici creuerunt. Philippus natus annos 45. paulò post interfectus est, ac dedit pœnas libidinum. Alexander 12. annos regnauit, & uixit 33.

XII. Iulij. Est dies natalis Iulij Cæsaris. Et sunt à natali Christi usq; ad hunc 54. annum, 1652. anni: quia 42. anno Augusti natus est Christus. Iulius interfectus est anno ætatis suæ 56. ea nondum erat senectus: sed adhuc integro corpore, & quasi iuuenilibus uiribus præditus erat. In homine namq; mediocri ætas sexagenaria est adhuc uigens. Interfectus est autem ab ijs quos seruauerat, ut clamaret: Me ne seruasse, ut essent qui me perderent?

Tibi etiam Epitaphium Erasmi Roterodami exhibeo, quòd in tumulo ipsius marmoreo Basileæ in summo templo his uerbis incisum legitur.

CHRISTO SALuatori S.

DES. ERASMO ROTERODAMO, VIRO OMNIBVS MODIS MAXIMO, CVIVS INCOMPARABILEM IN OMNI DISCIPLINARVM GENERE ERVDITIONEM, PARI CONIVNCTAM PRVDENTIA, POSTERI ET ADMIRABVNTVR, ET PRAEDICABVNT: BONIFACIVS AMERBACHIVS HIER. FROBENIVS, NIC. EPISCOPIVS, HAERES: ET NVNCVPATI SVPREMAE

SVAE

SVAE VOLVNTATIS VINDICES. PATRONO OPTIMO, NON MEMORIAE, QVAM IMMORTALEM SIBI EDITIS LVCVBRATIONIBVS COMPARAVIT, IIS TANTISPER DVM ORBIS TERRARVM STABIT, SVPER FVTVRO, AC ERVDITIS VBIQVE GENTIVM COLLOQVVTVRO, SED CORPORIS MORTALIS, QVO RECONDITVM SIT, ERGO, HOC SAXVM POSVERE. MORTVVS EST IIII. EID. IVL. IAM SEPTVAGENARIVS, ANNO A CHRISTO NATO M. D. XXXVI.

Lapidi, sub quo conditus iacet, hæc insculpta sunt.

ERASMVM ROTERODAMVM AMICI SVB HOC SAXO CONDEBANT, QVARTO EIDVS IVLIAS: ANNO M. D. XXXVI.

XIIII. Iulij. Dies est, quo celebratur memoria Heinrici Bambergensis, qui est fundator episcopatus Libustani. Geßit etiam res utiles & salutares, uocaturq; Sanctus Heinricus, pius uir. Otto primus habuit fratrem Heinricum, ex familia Saxonica, quem fecit ducem Bauariæ. Frater Heinricus Auceps (illum alias historici nominant Heinricum Humilem) fuit præstantißimus uir, fecit Imperatorem Ottonem filium

filium minorem natu. Sic ueteres imitati sunt exemplum Dauidis.

Porrò hic Otto Primus, rursus fecit Imperatorem minorem natu, eo quòd frater, & filius maior ipsi fuerint rebelles, & regnum appetiuerint: tamen frater factus est ei supplex, quem fecit Ducem Bauariæ. Tunc Bauariæ Ducatus fuit à Bamberga usq; ad Aquileiam: fuit regnum non contemnendum. Illius Heinrici filius fuit Heinricus Rixosus, rebellis Ottoni Secundo, & longo tempore fuit Treuiri in exilio, usq; ad mortem Ottonis Secundi. Eo mortuo, Otto Tertius adhuc erat paruulus, qui fuit natus patre Saxone, & matre Græca. Heinricus autem Rixosus, cùm esset potentißimus princeps, & agnatus adolescenti, Ottonem Tertium custodiuit, uolens inuadere Imperium. Sed impediuerunt principes, qui fuerant apud Ottonem Secundum. Post mortem Ottonis Tertij fuit filius istius Heinrici Rixosi, Heinricus Claudus, qui est Bambergensis, instituitq; collegium canonicorum Bambergensium, & Libusiensium. Otto autem Tertius primus Imperator factus est iuxta formas electionis: quia fuit sapientißimus princeps, atq; adeò, ut dictus sit miraculum mundi. Mortis autem causam amores ipsi præbuerunt. Romæ enim ceperat quendam qui affectauerat imperium, & impositum eum asina, auersa facie circumuexit per urbem, & deinde ipsum interfecit. Postea uerò illius interfecti à se coniugem amauit, quæ præbuit ei uenenum quo consumptus est, ita fit, ut dicitur:

Luxuriant

Luxuriant animi rebus plerunq; secundis.
Non facile est æqua commoda mente pati.

Quare autem Heinricus Bambergensis dictus sit Heinricus Claudus, diuersæ sunt opiniones. Quidam alludentes ad historiam Iacobi, scribunt, quòd aduenerit angelus qui eum claudicare fecerit. Sed uera est hæc historia, quæ recitatur in episcopi Mersburgensis Chronico, qui fuit ipsius consiliarius. Item dicit etiam fuisse tantam sapientiam & præstantiam ingenij Ottonis Tertij, ut diceretur Mirabilia mundi. De Heinrico Aucupe narrat hanc historiam, quòd in Italia ex improuiso fuerit circumuentus & inuasus, ut oportuerit eum desilire ex hospitio, ex quo præcipiti saltu luxauerit coxam, ac inde postea claudicauerit. Hic aureum calicem Mersburgum attulit, qui in proximo bello ante duodecim annos liquatus, & inter milites distributus est. Ita Heinricus Bambergensis pacauit Germaniam, tumultuantibus quibusdam principibus ab altera parte, incitatis à Brunone, qui fuit insolens canonicus Augustanus, cui in inferiori Germania magna fuerunt certamina cum Balduino. Illud certamen idem Heinricus Bambergensis etiam composuit, & coëgit eum ad obsequium, ut fieret ipsi supplex. Ex Italia expulit Græcos & Saracenos. Ita tenuit pacatam Italiam, Germaniam & Vngariam. Habuit coniugem Kunegundã, quæ fuit ex Palatina familia, ex stirpe Caroli. Huic mortuæ factus est lapis, cui inscriptum est tale Epitaphium: Kunegund peccatrix, huius loci dominatrix, obijt anno, &c. Postea

sunt

ſunt etiam & alia carmina addita. Sic antiquitas ſolet eſſe modeſta, & plena grauitatis: noluit inſcribi regina, ſed amauit ὁμοιοτέλευτα. Scribunt eam ueniſſe in ſuſpicionem apud uirum, quod amaret alium: ſed ipſa purgauit ſe, incedens ſuper ferrum ignitum. Poteſt eſſe, quia antiquitas habuit maiora uincula diſciplinæ quæ iam ſunt abolita. Tunc fuit florens Imperium, quando Heinricus Bambergenſis dedit ſuam ſororem in coniugem regi Vngarico Stephano, qui prius baptizatus eſt. Ita fuerunt coniuncta connubio Germania & Vngaria, & utrunq; regnum floruit: & fuerunt tanquam unum regnum, Vngaricum, Germanicum, & Polonicum. Videtis quid iam fiat. Vngaria uaſtatur à Turcis, & fiunt poſtea acceßiones ad nos, fortaſſe erunt initia, paucis annis elapſis.

XVII. Iulij. *Eſt dies confractarum Tabularum, cùm Moſes ex monte Sinai rediret ad populum Iſraëliticum, & propter idololatriam uituli aurei, tabulas digito Dei ſcriptas frangeret. Eſt igitur ſignificatum, quod noſtra natura non ſeruet legem. Lex data erat, & poſtea Moſes abiecit Tabulas: Simul ſignificatum eſt, quòd propter idolatriam ille populus ſit amiſſurus legem & politiam. Ante natum Chriſtum ſunt anni 1582. Non exiſtimo tempus illud finitæ politiæ Moſaicæ longius futurum eſſe, quàm quòd fuerit ſtantis politiæ tempus. Igitur nos non procul à fine mundi abeſſe, certò ſtatuamus.*

XVIII. Iulij. *Eſt dies mortis Gottefridi Bilionei, qui mortuus eſt anno 1100. Fuit rex Hiero-*

Hieroſolymæ, quando uiginti duo reges pinguntur, tunc etiam ipſe inſeritur. Ille Gottfridus fuit Capitaneus Heinrici Imperatoris. Dicunt Roma capta: ipſum ægrotum feciſſe uotum, quòd non uellet intereſſe illis ciuilibus bellis. Duxit exercitum in Aſiam, & intra triennium ex Aſia repulit Saracenos, & adiunxit ſibi Guelſum Ducem Bauariæ. Coronatus eſt ſpinea corona rex Hieroſolymæ omnium ſuffragijs, impoſito capite in Chriſti ſepulchrum, quod adhuc extat. Natus eſt ex illa familia, ex qua ſunt principes Iuliacenſes & Cliuenſis.

AVGVSTVS.

III. Auguſti. Dies eſt pugnæ Mardonij ad Plateas. Is Mardonius fuit capitaneus & cognatus Xerxis, fuitq; incitator & hortator Xerxi ad bellum, ac unus ex magnis principibus in Perſia, promiſerat Xerxi ſe magna & multa effecturum eſſe in Græcia. Xerxes enim mouet bellum contra regulam diuinam: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Cùm iam fugiſſet Xerxes in Aſiam, cœpit amare coniugem fratris, quem interfecit. Sed poſtea ipſe quoq; interfectus & confoſſus eſt. Ita peccata peccatis puniuntur. Mardonius fuit amarus iudex & terribilis tyrannus, perijt in acie ad Plateas, & cum eo decem millia Perſicorum militū, circiter ſeſquimiliare à Thebis. Victo Mardonij exercitu, Græi poſtea facti ſunt inſolentiores, & non fecerunt ſicut Pauſanias, qui poſt uictoriam non fuit inſolens, ſed modeſtiſſimus: remiſit nobilem matro-

matronam honestißimam & pulcherrimam ad suos parentes. Cùm Aeginetæ dicerent, ut faceret crudeliora: Satis inquit, est, si meis Spartanis placeo. Postea Byzantij indulsit uoluptatibus, quæ ipsi fuerunt exitio. Fuit illa pugna ad Plateas omnium maxima, gloriosißima & nobilißima Græcorum. Sunt autem illius pugnæ Mardonij ad plateas anni ante natum Christum 527. id est, usq; ad hunc diem 2081.

VI. Augusti. Est dies pugnæ Marathoniæ, ubi Hippias adduxerat magnum exercitum Persicum, scilicet 10000. cùm essent 11000. in exercitu Atheniensium & Plateensium. Fuit autem hæc causa belli. Athenienses expulerant tyrannum Hippiam, Is ascendit ad regem Darium, impulitq; eum eò, ut committeret exercitum, ad se restituendum.

Fuit ne Atheniensibus causa iusta pellendi tyrannum? Hippias est è ciuitate eiectus, quòd rapuerat filiam ciuis cuiusdam. Paternus dolor armauit ciuem, ut se coniungeret cum quibusdam, & expelleret tyrannum.

Respondeo, quòd fuerit iusta causa pellendi, quod probatur etiam hoc argumento.

Contra uiolentiam notoriam defensio, Imò etiam pœna est iusta, præsertim in paterno animo.

Ille pater aduersus notoriam iniuriam cepit arma, cùm defensionis, tum pœnæ causa.

Ergo ille ciuis, & adiuuantes ipsum, rectè fecerunt expellentes Hippiam ex urbe.

Idem sextus dies Augusti est etiam dies uictoriæ

Hunniadis. Iam uerò est centesimus decimus annus ab eo, quo Hunniades, pater Matthiæ regis, præstantißimus Ducum postremæ ætatis, uicit illum fortißimum & gloriosißimum Imperatorem Turcicum Machometum, qui cœperat Constantinopolim, et in illa pugna in qua fuit uictus, accepto uulnere fugit, ita ut desperarent de uita ipsius sed tamen conualuit.

X. Augusti. Est dies Laurentij. Illius uirtus est manifestißimum opus Dei, & testimonium præsentiæ Dei in Ecclesia, Pingitur enim Laurentius torresiens & assans in craticula.

Hanc historiam debetis scire: quia homo sine historia multa habet impedimenta, & magnæ sunt tenebræ nescire historiam. Ideo uetustas distribuit tempora in festos dies, ut poßit iuuentus commonefieri, non de inuocatione, sed de confeßione Sanctorum. Alius aliam habuit occasionem, quanquam unam habuerunt Apostoli confeßionem: ut Ioannes non est interfectus propter doctrinam, sed quod reprehendit incæstum Herodis cum Herodiade. Laurentius fuit ciuis Romanus, natus Romæ, & diaconus. Illa uestis, in qua pingitur, est sagum Romanum. Fuit autem diaconus illo tempore, & custos ærarij ecclesiastici. Quanqam illi erant docti, & simul aliquos docebant: tamen diaconũ nominabant, qui habebat curationem ærarij ac redituum: ut in tali urbe habuerunt locupletißimam Ecclesiam sicut Marcellinus scribit, qui uixit circa ea tempora: dicitq; ijs temporibus fuisse ambitiosam contentionem de episcopatu. Passus est autem Laurentius sub

Decio

Decio Imperatore, ante Canstantinum regnante. Tunc fuit multum tumultuum, & occidebantur nobilißimi homines, ita ut imperium facilius mutaretur. Ducebantur pij homines ex Gallia in Asiam, & ex Asia Lugdunum, ut ibi afficerentur supplicio, & trucidarentur. Occasio autem interfecti Laurentij hæc fuit: Imperator petiuit ab ipso, tanquam diacono & custode, sibi dari thesaurum ecclesiastici ærarij, hunc cum nollet dare, rapitur ad supplicium. Quæro an debuerit potius perdere pecuniam, quàm uitam? ut si incideres in latronem, qui à te posceret pecuniam, aut tibi eripere uelet uitam, utrum esses facturus? Hic teneamus gradus bonorum. Maius malum magis uitandum, quàm minus malum, maius malum est amißio uitæ, quàm pecuniæ, Ergo debemus pecuniam magis amittere, quàm uitam. Tu debes quidem notoriam iniuriam repellere: & si potes repellere istos latrones, iustè facis, sed si sis imbecillior, debes dare pecuniam. Cùm igitur iacet Laurentius in craticula, dicit ad carnificem: Ego iam ab uno latere satis sum assatus: inuerte igitur me, ut & ex alio latere æqualiter coquar. Tanta fuit magnitudo animi in cruciatu,

Contra: quod Laurẽtius nõ rectè fecerit, sic coarguo
Omnia sunt regum.
Decius erat rex.
Ergo Laurentius debuit ei cedere, & dicere domino: Tu es dominus accipe claues, & aufer quantum uis. Respondeo: Nego maiorem. Non omnia sunt regum iuxta præceptum uerißimũ, obligans omnes homines,

tam ſuperiores quam inferiores: Non *furtum facies.* Quando *magiſtratus ſuperior poſtulat tuam tunicam, neceſſe eſt ei dari?* Non, *quia tua eſt: & ſic de alijs.* Quando Achab *poſtulat uineam* Naboth, Naboth *rectè fecit, non cedens de ſuo iure: quia* Decalogus *tam obligat reges, principes, & alios magiſtratus, quàm nos ſubditos.* Non *omnia ſunt regum: quia* Deus *uult eſſe diſtinctionem dominiorum, &* Ioannes *dicit:* Eſto*te contenti ſtipendijs ueſtris, & non plus exigite.*

Alia ſolutio eiuſdem argumenti.

Omnia *ſunt regum uidelicet certo ordine, tanquam legis: ut quando lis eſt de re tunc res eſt legis, pronunciat lex,* Ego *tibi hanc rem attribuo.* Vel, Omnia *ſunt* Imperatoris, *tanquam iudicis, uel tanquam legis, ut pronunciet cuius ſit res. & faciat executionem.* Vt *uxor tua, domus tua, non eſt principis, ſed tamen princeps debet tueri tuam domum, & uxorem.* Sic Iuriſ*conſulti reſpondent:* Rex *eſt dominus omnium, quo ad defenſionem attinet.* Eſt *facilior ſolutio, quàm cùm dico, lex eſt iudex.* Non *enim debet iudicare ſicut leo in diſtributione partium.* Laurentius *rectè fecit, quòd defenderit poſſeßionem bonorum* Eccleſiaſticorum. Bona Eccleſiæ *non ſunt regum: ſed reges debent eſſe defenſores* Eccleſiæ, *corporum & bonorum.* Princeps *debet tueri nos in ſcholis docentes & diſcentes, ac defendere paſtores, fiſcum, &c.* Quando *dicebatur* Ambroſio, *ut egrederetur è templo,* Cùm Ariani *uolebant occupare templum* Mediolani, *& obijcerent ei,* Omnia *ſunt regum, tunc dixit:* Domus *mea domus*

preca-

precationis est, terram autem dedit filijs hominum, ut alibi habetur.

Contrà, si incideres in latrones, cogentes te, ac dicentes: Promitte nobis 100 Ioachimicos, aut te occidemus: non ne potius amitteres pecuniam quàm uitam?

Certè minus malum est magis eligendum.

Pecuniam amittere est minus malum, quàm concedere uitam.

Ergo Laurentius debuit potius concedere pecuniam, quàm uitam.

Respondeo ad minorem: Cedere pecuniam erat minus malum, sed non depositam, uel publicam, datam seu commendatam tuæ fidei, ut tu sis pecuniæ custos, & præsertim Ecclesiæ, de illa non debes cedere. Obseruate solutiones concinnas, ut hîc fuit simul casus confessionis: non est raptus ad supplicium propter ea solùm, quòd pecuniam nolebat concedere, sed etiam quia Christianus erat. Est usitatum hominibus malis, aliam causam ostẽdere, & aliud reipsa agere: iuxta prouerbiũ ὐ διά ποδὸς ἁμάρτημα ἐν χορείᾳ; id est, plectimur non propter pedis erratum in chorea. Qui cupiditatem uindictæ in aliquo explere desiderant, longè aliam causam facimoris sui prætexunt, atq; intus in animo celatum gerunt. Et ille Laurentius, ut homo Romanus, debuit aliquid Rom. magnitudine animi facere.

Item alio modo argumentor.

Maxima fortitudo minus timet.

In Christo est maior fortitudo quàm in Laurentio.

Ergo debet minus timere: cùm tamen appareat;

Christum esse in tanta consternatione, ut sanguinem sudauerit, dixeritq; ipse: Tristis est anima mea usq; ad mortem. Est talis agon in eo, qualis non fuit in ullo homine. In Laurentio est illa celsitudo animi, sicut simile exemplum habetis in historijs de Sabina, muliere Romana: quæ cum esset in carcere inclusa propter Euangelij confeßionem, peperit, & ostendit signa doloris, admodum uociferans propter ingentes dolores partus. Lictor ad eam dicit: Quid tam imbecillo animo es? quomodo cras ad supplicium producenda, poteris perferre supplicium, si non potes ferre dolores partus? Respondit, ut magnanima in confeßione mulier: Nunc patior ut mulier, secundum naturam: cras patiar ut Christiana.

Respondeo ad argumentum, & ad maiorem: Maxima fortitudo minus timet, scilicet cæteris paribus: id est, cum paria sustinet. Nuper illa mulier misera (hæc dicta sunt anno 1559.) de qua sumptum est supplicium in Beltz (sicut est necessaria seueritas in talibus sceleribus) erat ualde animosa: nebulo autem qui eam deceperat fuit fracto animo. Deus confirmauit eam, ut quæ erat decepta ab altero: at ille erat conscius maiorum scelerum, ad id, quòd simul incæstum commiserat. Declaro minorem: In Christo est maxima fortitudo. Ergo debuisset minus dolere, si non habuisset plura onera quàm Laurentius. Quæ onera maiora habuit Christus quàm Laurentius? Respondeo: Christus patitur propter tua, & mea, & singulorum peccata. Homo quisq; cogitat solùm de se. At Christus deriuat

horribilem iram Dei, propter mea, tua & ſingulorum peccata in ſeſe: id eſt, ſenſit iram Dei aduerſus peccata totius generis humani, habet obiectum infinito maius, quàm Laurentius. Laurentius non patitur propter peccata, ſed propter confeßionem ueritatis glorioſißimè, iuxta uerſiculum:

Frangit & attollit uires in milite cauſa:
Quæ niſi iuſta ſubeſt, excutit arma pudor. Item:
Eſt aliquid magnis crimen abeſſe malis.

Laurentius non uidet peccata, ſed ea texit Deus, iuxta dictum Pſalmi: Beati quorũ remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Non cerni peccata, eſt hilari eſſe animo, iuxta uerſum Bembi:
Ibat ouans animi, & ſpe ſua damna leuabat.

Illa argumenta commonefaciunt nos de multis magnis rebus: & illud eſt celebrare feſta Sanctorum, ut uos diſcatis hiſtorias Eccleſiæ neceſſarias, et ſimul multas res utiles. Non dico inuocandum eſſe Laurentium, ſumantur ex hiſtorijs exempla & doctrinæ.

Eodem die ſancti Laurentij, iniectus eſt ignis in templum Hieroſolymitanum, & inflammatum eſt templum, poſtea urbis incendia & uaſtationes durauerunt uſq; ad Decembrem. Fuerunt in ea urbe magna ædificia, quæ non ita ſubitò conflagrata ſunt: ſed in Septembri omnino deleta eſt urbs.

Obſeruatum autem eſt, eundem diem inflammati templi ſub Tito eſſe, qui fuerat dies deſtructionis ſub Nabuchodonoſor: & illa inflammatio ſub Nabuchodonoſor anteceßit annos 617. intra illos ſexcentos

annos ſæpè capta eſt: fuit bis capta, & non ui expugnata, ſed dolo, ac in ea omnia hoſtilia facta ſub Antiocha. Illa direptio uel ſæuitia quam exercuit Antiochus, non fuit minor quàm ſi tota urbs eſſet deleta. Et ualde mirum eſt, quòd illi præſtantiſsimi duces Alexander & Iulius prætereunt, eam urbem intactam reliquentes: ſed rexerunt Hieroſolymam, & nulla in re eam uiolarunt. Alexander cum acceßiſſet, proceßit ei obuiam Pontifex: tunc Alexander deſcendit ſtatim de equo, & Pontificem adorauit.

Ochus ante Darium proximus, magnam ſæuitiam exercuit aduerſus Iudæos.

Titus cùm prius in Iudæa multa oppida ſolò æquaſſet, primum cœpit obſidere Hieroſolymam in Paſchate: & illa obſidio fuit ſemeſtris, ſeu ſex menſium. Interea, cùm ibi eſſet maxima hominum multitudo, multi fame perierunt: maxima pars coxit filios, quibus tamen frui non potuerunt, ſed ſunt eis erepti. Durauit autem iſta obſidio uſq; ad Septembrem: id eſt, feſtum tabernaculorum. Paſcha fuit tempus, quando Iſraëlitæ ingreßi ſunt in terram trans Iordanem. Feſtum tabernaculorum tale fuit, in quo Deo agerent gratias, quòd eis & patribus ipſorum tradidiſſet certam & durabilem Eccleſiæ ſedem. Ita ſub Tito in feſto Tabernaculorum, domus & ſedes delentur: & tabernacula Hieroſolymæ eripiuntur. Illa urbs Hieroſolyma quæ hodie eſt, non eſt collocata in ueteri loco, ſed ab eo aliquantulum receßit, ubi prius fuit. Nec Roma eſt hodie, ubi olim fuit: illa pars, quæ olim ornatiſsima

&

& freqentißima erat, hodie est solitudo: sicut de multis urbibus accidit, quæ etiamsi instauratæ sunt, tamen non in eodem uestigio collocatæ sunt, in quo prius fuerunt. Vt Basilea, Ratisbona, instauratæ non in priore sede, sed in reliquijs: sicut & Maßilia (quæ iuxta historias est una de laudatißimis urbibus) non est rursus ædificata in priore loco, &c.

XV. Augusti. Festum assumptionis Mariæ.

Mortua est Maria quinquagesimo nono suæ ætatis anno. Vixisse igitur existimatur annos septem, postquam filius ex morte reuixit. Post eius mortem grassata est fames in Asia & Europa, & in Iudæa multi ciues seditionibus sunt interfecti. Præcipua uero pars Ecclesiæ Antiochiam migrauit.

XX. Augusti. Deletio Thebarum.

Hoc die sunt deletæ Thebæ ab Alexandro, & sunt ultra trigimta millia hominum interfecta: quia ibi fuit magna turpitudo uariorum scelerum, ideo tam horribilis destructio secuta fuit. Thebæ sunt deletæ anno regni Alexandri 12. Ab initio regni Alexandri ad natum Christum sunt anni 336. Ergo ab hoc anno 1559. ad Thebas deletas, sunt anni 1883. & ad initium regni Alexandri, anni 1895. Factum est decretum, si qui uellent resistere potentiæ Alexandri, & magnis exercitibus, ut confugerent ad Thebas: tamen illa ciuitas fuit miserabiliter capta & deleta. Quis condidit

Thebas? Fabius. Illa uastatio & deletio mirabilis Thebarum, est illustre testimonium iræ Dei aduersus peccata generis humani

XXVI. Augusti. Pugna ad Arbelas.

Anno sexto post destructionem Thebarum facta est pugna ad Arbelas. Sunt iam anni 1901. Oseæ 10 capite fit mentio Arbelarum, in nostris libris habemus: Sicut uastatus est Salman à domo eius, qui uindicauit Baal. Nemo intelligit, quid textus uelit. Totus ille locus est mendosus.

Prædicit ibi interitum Samariæ: sicut Salman, id est Salmanasar, euertit Arbeel, sic etiam destruet Bethel, Sicut sunt factæ horribiles uastationes in Asia & Græcia per Turcos & alios, sic haud dubiè fient horribiles uastationes in Europa ante finem mundi. Sic tamen dicit Deus, Quid tibi faciam? delebo te sicut Adama & Seboim? non faciam furorem iræ meæ: quia Deus ego sum. Valet consequentia à proprio, quia Dei est misereri, uel misericordiam miscere pœnæ. Itam: In ira misericordiæ recordaberis. Quare recordatur misericordiæ erga Ecclesiam? Respondeo: Quia homo non posset sustinere iudicium & iram diuinam. Valet igitur consequentia ab impoßibili. Ideo clamamus: Domine, si iniquitates obseruaueris, quis sustinebit? Item: Domine, ne in furore arguas me. Sic inquit Deus: Non faciam furorem iræ meæ: (est dulcis consolatio) quia Deus ego sum. Deus propter multas causas uoluit illas historias scribi & propo-

proponi illa ſpectacula, & in primis ut reuocet nos ad pœnitentiam.

XXVIII. Auguſti. Natalis Auguſtini, eiuſdemq́; ſtudia ac certamina.

Hic 28. Auguſti eſt dies ſancti Auguſtini, qui fuit natus in oppido Africæ Madauro, quod non procul à Carthagine ſitum erat. Romæ uerò didicit linguam Latinam: quanquam etiam in Africa erat Latinus ſermo, tamen ſonus Romanus erat elegantiſsimus. Nunc uerò Itali habent ſuas elegantias, etſi diſcedunt à Romano ſono. Sic Poloni etiam habent ſuas elegantias. Romanus ſonus non multum differt à noſtro, niſi quòd iſte eſt elegantior noſtro. Factus eſt profeſſor Mediolanenſis, docuit Rhetoricam: aſſueſecit iuuentutem ad conſuetudinem declamandi, quæ tunc in ſcholis præcipua cura fuit: in qua ætate etiam audiuit Ambroſium, qui inflexit eum ad puriorem doctrinam. Inſtitutus uerò fuit in patria, in doctrina Manichæorum. Manichæi furor conflatus eſt ex Stoicis phantaſijs, & hypocriſi anabaptiſtica. Duo pariter infinita & æterna poſuerunt, bonum et malum: ſicut Stoici duo principia poſuerunt, φῶτα & ὕλην, ſic ipſi duos deos φῶς καὶ θεός. Damnauerunt politias, iudicia, & ciuilem ordinem. Illud malum uenenum fuit uagatum per magnam partem Africæ. Gentes enim facilè arripiunt dogmata, ſuis naturis congruentia: eaquè transformant ad ſuam naturam. Itali ſunt amantes & intelligentes Imperij: ideo transformarunt

formarunt religionem in Imperium & Pontificatum. Nos Germani sumus beluones, arripimus illa quæ augent illam licentiam. Ita quisq; superstitiosus assumit aliquid prætextu doctrinæ. Africanum genus hominum est simile simijs, uel cercopithecis, sicut nostrum genus est ursinum: nam plurimum ursarum est in his regionibus ad Septentrionem. Ideo uenenatos & monstrosos errores defenderunt. Et stupendum est miraculum, quod ille error tempore Augustini sit uagatus in maxima parte orbis terrarum, & in ora Africæ, durauerité; annos ferè 300. Cogitate quàm magnum hoc fuerit malum. Sed Augustinus conuersus est diligentia & sedulitate Ambrosij, qui multa cum eo disputauit. Est natus matre Christiana, quæ rectè sensit: sed patre ethnico, qui conuersus est, uidens excellentiam uirtutis in sua coniuge: ita sæpè honesta exempla inuitant alios ad audiendam doctrinam. Pater fuit homo militaris, porrò Augustinus postquam factus est Christianus, aliquanto postea redijt in patriam, ac uixit in Ecclesia Hipponensi, qui lacus non adeo longè distat à Carthagine: ibi docuit, sicut omnes discimus docendo: ut est antiquum dictum inter Mimos, Discipulus est prioris, posterior dies.

Sunt autem scripta ipsius dißimilia, sed posteriora meliora & eruditiora: quia docendo didicit, unde edidit Retractiones primorum suorum librorum. Factus est etiam collega Episcopi Hipponensis, seu doctor illius Ecclesiæ, cui deniq; succeßit. Habuit multa certamina primùm cum Manichæis, quos (postquam

ueritatem

ueritatem cognouit) multis libris refutauit: Denique *disputauit cum* Arianis, *qui etiam paßim uagabantur in* Asia: *accuratiusq́; scripsit de* Trinitate *quàm quisquam alius.* Hoc dico, *etiamsi multa extant alia scripta, tamen utile est legere eius explicationem in hoc articulo, qui est magni momenti.* Nos *reddimus uobis planißimam & simplicißimam eius semtentiam, quando eam uobis recitamus.* Postea *cum* Pelagianis, *qui senserunt hominem iustum esse bonis operibus, disciplina externa: deleuerunt doctrimam fidei & gratiæ.* Ibi *etiam benemeritus est* Augustinus, *etiamsi idem non omnia illustrauit: tamen multa sunt testimonia, eum hoc sensisse, quod nos docemus.* Miscet *aliquid improprij, sicut sua ætas non multum curauit propriè loqui: quia temporis illius erat studium mirabiliter loquendi.* Præterea *certauit cum* Donatistis, *quod fuit etiam chaos hominum seditiosorum, qui seiunxerunt se ab* Ecclesijs, *damnaueruntq́; ministerium propter malos mores docentium: faciebant schismata sine neceßitate: exercebant latrocinia: erant peßimi homines, habentes alias multas malas opiniones, sicut dicitur:* Error *est fœcundus,* Item: Error *parit errorem.* Ita *dimicauit sanctus* Augustinus, *cum quatuor sectis ualde perniciosis.* Peruenitq́; *ad magnam senectutem, uixitq́; ad annum nonagesimum.* Cogitate *igitur quantum ærumnarum pertulerit in uera religione defendenda, & conseruanda.* Obsessa *sua urbe* Hippone *à* Vandalis *duce* Genserico, *ante captam urbem mortuus est,* Credo

illum

illum senem non potuisse præ dolore uidere illas calamitates. Gensericus enim non tantum diripiebat urbes, sed etiam propagabat Ariani dogma. Matres & filiæ nudæ suspensæ sunt & combustæ, & ita homines paßim cruciati sunt, qui non amplecterentur dogma Arianum. Paulò post est occupatum oppidum, sicut nunc pastor Suueinfurdiensis fuit mortuus, antequam oppidum expugnabatur, haud dubiè præ magnitudine doloris. Augustino defuncto, successerunt: Prosper, qui fuit eius auditor, & conseruator puræ doctrinæ: & Maximus, qui eadem tradidit & propagauit: sicut semper Deus aliquas reliquias ueræ Ecclesiæ seruat. Græci ualdè delectati sunt lectione Augustini, & totum in suam linguam transtulerunt. Planudes uertit Augustinum annis aliquot ante Constantinopolim captam, qui fuit unus ex conseruatoribus linguæ Græcæ: transtulit etiam Catonem. Græci habuerunt Rhodi opera Augustini. Mihi dixit quidam, qui legit ea, & affirmauit admodum eleganter & propriè esse uersa.

SEPTEMBER.

VIII. Septembris.

Dies est natalis Mariæ, quam Nicephorus scribit uixisse annos 59. quæ est ætas Maximiliani Imperatoris. Ponamus, quòd circa annum uigesimum suæ ætatis fuerit puerpera, & pepererit Christum. Quanquam idem Nicephorus scribit, peperisse eam anno ætatis suæ decimoquinto: quod esse potest, sed credo non adeò iuuenculam fuisse elocatam Ioseph.

Illa

Illa enim grauißima ætas non adeò iuuenculas elocauit: sicut apud Hesiodum *tempus elocationis annus* 18. *qui est pubertatis tempus, ut circa annum* 20. *puerperæ fierent.* Vixit *autem* Maria *post resurrectionem filij, sex aut septem annos. Ponamus quòd* Christus *sit passus, inchoante anno* 34. *suæ ætatis. Cogitate quantarum calamitatum fuerit spectatrix: considerate eius uitæ curriculum, & familiam. Fuit nata ex* Regia *familia: sed tamen uixit in tali paupertate, ut ne quidem manserit in oppido suæ tribus in* Bethleem, *sed habitauerit in* Galilæa. *Cogitate quale tempus fuerit pueritiæ & adolescentiæ pulcherrimarum uirginum,* Mariæ *matris, sororis & aliarum matronarum: ubi conspicitur mirabilis bonitas* Dei *seruantis* Ecclesiam. *Isti homines nulla habuerunt præsidia, nec potentiam, cùm uagarentur per* Iudæam, *ubi peßimarum gentium latrunculi uersabantur. Credo nec hodie esse in toto orbe terrarum nebulones peiores, quàm sunt in* Arabia, Ægypto & Syria, *qui sunt petulantißimi & libidinosißimi homines. Contra istos sceleratißimos homines,* Deus *tamen has familias, & suam* Ecclesiam *mirabiliter texit & defendit. Ita mirabiliter omnibus temporibus* Ecclesia *à* Deo *tegitur & custoditur.*

Fuit formosißima iuuencula Maria, *& fuit in ea, sapientia: & non dubium mihi est, quin alij multi sint usi eius consilio:* Deus *tamen texit eam. Ita non debemus cogitare, nos uiuere nostris uiribus, robore, aut præsidijs: & præsertim qui seruantur in* Ecclesia

mirabi-

mirabilißimo modo, ſicuti tres uiri in camino ignis, quare in primis eſt dulcis cogitatio talium hiſtoriarũ. Vidit initia Eccleſiæ fortaſſe ſeptem annos poſt aſcenſionem filij, ſicut credo eam uixiſſe uſq; ad interfectum Iacobum: qui primus inter Apoſtolos eſt interfectus. Vidit magna certamina & ipſa haud dubiè fuit rectrix Apoſtolorum, tunc cum tota Iudæa peßimorum hominum ſceleribus & tyrannide perturbaretur.

Deletio Hieroſolymæ.

Eodem die etiam deleta eſt Hieroſolyma, uidelicet die Laurentij: id eſt, paulò quidem ante illud tempus, quo (quia non omnia uno die confici potuerunt) templo ſunt iniectæ faces, ac inchoata eſt templi conflagratio. Deleto templo, multum laboris fuit in arce expugnanda, & reliqua urbe delenda. Hoc uerò die dicunt opus deletionis eſſe perfectum, & ciuitatem penitus totam deletam. Durauit autem obſidio ſex menſes: & ſicut in Paſchate ingreſſus eſt populus Iudaicus in illam terram, ita in Paſchate inchoata eſt obſidio. & ſicut feſtum Tabernaculorum fuit tempus ſolenne, in quo agebantur Deo gratiæ pro tradita illa terra: ita feſtum Tabernaculorum fuit finis iſtius politiæ. Illo enim tempore, quo ſolebant alioqui gratias agere pro terra illa tradita, urbs deleta eſt: quia Deus uoluit oſtendere finem Tabernaculorum, & quod non uellet illam politiam diutius ſeruare. Diſcite etiam illud, quod politiæ tam diu florentes ſtant, quandiu Deo placet. Tanti enim ſunt furores diabolorum, niſi

nisi Deus seruaret tuguriola, & custodiret nostra corpora, ac adderet excubias, protegeret domunculas, non essemus incolumes sicut uidimus ualde mirabilia incendia iam multis annis. Simeon fuit episcopus Hierosolymitanus, & Christi cognatus. Fuit enim frater Iacobi, filius sororis Mariæ: Ante obsidionem duxit Ecclesiam suam trans Iordanem, admonitus diuinitus, ubi habitauit cum suo cœtu in uicinis nidulis. Romani uerò postea concesserunt eis rursus loca Hierosolymæ. Huius uastationis fuit spectator Iohannes, qui tunc adhuc uixit in Asia. Nulla fuit pulchrior ciuitas in toto genere humano, & nullibi præstantiores uiri, quàm quales fuerunt Dauid, Nathan, Ezechias, Iosias, Hieremias, Daniel. Roma habuit præstantes uiros, sed bellatores: sed in illa urbe concionatus est ipse filius Dei, ac se patefecit uarijs miraculis. Bethania abfuit dimidium miliare à Hierosolyma: Ibi Lazarus est exuscitatus, & sunt alia multa miracula ibidem in singulis ferè uestigijs illius terræ facta.

Causæ destructionis Hierosolymæ.

Prima est, quia Deus uoluit ostendere iræ suæ aduersus peccatum exemplum, quòd in omnibus hominibus peccatum simili ratione punire uelit. Secunda, illa destructio debet esse testimonium aduentus Meßiæ, qui stante politia Mosaica uenire deberet. Tertia, quòd lex non sit iusticia Euangelij. Ita non tantum facta, sed etiam causæ factorum sunt considerandæ.

X. Septembris, Dies obitus Ioannis Huniadis, regis Vngariæ.

Mortuus est hoc die Ioannes Huniades, pater Mathiæ regis Vngariæ. Ego non existimo fuisse præstantiorem ducem his postremis nostris temporibus. Ille fuit clypeus Hungariæ. Filius Matthias non fuit par patri. Accidit ei quod dicitur de inutilibus canibus uenaticis. Quando boni canes uenatici conspexerunt feram aliquam, non auertuntur ab illa, etiamsi alia in occursum ipsorum ueniant, antequam priorem ceperunt. Degeneres econtrà incertò uagantur, & oblata alia priorem deserunt, sicut pulcherrimè hi sequentes uersus indicant, simulq; allegoricè notantes eos homines, qui ab institutis laboribus ad alia negocia deflectunt.

Qui binos lepores vna sectabitur hora,
Vno quandoq;, quandoq; carebit vtroq;.

Sic Matthias non commoratus est in uno proposito. Pater eius habuit tantùm unicum hostem, Turcicum Imperatorem, & præter illum nullos concitauit alios. Fuit ualde egregius Princeps: aliquot magnis prælijs uicit Amuratem: & hoc decimo die Septembris, depulit magnum exercitum à Belgrado: & illo in prælio accepto uulnere, mortuus est uictor. Vixit tantisper, donec nunciatum est ei, hostes uictos esse. Quo audito, mortuus est alacer: et quod ad uictoriam attinet, sicut Epaminundas, obijt. Fuit autem & ipse bonus & sanctus rex, et sine dubio hæres uitæ æternæ.

Deus

Deus dedit per hunc præstantem regem, defensionem Hungariæ, nunc miserabiliter Hungaria laceratur.

XIII. Septembris.

Celebratur festum exaltationis Crucis, In mense Maio celebratur inuentio Crucis, quomodo inuenerit Helena crucem Domini nostri Iesu. Fuit autem Helena mater Constantini Imperatoris: Quòd uerò ipse Constantinus & eius mater crucem inuenerint, credibile est. Festum exaltationis continet historiam receptæ crucis à rege Persico Cosroa, per Héraclium.

OCTOBER.

Natalis Dionysij, & quòd duo Dionysij fuerint.

IX. *Octobris. Dies est sancti Dionysij. Dicamus igitur aliquid de illo, quis fuerit. Vocabulum Dionysij uenit à* Διόνυσος, *quo uocabulo Græci Bacchũ appellarunt. Significat autem* Διόνυσος *montem Iouis, quo festa Bacchi Dionysia celebrata sunt: quia mali cultus sunt primùm orti à Ioue, nam in montibus sãctæ sunt à Salomone uictimæ, & Bacchanalia sunt celebrata in monte Nyseo: quæ res in horrendas ac detestandas abominationes excreuit. Sicut in Ecclesia uidemus magnas prophanationes esse factas, cùm paulatim discessum sit ab institutione primæ Ecclesiæ, sicut etiam in missa accidit. Hic Dionysius nominatur Areopagita: fuit enim Atheniensis. Ideo uerò addo, nominari ipsum Areopagitam, ut sciamus ipsum fuisse uirum præcipuæ dignitatis, qui conuersus*

est à Paulo Apostolo, ut habetur in actis. Areopagita, id est, senator praecipuus, seu unus ex illo summo senatu Atheniensi. Fuit enim illud praecipuum consilium, & nomen habet ab Areopago, id est, uico Martis, ubi fuit tumulus, & locus ordinarius, ubi exercebantur iudicia capitalia, ut causae cædiũ & quidẽ consultò factarum. Nam & alia erant iudicia, ubi tantum iudicabatur de cædibus non consultò factis, & dicitur ideo uicus Martis, quia ibi factum est iudicium Martis. Nam aiunt Martem accusatum esse aliquando à Neptuno, & iudicio Deorum absolutum in hoc uico Areopago, quia Mars interfecerat filium Neptuni, qui suam filiam stuprauerat. Est exemplum, quòd liceat interficere stupratorem filiae. Extant etiam duae orationes Libanij, altera est Martis, altera Neptuni. Deinde etiam est facta accusatio Orestis. Sic sapientes homines tradiderunt exemplum, ubi sit facienda ἐπιείκεια. Areopagitae dicebantur, qui in templo Martis iudicabant: eorumq; iudicium exquisitissimum habebatur. Nam cùm Mars homicidij reus fieret, iudicantibus duodecim dijs in eo pago, sex sententijs absolutus est. Areopagita fuit senator ex summo Senatu Atheniensium. Vsurpatum quoque fuit hoc uocabulum prouerbialiter, pro homine tetro et seuero. Porrò de hoc Dionysio Areopagita conuerso à Paulo dicitur, quòd cùm uideret tenebras, quae factae sunt in paßione Christi pendentis in cruce, dixerit: Aut Deus naturae patitur, aut natura rerum dissoluetur, Quia uidit eam ecclipsin fieri contra ordinem naturae,

Omnis.

Omnis enim eclipsis Solis fit in nouilunio, aut circiter. Illa eclipsis facta est in plenilunio, quia oportet pascha celebrari in plenilunio, uidelicet quando luna fuit quatuordecim dierum. Ergo, &c. Dionysius primùm factus est Episcopus Atheniensis, & postea uenit in Galliam, ubi tempore Domitiani affectus est supplicio. Diu autem concionatus est, nempe à tempore Claudij usq; ad tempora Domitiani. Fuit enim satis longum tempus inter Claudium & Domitianum. Inter illos siquidem regnarunt Vespasianus, & Titus filius eius. Interea temporis ipse docuit in patria, & Gallia. Nam Gallia tunc temporis fuit plena doctrinarum Græcarum & Latinarum. Maßiliæ enim fuit magna schola. Et dicitur quod Lazarus Maßiliæ condiderit ecclesiam, Dionysius Lutetiæ. Eodem tempore docuit Marcus, comes Pauli, Ratisbonæ, quia Euangelium citò uenit in Germaniam & Galliam, ibiq; propagatum est: quod probatur ex eo, quia Irenæus antiquus scriptor, qui in Syrmio affectus est martyrio, citat illustria testimonia ecclesiarum Gallicarum & Germanicarum de hac quæstione, quæ tunc & nunc certamina maxima mouet, An filius Dei sit persona: in tanta causa citat illarum Ecclesiarum testimonia. Post tempora Apostolorum, cùm fuissent florentißimæ Ecclesiæ, statim factæ sunt uastationes, ita Deus puniuit homines propter Euangelij contemptum. Fuit tunc multum confusionum: Gotthi, Vandali, Hunni euerterunt Ecclesias. Ita magna fuit confusio Ethnicorum, & Christianorum usq; ad regnum Francicum, donec se

Franci collegerunt, & Germaniam, Italiam, & Galliam occuparunt. Illo tempore effusi sunt ex Scotia uerum homines docti, qui restituerunt Ecclesias in Gallia. Per Alboinum Scotum est Academia Parisiensis instaurata, qui fuit præceptor Caroli Magni, & in Gallia inchoator studiorum. Paulò antè uenit Gallus in Germaniam, & docuit superiorem Germaniam, Heluetios & Sueuos. Et ita restituta est doctrina, & ethnicismus repulsus est à temporibus regni Francici. Fuit enim squalor Ecclesiæ, qui post Apostolos secutus est; ubi non amplius fuit ille Apostolorum flos.

Dicitur autem de Dionysio, quando decollatus est, quòd gestauerit aliquandiu caput: quod quidẽ non impoßibile uidetur. Simile exemplũ reperitur in Aristophane, ubi etiam caput post decollationem locutum est, & indicauit latronem alium: quod fuit aliquid singulare, & notatu dignum. Extant hoc tempore libri qui dicuntur huius esse, quod ego non existimo: sed opinor esse libros Dionysij Corinthij, in quibus illud dictum reperitur: Ne graue onus castitatis uel cœlibatus, tanquam necessarium, imponatis fratribus, sed infirmitatis plurimorum rationem habeatis. Fuit hic alter quoq; uir admodum præstans: cuius temporibus cœpit inualescere dogma eorum qui episcoporum & sacerdotum cœlibatum instituere uoluerunt. Refutauit hic quoq; Nouatum, qui existimauit hominem renatum lapsum, deinde non posse conuerti, & non iterum esse recipiendum: ubi ostendit exempla conuersionis. Libros Dionysij misit Michael Imperator Constantinopolita-

politanus ad Carolum Magnum cum instrumento Musico. Existimarunt enim magni Principes, honestum esse sibi inuicem mittere libros. Carolus Magnus curauit eos libros uerti à quodam Scoto, cui sui discipuli effoderunt oculos, qui est primus horum librorum Dionysij interpres. Hoc fuit præmium pro fideli sua institutione. Ortus autem est eo tempore error de transubstantiatione, ob cuius refutationem causam sumpserunt oculos ipsi effodiendi.

XVI. Octobris.

Dies necis Demosthenis.

Hoc die interfectus est Demosthenes. Græci menses computarunt à coniunctione lunæ, & habebant lunares menses: sed intra 18. annos necesse est dies congruere.

Cicero de oratione περὶ στεφάνου contra Aeschinem in qua dicit de suis consilijs, Demosthenis inquit tantam esse eloquentiam in ea oratione, quanta in animis hominum includi possit. Et profecto uerum est: sed fuit inquietus, fuit suasor belli contra Philippum Macedonicum. Mortuo Alexandro fuit suasor noui belli contra Macedones: Ibi Antipater postulauit eum sibi dedi. Suasit uerò Demades, ut dederetur: quia erat ualde utile illum dedi. Cùm esset deditus, uenissetq; unus ex ministris Antipatris ut illum abduceret, uiso ipso fugit in templum. Ex quo cùm non auderet eum rapere, interea Demosthenes intus hausit uenenum, quod habebat in calamo, & sic mortuus est.

Ita magna uis ingenij, & excellens illa eloquentia consumitur in rebus inutilibus & perniciosis patriæ, hæc exempla commonefaciunt nos de aßidua inuocatione, ut Deus faciat nos uasa misericordiæ, & non iræ: quale fuit Demosthenes, qui mouit Rempublicam aliquoties, & tandem ruinæ incidunt in ipsum, ut miserabiliter sibi consciscat mortem: sic transit gloria mundi. Est exemplum præstantis ingenij, ornati excellentißimis donis diuinis, cuius dona non conferuntur ad salutem Ecclesiæ aut Reipublicæ. Sunt anni ab hinc, quando perit Demosthenes, 1781. quia anno post mortem Alexandri perijt, & à morte Alexandri usq; ad natum Christum sunt anni 324.

Postea Cassander filius Antipatris postulauit sibi dedi Demadem. Et Demadi interfecti sunt duo filij in conspectu eius, posteaq; ipse interfectus est. Theophrastus interrogatus, qualis esset Demosthenes? dixit: par Athenis. Interrogatus iterum, qualis Orator esset Demades? dixit: Maior Athenis. Non extant multa Demadis scripta. Fragmentum extat, & quædam eius dicta recitantur. Cùm diceretur de morte Alexandri, & multi disputarent futura noua bella, & quidam metuerent Athenis, dixit Demades: nihil esse metuendum: quia mortuo Alexandro, exercitum eius fore similem Cyclopi effosso oculo: neminem fore, qui ipsos concorditer et prudenter duceret, ipsos sese mutuo consumpturos, & ita factum est.

Est in fragmentis Demadis, orationes Demosthenis esse ὀνόμασι καλάς.

Luce

Lucæ natalis & singulorum Euangelistarum interitus ac in eis memorabiles sententiæ.

XVIII. *Octobris.* *Est dies* Lucæ *Euangelistæ, patria* Antiocheni. *Est autem* Antiochia *urbs* Syriæ, *quæ terminus siue tractus fuit, attributus populo* Israel. Antiochus Antiochiam *appellauerat à suo nomine, quòd fuit* Macedonicum: & *significat idem quod uindex, assertor seu ultor, ab* ἀντὶ νοῦ ἔχειν. Fuit *autem* hic Lucas *professione medicus, & octuagenarius suspensus est* Thebis *ab olea. Imperita illa & stolida ciuitas tam sanctum uirum consumpsit. Fuerunt illi populi semper crassi* Cyclopes: *unde prouerbij loco celebratum est,* Sus Bœotica: *item,* Bœotico *more uiuere.* Docuit *porrò* Lucas *minorem Asiam à* Bithinia *usq; in* Græciam. Fuit *comes itinerũ* Pauli. Exitus *cæterorum talis est:* Ioannes Euangelista *placida morte est mortuus* Ephesi. Matthæus *in* Aethiopia, *infra* Aegyptum *bitumine perfusus est: cuius flamma incensa consumpsit prius idola circumstantia, postea ipsum interemit.* Marcus *docuit* Cyrenæ, *infra Africam &* Aegyptum (*iste tractatus fuit colonia* Lacedæmoniorum *uel* Argonautarum) *postea rediјt* Alexandriam, & *raptatus per urbem, interfectus est.* Ita Matthæus, Marcus, Lucas, *uiolenta morte è medio sublati sunt. Iam considerate quæ sint singulorum propriæ sententiæ.* Iohannes Euangelista *ideo post cæteros scripsit: quia uoluit addere quasdam conciones*

Christi: ut resuscitationem Lazari, & alias quae sunt omissae à caeteris. Haec in Matthaeo peculiariter reperiuntur à caeteris omissa: de Magis, de interfectis infantibus: concio in monte, quae est expositio legis ualde necessaria, item illa memorabilis sententia apud solum Matthaeum: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis. Item: Ego sum uobiscum usq; ad consummationem seculi. Item: ubi duo uel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum, item: Non est uoluntas patris, ut pereat unus de his minimis. In Marco solo sunt hae sententiae: Credo Domine, sed opem fer imbecillitati meae, item: Omnis homo igne salietur, & omnis uictima sale salietur. Bona res est sal. In Luca tantum habentur haec. De Zachaeo, de mißione angeli ad Mariam, de Samaritano, exemplum de filio prodigo. Ista sunt digna consideratione, ut magis fiat familiaris textus. Lucas autem fuit professor duarum doctrinarum praecipuarum, doctrinae de Deo, quam uidetis eum eruditißimè scripsisse. Deinde fuit medicus, id est, physicus, professor doctrinae de natura rerum. Consideratio enim de natura rerum manu ductrix est ad agnitionem Dei. Vnde & primi patres praecipuè professioni medicae studiosi fuerunt, ut Abraham, Isaac, & Iacob: & hac occasione peruenerunt ad principes, quos postea simul in doctrina Christiana instituerunt.

XXXI. Octobris.

Fuit olim consuetudo in ecclesia, ut in festo omnium Sanctorum uenderentur indulgentiae. Ideoq; in

profesto omnium sanctorum sunt primum à Luthero propositiones contra indulgentias, anno 1517. hora 12. ad ianuam templi arcis Vuitebergensis affixæ. Ibi primùm motæ sunt disputationes, & remotæ indulgentiæ à Papistis uenditæ. Fuerunt enim indulgentiæ res mediæ, & tales quæ concedebantur: Græci nominarunt satisfactiones, ἐπιτεμίων, id est, mulctam uel pœnam, quæ delinquenti imponitur. Vocabulum Germanicum Büß, est nomen conueniens satisfactioni: quia cruciabant multos homines istis Phantasijs mulctarum, seu satisfactionum: omne enim nimium uertitur in nigrum monachum, ut dici solet de euidentibus excessibus. Ibi Pontifices & Episcopi instituerunt uenditiones indulgentiarum, id est relaxarunt pœnas canonicas, quæ alioqui fuerunt iniustæ, & tantum ideo uendebant, ut extorquerent pecuniam. Sicut multum pecuniæ conflabant Papistæ isto modo, ita ut Maximilianus Imperator sæpè deliberauerit de abolitione istarum indulgentiarum, etiam ante doctorem Lutherum: sed quo modo id faceret, ignorabat. Postea Lutherus hoc die, hora 12. publicè propositionibus affixis in templo arcis, taxauit istos errores, & reduxit populum ad ueram doctrinam. Annus autem nunc est quadragesimus secundus ab eo, quo hæc incepta sunt à Luthero. Videtis quam fuerit grata causa omnibus eruditis & principibus, quamobrem etiam Principes Luthero fauebant. Sed iam iterum uidetis ingratitudinem mundi erga ministros & doctores in Ecclesia, sicut Pindarus dicit de ingratitudine

homin

hominum, παλαιὰ γὰρ εὕδει χάρις, ἀμνάμονες δὲ ἄνθρωποι: id est, dormit antiqua gratia & homines sunt immemores. Item, Quod dolet meminit, quod placet obliuiscitur. Hæc anno 1559. relata sunt.

NOVEMBER.

V. Dies Nouembris. Dies necis Zachariæ.

Dicunt hoc die interfectũ esse Zachariam, de quo in Euangelio dicitur. Veniet super uos omnis sanguis qui effusus est ab Abel usq; ad Zachariam. Quanquam alij aliter scribunt: tamen Basilius scribit esse traditũ in Ecclesia à ueteribus, quòd intelligendũ sit de Zacharia patre Io. Baptistæ, quem interfecerunt sacerdotes, testificante hunc Christum esse Meßiam, & credo ita esse. Quanquam Ioan interfectus est post patrẽ ab Herode, tamen credo fieri mentionem Zachariæ propter atrocitatẽ insignem, quia in templo est interfectus: & quòd Ioannes non ab isto populo, sed ab Herode interficiebatur, sicut & alij multi post illum sunt interfecti. Quàm multi perierunt tempore Machabæorum? Cogitate quanta res fuerit, istum senem Zachariam interfici? quia non dubium est, eius ætatẽ fuisse admodũ senilem, & ipsum octogesimum, aut nonagesimum annum excesßisse. Hunc Zachariam Deus uoluit esse testem de se: quia præcipua lumina in Ecclesia oportet similia fieri imaginis filij Dei. Cogitate quale spectaculum fuerit, quando Elizabet (quam adhuc credo uixisse) uidit interfici maritũ? Hæc considerantes bene mementote, cur Deus suos electos cruci & afflictionibus subijciat.

X. No-

X. Nouembris. Dies est pugnæ ad Varnam, quando Vladislaus Vngariæ & Poloniæ rex, frater Casimiri, cùm esset accersitus in regnum Vngariæ & Poloniæ, gessit bellum aduersus Turcas, ubi habuit socios Venetos ac Romanum Pontificem. Factæ sunt induciæ cum Turcis. Aliquanto pòst Turci fuerunt in Asia clade affecti. Voluit autem Papa renouari bellum, & disputauit illam pacem non ualere, quia esset sine Papæ authoritate facta. Quare renunciatum est Turcis, illa pacta irrita esse, quæ inita essent ab Vladislao, nesciente Pontifice. Ibi rursus est motum bellum: quanquam dissuadente patre Huniade. & rex Vladislaus interfectus est, & cum eo præcipua pars nobilitatis Polonicæ occubuit. Fuit autem disputatio hæc: An illæ induciæ ualerent, an non? Et fuit tale argumentum:

Pacta facta cum alijs, nescientibus socijs, non debent esse rata.

Socij Vladislai non erant assensi, sed nescierunt illa pacta.

Ergo illa pacta Vladislai sunt irrita.

Respondeo ad maiorem: Pacta cum alijs facta nescientibus socijs, non debent esse rata, scilicet paribus socijs: quando tantundem iuris habent socij, tunc illa pacta non ualent. Illud uerò bellum gerebatur à rege Hungarico tanquam principali, etiamsi habebat auxilia aliarum gentium. Minor est distinguenda. Siue sint pares, siue non sint pares, aliud est loqui de nescientibus socijs, aliud de scientibus, Illa res disputata

est

est tunc magnis contentionibus : quia fuerunt ut inq; Episcopi Polonici & Italici. Hungarici & Polonici Episcopi bellum dissuaserunt, est igitur facta magna clades, & prælium commissum pridie Martini : id est, hoc die, anno 1444. Sunt ad hunc annum 59. anni 115. Breue tempus est inde usq; ad nostram ætatem. Varna non procul abest à Constantinopoli : sint sanè 20. miliaria, credo tamen propius esse. Sunt fortasse 12. miliaria nostratia.

XI. Nouembris.

Dies est dicatus Martino, qui fuit è Sabaria. Vos adolescentuli debetis discere Cosmographica : quia ualde utile est cogitare metas terræ : & quòd non sit infinitum quiddam terra, sed certum spacium, in quo uoluit Deus uiuere genus humanum, & ostendere filium suum. Non amate illos furores Democriticos, affirmantes esse plures mundos : sed in illo unico mundo cogitate, quo ordine, quibus locis ecclesia propagata sit, ubi edita testimonia. Sic Germania hæc nostra patria habet suas metas & limites, quæ his sequentibus uersibus describuntur.

Versiculi Philippi Melanchthonis de finibus seu limitibus Germaniæ.

ῥῆνος ἀπὸ ζεφύρου, βιάδροιο δ' ἔνδον ἀπ' ἠοῦς,
γερμανῶν κρατερῶν γαῖαν ὁρίζει ὅλην.
ἐσχατιαὶ δ' ἄλπεις νιφόεσσαι πρὸς νότον εἰσίν.
ἐς βορέαν πύματος βαλτικὸς ὠκεανός.
εἰς ἠῶ βιάδρος, ῥῆνος δ' ἄπο βουλυτοῦ ὄχθαι,
γερμανῶν χώρας τέρματα ἐστὶν ὅλης.

Vel alio modo. στηριχθη

στηρίχθη δ' ἕρκος νιφόεσσαι πρὸς νότον ἄλπεις,
ἐς βορέαν πύματος βαλτικὸς ὠκεανός.

Rhenus ab occasu, Viadri sed flumen ab ortu,
Clauserunt fines Teutona terra tuos.
Aëriaeq; alpes immotum limes ad Austrum,
Balticus ad Boream terminat Oceanus.

Aliquae sunt factae mutationes. Germaniae finis olim erat Vistula ad orientem, ubi nunc est Cracouia: quae nunc à gente Polonica, quae est illa uetus gens Heneta, inhabitatur. Et Strabo dicit Albim fluere per mediam Germaniam. Cornelius Tacitus dicit Germaniae fines esse ad Austrum alpes, & ad Septentrionem mare Balticum, ad occidentem Rhenum. Sic semper est constitutus Germaniae finis. Et nomina fluminum magis durabilia sunt quàm montium: quia nomina montium mutantur per partes, flumina plerunq; à primo ortu usq; ad finem retinent idem nomen. Ad orientem dixit Cornelius Tacitus esse montem Caetium, & eum dirimere Noricos à Pannonia. Situs est hic mons non procul à Vienna, quem Germani uocant Kalenberg / darvon auch der Pfaff vom Kalenberg ist. Accepit autem Pannonia citò doctrinam Euangelij. S. Martinus docuit Syrmij, ubi Irenaeus est passus. Syrmiū est circa Belgradum, habetq; nomen à Syrmio Getico rege, qui cepit Lysimachum, cui postea dedit suam filiam ut esset pax.

Laudatur eius bonitas, quòd pepercerit clarißimo regi, quem Alexander obiecit leoni, qui percusso leone uitam conseruauit. Fuit uerò natus S. Martinus in urbe Sabaria in Pannonia, non procul à Bresburga,

quæ fuit colonia Claudij Imperatoris, ut Plinius scribit. Quæ urbs nomen (ut opinor) sortita est à flumine: flumen uerò dictum esse credo à faucibus montium infra Viennam. Sabaria item flumen est, unde & ciuitati iuxta hoc sitæ idem nomen est inditum. Fuit autem hic Martinus uir nobilis, miles, & ciuis in illa colonia. Quare etiamsi fuit Christianus, tamen oportuit eum militare sub Iuliano apostata Imperatore. Diu uixit, uidelicet usq; ad Theodosij tempora: uiditq; magnas seditiones sub Maximo, qui fuit rebellis Imperatori. Et quia amabat uirtutem, & ueram religionem, non libenter fuit cũ exercitu Iuliani Athei, qui à Christiana doctrina defecerat: contra quem scripserunt cùm alij, tum Gregorius Nazianzenus, qui egregiè pingit eum, & eius gestus. Martinus itaq; pertæsus (ut credo) consuetudinis Imperatoris, cùm ab eo discessisset, studijs applicauit animum: ac in Galliam profectus ad Hilarium, uixit cum eo familiariter. Cumq; multi essent Ariani, ipse constantißimè restitit Arianis, eosq; refutauit, retinens ecclesias Occidentis in uera confeßione de filio Dei, quòd λόγος sit persona. Cum uerò esset clarus, & constans in ueritate, factus est tandem episcopus Thuronensis in Gallia, ibiq; uita defunctus est, incidit senex in calamitatem temporum, cùm Maximus regeret Galliam, qui aduersabatur Theodosio. Fuit familiaris Maximo regenti Galliam qui multa fecit ex eius consilio. Ita fuit ille Martinus Pannonius, & gubernauit ecclesiam inter magna pericula. Porrò quòd ad patriam eius attinet, sciendum

dum est, post mortem Martini multas gentes occupasse Pannoniam. Nostri homines Gothi ibi tenuerunt partem, & credo illos Transsyluanos esse reliquias ueterum Germanorum. Carolus Magnus non tenuit Pannoniam, sed repreßit Vngaros, et cum eis ad Ratisbonam dimicauit: sicut postea Otto Imperator repreßit eos ad Augustam, et Heinricus pater Ottonis ad Mersburgum. Postquàm accupata est Pannonia, ubi illæ gentes factæ sunt mitiores, didicerunt doctrinam de Deo. Rex quoq; conuersus est ad doctrinam Christianam, duxit uxorem sancti Heinrici Bambergensis. Quapropter deinceps fuit inter eos bona amicitia, & pax propter coniunctionem coniugij, & affinitatem.

XIX. Nouembris. Est dies Elisabethæ. Est autem eius alia Historia, quã matris Ioannis, hoc enim die fit mentio matronæ principis Thuringiæ. Et ut prius de uocabulo moneam, Elizabeth dicitur quies Dei, seu quies donata à Deo. Fuit etiam hoc nomen coniugis Zachariæ, matris Ioannis Baptistæ, sed illa Elizabeth, cuius historia hoc tempore recitatur fuit alia. Et multa sunt memorabilia exempla in hac historia. Hæc enim matrona uixit in exercitijs pietatis insignibus: fuit modesta, posteaquam secuta cruce, exhibuit se in ea tolerantißimam. Nata fuit patre Andrea rege Vngarico, admodum præstanti: matre uerò Germanica Gertrude. Dicunt alij fuisse Bauaricam, filiam ducis Bauarici: quod non est. In aliquibus libris est, quòd fuerit Morauica: utrunq; affine est. Seáfuerunt duces de Mœran, qui tenuerunt Voitlandiam, cuius hæ

fuerunt ciuitates: Culmbach, Blauen, Hoff, &c. Hunc ipsi ducatum uocarunt, das Hertzogthumb zu Moeran, tempore Friderici Barbarossæ: quia post illum ducatus de Mœram facta est diuisio in diuersos præfectos, inde uocari cœpit Voitlandia, & tractus est uetus Variscorum, extrema pars Bohemicorum montium uersus Misniam, & Franconiam. Mater Gertrudis fuit filia ducis de Mœran, nupta regi Vngarico, quæ incidit in magnam calamitatem sua culpa. Fuit apud eam frater, qui procul dubio fuit homo insolens, & ferox. Iste amauit coniugem cuiusdam principis Vngarici, & habuit adiutricem suam sororem reginam, absente marito. Nam rex erat Hierosolymæ in illa expeditione, qua recuperata fuit Syria. Principes Germanici & Italici fuerunt ingreßi in Syriam ante annos quadringentos, & eam recuperarunt, represseruntq; Turcas: alioqui multo citius Turcæ occupassent Græcum imperium, quàm tandem euenit. Fuerunt duæ expeditiones circa ea tempora: in priore fuit Godefridus Bilionensis, ex familia ducum Iuliacensium & Cliuensium natus, qui Hierosolymæ spinea corona, imposito in sepulchrum Christi capite, fuit coronatus: ubi pulcherrimæ res gestæ fuerunt. In secunda expeditione fuit hic rex Vngaricus Andreas, quo absente, coniunx ipsius habuit secum cuiusdam principis coniugem, quam frater ipsius reginæ amauit: in qua re usus est sorore adiutrice, cuius fraude negocium perfectum est. Maritus stupratæ mulieris, interfecit Gertrudem, absente rege. Postea uerò cum

cùm res esset cognita, rex absoluit illum suæ coniugis interfectorem. Credo illam calamitatem matris fuisse causam, quare filia Elizabeth uixerit in tanta modestia & humanitate, ita ut ipsa solita sit seruire pauperibus, & curare ægrotos. Isenaci plurimũ habitauit, et in oppido Haßiæ Marpurgo, ubi & ostenduntur cubicula in quibus uixerit. Isenaci gynæcium subterraneum excisum est in ipsis saxis, ita ut mirum sit homines potuisse retinere ualetudinem in illis saxis, sicut ibi uidi. Sic hæc Elizabeth fuit admodum modesta, temperans, & habuit multa & uaria inuocationis, beneficentiæ, & pietatis exercitia, fuitq́; benefica erga pauperes. Vidi literas donationis factæ ab ipsa, hospitali, in oppido Gottha, quæ simpliciter latine sunt scriptæ, sicut tunc fuit consuetudo: non extant ueteres literæ germanicè scriptæ. Hæc Elizabeth habuit maritum præstantißimum uirum, Ludouicum Lantgrauium, qui fuit uicarius Imperatoris Friderici Secundi, absente uidelicet Friderico in Asia & Italia. Et tunc nominabatur una ditio Lantgrauiatus Thuringiæ, à Marpurgo inde usq; ad Naumburgum. Fuit itaq; potens princeps, & ualuit equitatu, nec paruam sub Imperio suo habuit regionem. Ille bonus princeps uixit summa concordia cum coniuge. Multis rebus in Germania gestis, uoluit proficisci in Asiam ad resistendum Turcis, sicut tunc fuit usitatum, in qua expeditione hic bonus princeps Brundusij est mortuus. Huic succeßit agnatus eius Hermannus, quanquam ipsi natus esset Ludouicus filius, & filia Sophia: tamen adolescens Ludouicus est

mortuus. Scribitur uero, quod Hermannus *eum sustulerit ueneno. Sit sanè, sed ille* Hermannus *post mortem* Friderici *Secundi appetiuit* Imperium, & *habuit fauorem* Romani *pontificis. Postquam eo animo peruenisset* Vlmam, *ubi est interfectus: siuè quod appetiuisset imperium, siue propter alias causas: sicut fuerat inquietus etiam domi.* Mortuo *adolescente* Ludouico, *iste* Hermannus *expulit hanc sanctam & piam matronam* Elizabetham *in exilium. Sic misera sine comitatu peruenit* Bambergam, *ubi in monasterio est mortua. Filia uerò* Sophia *est elocata marchioni* Hollandiæ. *Siquidē nulli erant hæredes ex* Lantgrauijs: *nam* Lantgrauij *eo tempore fuerunt etiam* Marchiones Misniæ. *Venit itaq; ipsa cum marito & filio, petens* Lantgrauiatum *totius* Thuringiæ & Haßiæ. *Marchiones enim* Misnenses *iam ad se attraxerant* Thuringiam. *Implorauit autem auxilia ducum* Brunsuicensium. *Res igitur tandem eo deducta est, ut* Marchiones Misnenses *retinerent* Thuringiam, Sophia *uerò* Haßiam. *Ita facta sunt duo nomina, licet sint eadem insignia. Sic auxilio* Ducum Brunsuicensium *hæredes in* Haßiam *introducti sunt, ac res est composita: hac ratione,* Lantgrauij Haßiæ *habent originem à* Sophia, *filia* Elizabethæ.

XXX. Nouember.

Dies *est sancti* Andreæ: *de quo nihil scimus, nisi quod docuerit in oppido* Achaiæ Patris, & *quod ibi crucifixus sit.* Narrantur *eius miracula, sed qualia sint nescio. Illud miror, si fuerit* Patris, *quando* Paulus *in* Achaia *docuit, nullam fieri ipsorum congressuum* mentio-

mentionem, quia Corinthus uicina est Patris, propter Helicen & Buram, quæ urbes terræmotu absorptæ sunt. Patræ adhuc stant: sunt pauci anni, quando Andreas de Doria cepit eas, sed non diu retinuit. Turci enim iterum illas recuperarunt. Helice & Bura, sunt duæ urbes in Achaia, quæ sunt submersæ temproe belli Peloponnesiaci, ante pugnam Leuctricam. Et hoc signum nimirũ cometa antecessit pugnam Leuctricam, sicut terræmotus excidia urbium, aliaq; signa similia præcedere solent euersionem regnorũ. Harum duarum urbium nominatim fit mentio apud Scriptores, etiam apud Aristotelem: quæ urbes submersæ sunt ut Sodoma & Gomorrha et tamen ex illis immersis sordibus, Deus pro immensa sua bonitate collegit Ecclesiam.

DECEMBER.

VI. December.

Celebratur memoria sancti Nicolai. Est autem hic Nicolaus oriundus ex urbe Patara, quæ est in Lycia, in principio Asiæ.

Fuit episcopus in oppidio Myra, tempore Constantini, & tantæ autoritatis, ut cùm esset sumendum supplicium de tribus militibus, seu capitaneis, qui fuerant calumnia accusati, ipse intercederet, & reprimeret lictorem, posteaq; scriberet Imperatori fieri illis iniuriam, quo audito, Imperator approbauit eius factum. Dicitur etiam quod fuerit beneficus & liberalis erga pauperes. Interfuit senex in synodo Nicæna, fuitq; unus qui approbarunt illum articulum fidei, de diuinitate filij Dei.

XV. Decemberis.

Hoc die collocatum est idolum in templum Hierosolymitanum, quando Antiochus exercuit horribilem sæuitiam ad delendum populum Iudaicum, & eius leges. Habebat enim hanc persuasionem: quia sciebat istum populum rebellare regibus propter religionem, & res magnas gesisse, ac extendisse imperium in uicinam Syriam: uoluit deducere colonias Ethnicas in illam terram, quod durum admodum & arduum, Deus etiam uoluit prædicere, & præmonere tempus uastationis, & finem istius politiæ.

Fuit autem talis uastatio, sicut Daniel testatur, talisq; tribulatio, qualis non fuit ab initio. Templum fuit profanatum, & additum est præsidium. Cogitate quantum scelerum factum sit. In templo facta sunt stupra, raptæ uirgines, senes nonagenarij interfecti sunt, pueri suspensi, stupratæq; honestæ matronæ: Bacchanalia celebrata in ipsa urbe Hierosolyma, quæ eo tempore habuit pulcherrimum templum in toto genere humano. In Bacchanalijs discurrebatur ad publicos concubitus, ita ut Romæ sint collocata præsidia contra Bacchanalia, à quibus multi sic discurrentes sunt interfecti.

Hunc autem mensem ueteres nominant Cisleu, & puto dictum esse quasi Orientalem, uel Orionem, ab Orione: quia Cesil Hebræis est Orion. Quæcunque causa appellationis sit, ego credo sic dictum esse hunc mensem Cesil, propter incertas tempestates. Græci dicunt esse ab οὐρεῖν, id est urinando, sed mihi magis

fit

fit uerisimile, dictũ esse ab ὥρας, distinctione temporũ, quia ipse oriens affert æstatem, & Occidens hyemem.

XVII. Decembris.

Celebratur dies trium uirorum, qui fuerunt in fornace Babylonica, quos Deus mirabiliter in illis flammis igneis custodiuit, & ex eis liberauit.

XXV. Decembris.

Hoc die celebrata sunt Hierosolymæ Encænia, id est, renoualia, noualia uel dedicationes templi. Vocabulum encæniorum est apud Ioannem, ubi Christus ambulat in porticu Salomonis in encænijs: & deriuatur à καινὸν quod significat nouum aliquid, ut quando noua res tribuitur cultui, siue alijs rebus. Celebrata sunt ido encænia, quia hoc die templum à Iuda Machabæo est recuperatum, cultusq́; Dei rursus est repurgatus.

In hac tota commemoratione debetis intueri uniuersam historiam temporum Machabæorũ. Antiochus rex Syriæ fuit similis Caligulæ, & libenter suo regno Palæstinam adiecisset, ut minus esset dissensionum: uoluit tollere religionem Iudæorum, & instituere Græcos ritus, sicut in ipsa Hierosolyma, quæ fuit templum Dei, celebrauit Bacchanalia, multum turpitudinum & libidinum habentia. Idem collocauit idolum Iouis Olympij in templum Dei: addens etiam præsidia, quæ ui illud defenderent, ne ex templo eijceretur. Ita in templo & circa templum quotidie fiebant stupra, cædes, & homines mactabantur: idq́; durauit triennium. Post trienniũ Iudas Machabæus deletis aliquot exercitibus Antiochi, recuperauit templum, instituensq́; cultus diui-

tus diuinitus ordinatos, curauit rectè doceri, & à ijs sacerdotibus sacrificari, quanquam multum difficultatum adhuc superfuit, quia tantum biennio postea uixit: et dimicauit cum exercitu adhuc in urbe, ac in acie periJt. Ita nondũ fuit finis belli, quanquam post mortem eius minor fuit moles belli, & facilè repressa sunt reliqua præsidia, propter eiectum idolum ex templo, unde & restitutis ueris cultibus, celebrata sunt encænia.

XXXI. Decembris.

Vltimus dies anni est, dedicatus Syluestro: de quo tantum hoc scimus, quod uixerit tempore Constantini. Deinde est fabula, quod Constantinus donauerit ei urbem Romam, & imperium occidentis, Italiam & Galliam. Extat quædam constitutio in libris Decretorum, quæ nominatur Donatio Constantini: ubi sic scriptum est, quod donauerit Constantinus Syluestro urbem Romam. Laurentius Valla scripsit refutationẽ: quanquã non opus erat in tam manifesto mendacio. Quod autem illa narratio de Constantino non sit uera, sic probo: Librorum enim qui leges continent, præcipua est autoritas. Aliqui dicunt esse unam paleam, quando titulus in Iurisconsultorum libris de ista donatione loquitur: sed hæc neq; uetus neq; uera est, sed figmentum ab aliquo confictum ad uexandos homines. Non est igitur uera (inquam) quia est impoßibilis. Impoßibilia enim non possunt esse uera: ut si quis scribat asinum uolasse.

Impoßibile est aliquem episcopum recipere gubernationem Imperij, non habentem exercitum, & non administrantem regnum.

Syluester

Syluester est episcopus, & non habet exercitus, nec ui administrat regna.

Ergo *non recipit, etiamsi aliquid tale ei offeratur.*

Alia probatio.

Rex *est persona ordinata à* Deo *ad conseruationem disciplinæ & pacis, instructa potentia corporali, ut possit coërcere contumaces ui corporali.*

Syluester non habet potestatem corporalem.

Ergo *illa donatio est planè commenticia:*

Sic *ex pacto recipientis manifesta est impossibilitas.* Iurisdictio *sine executione est inanis sonitus.* Postea *est impossibilis ex parte donantis, qui non habet ius transferendi illam gubernationem ab imperio in aliquam aliam autoritatem, Sed alterum est illustrius ex persona recipientis,* Exercitus *nunquam paruerunt Pontificibus.* Et Christus *prohibet, ne discipuli sui gerant imperia mundana, in dicto:* Reges gentium dominantur, *uos autem non sic: id est, prætextu* Euangelij *non debetis regna constituere.*

LECTORI.

Hæc tria *monumenta reperies* Basileæ *in summi templi circuitu, & siquidem erant coniuncta cum inferioribus germanicis rhythmis, neque à me illi separari debebant: præterea annum mortis, & diem mensis una cum ætatis tempore, tibi ex diligenti inquisitione in posterioribus adieci, quæ in illis abfuerunt.* His *placuit adijcere inscriptionem tumuli* D. Philippi

Bechij Madici, & docti uiri M. Conradi *Lycostenis obitus diem & annum: quamuis utriusq; epitaphia duplici carminis genere descripserit amicus meus singularis Iacobus Hertelius: quae si uoles, Senariorum suorum libello subiuncta leges.*

DEO. OPT. MAX. ET.
Christo saluatori no-
stro S.

Dn. Iacobum Meierum, huius inclytae urbis consulem prudentißimum consultißimumq;, pietatis sanae cultorem, ac promotorem primarium omnis honestatis, quod in ipso fuit, instauratorem diligentißimum, lapis subiectus contegit.

D. Io. Oecolampadius, profeßione theologus, trium linguarum peritißimus, autor Euangelicae doctrinae in hac urbe primus, & templi huius uerus Episcopus, ut doctrina, sic uitae sanctimonia colendißimus, sub breue saxum hoc reconditus iacet.

Moritur Cal. Decembris, Anno M. D. XXXI. *anno aetatis suae* 49.

Dn. Simoni Gryneo almae huius Academiae rectori, & laude & memoria sempiterna ob linguarum Latinae, Graecae, & Hebraicae peritiam, omnisq; Philosophiae ad miraculum usq; cognitionem, ob Theologiae uerae scientiam & usum digno, monumentum hoc dicatum est.

Obdormiuit in Domino Calend. Augusti, Anno Domini 1541. *aetatis suae* 47.

Anno Salutis. M. D. XXXXII. F. F.

So chr,

So ehr/ gut kunst/ hülffen in noth/
Wer keins von diesen dreien todt.

Inscriptio tumuli D. Philippi Bechij.

Hæc mihi prætereat nemo monumenta uiator,
Non bene qui cineri uoce precetur huic.
Bechius hîc medica celeber cubat arte Philippus,
Qui decus orbis erat totius, atq; scholæ.
Si foret è superis quem ducere sedibus æquum.
Hunc foret, ut miseris ferre ualeret opem.

Herr Philip Bech/ beider artzney Licentiat, vnd der freien künsten Doctor/ entschlieff im Herren den 3. Herbstmonats/ im 1560. Jar.

Decessus ex hac uita Conradi Lycosthenis.

Bonus & doctus uir M. Conradus Lycosthenes Rubea quensis, ecclesiæ Basiliensis minister, ex hac miseriarum ualle in cœlestem patriam emigrauit, octauo Calend. Aprilis, anno Domini 1561. ætatis suæ anno 34. qui ultra illos labores, quibus posteritati profuit, alijs quibusdam incumbebat: quos etiam perfecisset, nisi immatura mors eum nobis abstulisset.

Libet hoc loco duo alia quoque celeberr. atque doctiss. uirorum Epitaphia Hieronymi Frobenij, Sebastiani Castalionis, proximo anno Basileæ item in summi templi circuitu sepultorum, subijcere, quæ sic habent.

D. O. M. S.

HIERONYMO FROBENIO.

Ioan. F. Typographo clariß.
Inter initia Fœd. Heluetij
Basileæ & nato
Sinceræ Relig. & æquitatis
obseruantiß.
De Rep. liter: optumis authoribus
emendatis etq; eleg edendis.
præclarè merito:
Humanitate ac beneficentia
domi forisq; omnib.
charo:
In acerbiß. & diuturnis stomachi
cruciatib. quib. & extinctus est
supra fidem.
Ad extremum usq; patientiß.

M. S. Ergò.
Ambrosius & Aurelius filij
parenti longe chariß.

H. M. Pp.
B. *annos* L XI. M. VII.
D. VII.
O. *anno Christi Seruatoris.*

M. D. LXIII.
III. Eid. Mart.

IOVAE OPT. MAX. S.

Seb. Castellioni Allobrogi
Graecarum lit in Acad.
Bis. professori celeb.
Ob multifariam eruditionem &
uitae innocentiam doctis
pijsq; uiris percharo.
Praeceptori opt. ac fideliss.
Stanislaus Starzechouski,
Ioannes Ostrorog, &
Georg Niemsta,
Poloni,
Vt & Pop. suorum, qui eum
audierant uoto,
Et priuatae pietati
satisfacerent,
Ad publici luctus sol.

H. M. B. M. P.

Obdormiuit in Domino
anno Christi. Sal.

M. D. LXIII.

IIII. Kal. Ianuarij.
Aetatis suae XLVIII.

In eodem circuitu, non procul ab his, etiam tale Epitaphium reperimus, lapidi sepulchrali antiquis literis incisum:

Hic

Hic iacet ore Plato, Cato vita, Tullius ore:
Corpus alit vermes, Spiritus astra colit.

Id uero quia doctorum hominum (inter quos etiam Lycosthenes erat) iudicio Ezelmi *diaconi sepulchrum est, cuius tamen nomen eidem lapidi quoque incisum uix apparet: libuit eiusdem monumentum aliud in cœnobio* Diui Leonardi, *cuius idem prima fundamenta iecisse dicitur, expreßè hic etiam subijcere, quod ita habet:*

D. O. M.

EZELINVS diaconus, vir suæ ætatis eruditionis nomine commendatiss. Rodolphi Basiliensis Episcopi temporibus, hancce structuram Anno M.II. à fundamentis erexit. Quæ consecuto dein uehementi terræmotu Anno M.CCC.LVI. diruta, per præpositos ac canonicos huius ecclesiæ iterum excitata: atq; postremò anno à liberatione humani generis M.D.LV. A prima autem fundatione D.LIII. instaurata, ac in hanc formam renouata est.

Sed & D. Michaelis *Isingrinij, celeberimi Typographi* Epithaphium, *quod inter* Frobenij *& Castallionis tumulo proximum est, hoc loco non prætermittendum uidetur: cui tria item* Basileæ *celebria, sed diuersis locis posita, subijcere placuit, ut pijs tantorum uirorum manibus hoc saltem qualicunq; officio litare nos uoluisse testemur.*

M. ISINGRINII.

Conditus est sub hoc saxo, Michael Issngrinus, vir pietate, virtute atq; doctrina eximius, inter principes typographos Basilienses non postremus, qui ante diem cum summo omnium bonorum luctu in Domino obdormiuit, die tertio Martij, Anno Salutis nostræ M. D. L VII.

Huic tu qui transis pacem requiemq́; precare,
Ac vitæ numerans tempora, disce mori.

BASILEAE APVD D. PETRVM.

Arida Ioannis lapis hic tegit ossa Frobeni,
Orbe uiret toto nescia fama mori.
Moribus hanc niueis meruit, studijsq́; iuuandis
Quæ nunc mœsta iacent orba parente suo.
Rettulit, ornauit, ueterum monumenta sophorum,
Arte, manu, curis, ære, fauore, fide.
Huic uitam in cœlis date numina sancta perennem,
Per nos in terris fama perennis erit.

Parenti Chariss. Mœsta liberorum Pietasq; ad defuncti memoriam luctusq; sui solatium posuit Anno, M. D. X X V I I. Mense Octob.

BASI-

BASILEAE. IN COENOBIO CARTHVSIANORVM. CHRISTO SALVATORIS.

Quo nullus ſuo ſeculo fuit, cùm in excudendis libris nitidior, quod ſumptuoſæ dexteritatis eſt, tum in iiſdem ad ueterum exemplarium fidem reſtituendis diligentior, quod eruditionem & laborem requirit: Ioannes Amberbachius hic cubat, cum Barbara Ortenbergia, ſingularis pudicitiæ fœmina, ac Brunone Baſilioq́ filiis, præpropere quidem hinc ereptis, ſed tanta tamen eruditione ſua trilingui per laborioſiſſ. Hieronymianorum operum recognitionem: quibus docti ubique gentium fruuntur, orbi toti commendata: Bonifacius Amberbachius, parentibus & fratribus optimis, ſed & Marthæ Fuchſiæ uxori ſuæ, chriſtianarum uirtutum dotibus incomparabili, cum Vrſula ac Heſtere duabus filiolis hic quieſcenti: item ſibi ipſi: liberis ſuis ſuperſtitibus, Fauſtinæ, Baſilio, Iulianæ poſterisq́, in fragilitatis memoriam. F. C. parentibus fratribusq́ iam olim, uxore verò in ipſo ætatis flore, cum filiolis haud ita dudum, huc expectandi cenſorii nouiſſimiq́ diei ergo collocatis. Anno M. D. XLIIII. Calend. Februarii.

Illa

Illa meos primum, quæ me ſibi iunxit, amores
Abſtulit, illa habeat ſecum, ſeruetq́; ſepulchro.

BASILEAE, IN COEMITERIO *Dominicanorum.* D. O. M.

Iohannis Petri Langendorfenſis viri raris animi virtutibus & incomparabili ingenio præditi cui informandorum librorum ars multas inſtrumentorum commoditates acceptas fert, ac Barbaræ Mellingeræ coniugis optimæ ſuauiſsimæq́; : nec non Franciſci Fridolini & Ioannis Heinrici liberorum in ipſis vitæ rudimentis ſibi fauſtè parentibus infeliciter extinctorun, hic quieſcunt cineres. Obijt ille XIII. Cal. Maias M. D. XI. hæc VII. Idib. Nouembris M. D. XII.

Io. Frobenius ὁμότεχνος καὶ ὁμόπαξις patrono B. M. ponendum curauit, anno M. D. XIX.

AVTORIS CARMEN, QVOD loco gratiarum actionis compoſuit, cùm diſceſſurus eſſet Baſilea.

Iam mea permenſo meruit ratis æquore portum:
Magnificoq́; ſcholæ Rectori dicere grates
Sulcero nunc hora iubet, doctoq́; pioq́;,
Dedita cui multum Muſis iam pectora debent,
Præcipuè queis cœleſtis Sapientia curæ eſt,
Quæ ſolum uehit ad celſi nos ſidera cœli.

Vix alter melius ueræ docuiſſe ſalutis
Hoc ſene nouit iter. Neq; enim facundior ullus,
Nec melior, nec quem mage ſpiritus augeat almus.
Atq; Heinrice tibi Petri, uigilantia cuius
Ingens, rara fides, ſtudiorum maxima cura.
Et tibi qui nulli modò cedis Oporine, ſpectem
Siue typos nunc ipſe tuos, ſeu maxima dona
Doctrinæ, ingeniiq; tui, pietatis & uſum.
Inde uiris, qui uel de relligione, uel acri
Doctrina legum: Medica uel Apollinis arte,
Vel de Socraticis ſortiti nomina libris,
Cunctis atq; uiris, quibus illa Academia floret,
Quæ Baſilea tuos intra iacet inclyta muros.
Queis me, uitalis dum ſpiritus hos reget artus,
(Debeo ceu multum) multum debere fatebor.
Atq; utinam meritis æquari gratia poſſet:
Non ego non certè, dum grates ipſe referrem,
Præteriiſſe uelim quicquam curaq; laborisq;.
At mihi cum donis longè ſuperata facultas
Deficiat: precor ipſe Deum, ſemperq; precabor,
Hoc placidè longum cunctos ut ſeruet in æuum.

Baſileæ, Anno Chriſti, 1562
Menſe Nouembri.

Rerum Creatori, Deo patri filio & ſpiritui ſancto, ſit laus & gloria, virtus atque maieſtas in omne æuum: Amen.

Vatici-

Vaticinium Ioannis Regiomontani, de interitu mundi.

Post mille expletos à partu uirginis annos,
Et post quingentos rursus ab urbe datos.
Octogesimus octauus mirabilis annus
Ingruet: is secum tristia fata trahet.
Si non hoc anno totus malus occidet orbis,
Si non in nihilum terra fretumq; ruant:
Cuncta tamen mundi sursum ibunt atq; deorsum
Imperia & luctus undiq; grandis erit.

De instabilitate rerum huius mundi.

Omnia sunt mundi, quasi bulla caduca rotundi:
In pratis ut flos, sic perit omnis honos.
Corpora putrescunt hominum, post funera crescunt
Serpentes: uitam quare homo cerne tuam.

Temporis ratio habenda.

Dum licet ingenio ditari, disce iuuentus:
Iste dabit fruges, iste colendus ager.
Cætera fide Deo qui preßis subuenit: ille
Excubias nostro pro grege semper agit.

Quatuor quotidie cogitanda.

Mors Christi, tua mors, infernus, gloria cœli,
Quatuor hæc semper sunt meditanda tibi.

Precatio Ecclesiæ ad Christum.

Audi nunc gemitus, & uota precantia Christe:
Reijce nec surda supplicis aure preces.
Me tibi commendo, tibi me iam porrigo Christe:
Tu clemens famulum protege Christe tuum.

PSALMVS LXXXI.

Deus ſtetit in Synagoga &c.

STat Deus in media turba, cœtuq́; deorum,
Terribiliq́; alios increpat ore deos,
Nunc quis erit tandem ſcelerum modus? omnia iura
Oppreſſa à uobis uiq́; doloq́; iacent.
Nil in iudicijs inopis ualet optima cauſa,
Gratia ſed tantum diuitis illa regit.
Quin uos efficite, ut probitas innoxia ſemper
Præſidio ueſtro tuta manere queat.
Nec circumſcribi pupillos fraude ſinatis,
Iniuſti metuant triſtia iura fori.
Sed nihil hic monitis regum fera corda mouentur,
Nec cæcæ mentes numina ſumma timent,
Nulla uoluptates moderantur uincula legum,
Miſcent arbitrio fanda nefanda ſuo.
Sed meritas olim dabit iſta licentia pœnas,
Conuenietq́; actis exitus ipſe ſuis.
Ecce ego deijciam celſa de ſede tyrannos,
Cum manibus terras ipſe mouebo meis.
Vos equidem eſſe Deos iuſsi, Gnatosq́; uocaui,
Voce mea uobis regna tenere dedi.
Sed repetam titulos, & regni iratus honores,
Et dabitis pœnas uos aliquando mihi.
Vtq́; alij exuti regni cecidere tyranni,
Qui ueluti plebis pars ſine honore iacent:
Sic poſtquam tituli uobis ego dempſero honorem,
Lapſaq́; cùm fuerint ſceptra ſuperba manu:
Vos ignota eritis, contemptaq́; funera, ſicut.

Obſcura

Obſcura uulgus morte perire ſolet.
At tu ſumme Deus ſurgas, terramq́; gubernes,
Abſq; tuo regnum numine ſtare nequit.
Omnes te gentes Dominum metuantq; colantq;,
Omnia ſunt etenim ſub ditione tua.

Carmen Ioannis Stigelij, de meditatione mortis, plenius superiore.

Mors tua mors Chriſti, fraus terræ, gloria cœli,
Et dolor inferni ſunt meditanda tibi.
Viue diu, ſed uiue Deo: nam uiuere mundo,
Mortis opus: uiua eſt uiuere uita Deo.
Quicquid erit tandem, mea ſpes eſt unica Chriſtus:
Huic uiuo, huic moriar, cætera curo nihil.
Quid ualet hic mundus, quid gloria? quidue triūphus?
Poſt miſerum funus puluis & umbra ſumus.

Cuſtodia & cura Dei clementiſsimi erga nos.

Non Deus oſtendit ſe tantum ut corpora curet,
Sed cur ſeruare nos uelit, ille monet.
Scilicet ut ſeſe nobis communicet ipſe,
Semper & ut uiuant pectora plena Deo.
Tunc autem in nobis fulget, tunc pectora complet,
Mens pia cùm diſcit munera noſſe Dei.

FINIS.

LIBELLVS MEDICVS VARIORVM EXPERImentorum, quæ nunquam in lucem prodierunt.

A IOHANNE MANLIO
Ex plurimts D. Philippi Melanchthonis, & quorundam aliorum clarißimorum virorum prælectionibus collectus, ac ab eodem in ordinem distributus.

Inseruimus etiam huic quosdam sales iucundos lectu, cum Decem Tabulis, tam Medicis quàm pharmacopæis valde utilibus futuris.

Cum Præfatione IOANNIS IACOBI, PARETI, philosophiæ & medicinæ Doctoris: Item, Rerum & verborum memorabilium INDICE copioso.

Hunc ego diuina teneo bonitate libellum. IOAN.

IOANNIS MANLII AD TEMPErantiæ & sobrietatis fautores Præfatiuncula.

GRAVE & insigne dictum diui Pauli est, habete honorem corpori: quo multiplicem materiam complectitur. Præcipuè uerò hoc loco quæritur, de discrimine inter hominum & reliquorum animalium corpora. Hanc quæstionem ut appositè explicemus, prius generalia quædam præmittenda uidentur, quæ ad meliorem reliquorum intellectum facient. Primum omnium constat, in brutis multiplices esse umbras, & simulachra plurimùm cum hominibus conuenientia, imò in quibusdam longè homini præstantiora. Exempli gratia, equi suum insessorem, et itinera, quæ semel cōfecerint, agnoscunt: ceruus auditu, aquilæ uisu, canes odore superant homines. Eiumodi qualitates Deus suo quodam consilio animantibus indidit. Veruntamen in ipsis non est actus reflexus, quo honesta à turpius, utilia ab inutilibus discernere ualeant. Adde quod multo minus quæ honesta sunt, præ turpibus eligant, cùm harum semina nō obscura in hominum mentibus deprehendantur. Quæ si quis altius introspiciat, facilè habebit quod ad propositam quæstionem respondeat. Habet autem homo maiora et excellentiora dona: quia ipse est domicilium diuinitatis, in quo Deus habitare uult, sicut pulcherrimè hoc 1. Petri 2. describitur, ubi Apostolus ait: Vos estis domus spiritualis, sacerdotium sanctum, ad offerendas spirituales hostias,

acceptabiles Deo per IESVM Christum. Siquidem uerò Deus in homine habitet: oportet ut ædificium sanctißimæ Trinitatis sit immaculatum ab omnibus huius seculi desiderijs, et iniquitatibus: à quibus uas nostrum custodire in sanctitate iubemur à Paulo, 1. Thess. 4. Deinde non omni tempore interitui obnoxia erunt nostra corpora, sed Deus etiam ea transformabit, & filij sui corpori conformia reddet, sicut Paulus ad Philippenses scribit: ubi tum Deus erit omnia in omnibus. Quare si nostris corporibus debitum tribuere honorem uelimus, utamur illis ad celebrationem nominis diuini, & proximi utilitatem. Hoc autem uarijs modis fieri potest, & debet. Quidam ingenij sui neruos, omniaq; studia eò dirigunt, ut utilibus scriptis nominis diuini celebratio propagetur, & multorum hominum utilitas quæratur. Alij liberales manus porrigunt egenis, & strenuè iuuant honestos piorum inopumq; hominum conatus & labores: inuitati proculdubio insigni præconio, quo Christus sua in ipsis opera (ut cum Augustino loquamur) coronabit. Id quod Matthæi 25. Cap. longo catalogo recenset. Et ut uno uerbo dicam, quiuis suo corpori honestatem potest tribuere, quando uocationi, quam sibi Deus iniunxit & commendauit, sedulam diligentiam suam ac labores tempestiuos cum temperantia mixtos impertitur. Sic e regionè perdimus & quasi occidimus corpora nostra, si excessum diurnis nocturnisq; comessationibus, aut ingurgitationibus, uel etiam immodicis uigilijs faciamus: quod uitiũ, proh dolor, nostram Germaniam grauißimo damno affecit, datq; locum ueteri dicto: plures nimirum gula quàm

gladio

gladio perire. Hac de causa non frustra Saluator noster nos ad temperantiã, propter ingentia mala quæ ex intemperantia sequuntur, adhortatur: Attendite, inquiens, ne grauentur corda uestra crapula, & ebrietate. Quod si nihil aliud temperantiam nobis inculcaret, uel infinita eius commoda id obtinere debebant. Hac enim cordis affectus aptiores ad orandum & puriores conseruantur, & industria animi ad quasuis actiones uocationis nostræ obeundas alacrior fit: ut experientia ipsa testis est. Hæc præmittere uolui, Lector, ut mecum ad maiorem sobrietatem seu temperantiam, multos alios inuitem: deinde ut cogitemus, nos non potui, cibo, alijsue corporalibus uoluptatibus destinatos prorsus esse, sed corporalia bona à Deo in hunc finem esse creata, ut nobis inseruirent. Nos uerò Creatori tribueremus, quòd à nobis postulat. Ad eiusmodi rerum considerationem optima methodo te ducet Libellus ille noster Medicus. Videbis enim, quàm leuibus ac tenuis momenti medicamentis tuam ualetudinem tueri possis: quæ si negligeretur, facilè ualetudo labefactaretur. Sicut eius rei exempla singulæ familiæ nobis præbere possunt. Quisquis ergo corporis sui curam & conseruationem habere, illudq; præseruare à uariorum morborum conflictationibus cupis, hunc nostrum laborem non postremo loco colloca, inter ea studia quæ hac de re possunt tradi. Faciet breuitas compendiosa, ut longè plures inde percipias utilitates, quàm uno atq; altero uerbo tibi prædicare queam. Prius ergo cognosce, quàm iudices, aut despicias. Bene uale,

IOANNIS IACOBI PARETI, PHILOSOPHI ET MEdici, ad Lectorem.

PRAEFATIO.

In qua Medicinæ laus & vtilitas breuiter comprehenditur.

QVanta ſit Medicinæ præſtantia, quamq; honorificè veteres illi verè ſancti & ſapientes homines, de ea iudicarint, vel vnus certe Homerus, vates ſine dubio rerum humanarum peritiſs. abundè teſtatur, qui hanc artem longè pulcherrimo elogio nobilitauit inquiens:

ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Hominem enim Medicum, multis alijs hominibus pręſtare cenſuit: quod Poeta acerrimi iudicij nunquam dixiſſet, ſi non vidiſſet, tantum oportere tribui, tam eleganti rerum naturæ cognitioni. Quid quòd Homero non tantum vetuſtiores, ſed etiam grauiores viri, Medicis diuinos honores habuerunt eosq; beneficentia & ſtudio in numerum deorum ſuſtulerunt? Quod gra-

uiter

uiter quidem illi & constanter fecerunt, vt eorũ ferebat religio: iudicabãt enim illi, hanc sapientiam non humanam, sed cœlestem esse, quæ tam arcanas rerum virtutes, in ipsis naturæ venis reconditas & abstrusas, euoluere, & in lucem proferre posset: neq; hominis, sed Dei esse, tanta hominibus commoda adferre. Quare meritò apud eos in diuino honore erant, à quibus diuina beneficia percipiebant. Principem deniq; locum veteres, inter honestissimas disciplinas Medicinæ dederunt: ut interim taceam Græciam, quæ cum omni genere disciplinarum maximè floreret, Hippocrati eos honores habuit, quos prius Herculi monstra tollenti detulerat. Ex quo medicinæ splendor & dignitas æstimari debet: cùm ea regio, quę sic viris sapientibus præstabat, sic optimarũ rerum iudicio pollebat, Medicinam tam exquisitis honoribus exornarit, vt dignitate eam Herculi minorum gentiũ Deo adæquaret. Quapropter illud studium iam olim fuit tantum regum, principũ et nobilium, nec vulgaris

ris

ris homo, aut explebeio ordine, potuit in illo versari. Nobiles certè familiæ hanc insignem doctrinam apud priscos excoluerunt. Exemplum est ipse Hippocrates, qui è magna gente ad Medicinam accessit. Fuit enim natione quidem Cous, Heraclidæ autem & Phænaretes filius, ab Hercule Aesculapioque genus ducens. Hic igitur cùm genere & opibus magnus esset, ad Medicinam se contulit potius, quàm ad aliud institutum ullum: atque in pulcherrimo hoc cãpo ita expaciatus est, vt nihil intentatum, nihil inexpertum reliquerit, omnia elaborata & summo iure existimata literis consignarit. Eaque versantur in oculis, tenentur manibus, & ad vsum omnino à natura exprompta, & quid possint sapore consignata, atque indicata notis: & à maioribus nostris, ab optimis magistris, nostra memoria explicata sunt, quæ iam deserta ac suppressa iacent, quia neglecta. Hic vno atque altero remedio contentus est, quæ scilicet accepit oraculo, nec vlli reuelanda putat. Sed

ego

ego sic arbitror, optima esse remedia quæ plurimis cognita, plurimis probata sunt. Alteri elementa sordent, & quicquid est elementare: hinc noua elementorum soboles: hinc æther & cœlum ipsum ad remedia exprimenda sunt. Hic abdita naturæ latent, & deliciæ disciplinæ: non aliæ sunt salutis opes, & precia Medicinæ, nisi quæ ἀνασοιχείωσις illa, magna indignatione rerum à natura extorqueat. Parum sarta est vita, & valetudo corporis, nisi quæ magno constat. At contra res habet, quia frugi Medicum oportet curare quàm minimo.

Officinæ componuntur magno, varia suppellex instruitur, vitrea labra, catini, pyramides, folles, aliaq; plurima: temperantur ignes, materia quoq; nuncupato voto, appellato numine, ex ephemeride Mathematica notato cœlo legitur, atq; comparatur: articulantur vasa suoq; luto & argilla compinguntur: alij auræ aditus oblinuntur: alij viæ corniculis patent. Itaq; natura prorogatur, solicitatur flabris, vexatur igne,

igne, conflatur, coquitur, exprimitur, donec resoluatur, secumq; diuortium faciat; ac tam perplexa cura sua Saturno, sua Mercurio & Ioui, sua Soli & Lunæ, ac reliquis Planetis genitura deducitur, atq; hi denuò conflati inter se trans formantur. Hinc diuina & cœlo ducta remedia, quæ dij illi euocati cœlo, & iam fornacibus excocti, suis regibus atq; principibus parturiũt. Putrida verò abiectaq; iacent exprompta auxilia nobiscum nata, & sine impendio parata domi; vulgaris est natura, & fœculenta Medicina elementorũ, qua vulgus & fæcem hominum vti oporteat. Illiberalis scilicet, atq; euidens natura omnia salutis instrumenta intus abstrusit: aut effœta defectaq; succo, nihil contra morbos concepit; vel non parit quidem, nisi conflata, cocta, soluta denique miris artibus exprimatur. Sed hæc vilia sunt et fabulamenta artificum; nulla artis culpa est; quæ à pręclaris ingenijs parta excultaq;, magna supellectile rerum medicinam auxit. Fruamur potius, more maiorum, natura

tura nobis domestica atque familiari: legatur materia nobiscum edita, quamque vltronea natura promit. Alijs autem remedijs veluti externa manu, & auxiliaribus copijs vti conueniet.

In eadem causa sunt, quibus nihil placere potest, nisi quod Indiam loquatur, & extremum Oceanum: qui tantum externa probant, & exoticas merces admirantur. Hunc errorem ignoratio primùm peperit: deinde quia rudibus ingenijs bonarum rerum consuetudo grauis est. Et bona fide oblatæ merces vulgo sordescunt. Quid quòd externa illa longo quæsita mari, grauibus periculis inuenta, insanoque sumptu comportata, exoleta ferè adulterata, suspecta denique ad nos perueniunt? nec alio sæpè momento constant, quàm impostura? An non hæc dementia est, ita subscribere alienis: vieta, euanida ac ferè dubia auxilia sic persequi, vt vigentem domi, extemporaneam, certamque medicinam deseras? Calcantur multa (quemadmodum Herophi-

Herophilus, clarus in Medicina, sensit) & sunt in oculis, quæ cõflatis fusis, recoctis, quæ ex India & rubro mari cõportatis, rectè præferas. Vernaculæ sunt uobis, atque domesticæ naturæ opes, quibus sanitas conseruari, morbus profligari queat. In fæce rerum & excrementis, in carie, in rebus minimis, obsoletis, ac ꝓpè nullis, remedia condita sunt. Veluti paucis in hoc Opusculo cernere licet, ubi remedia quædã verè κυπόριστα, experta, naturæꝗ amica reperiuntur: magnis laboribus, magnisꝗ vigilijs ex D. Philippi Melanchthonis, piæ memoriæ, lectionibus à Doctiss. viro D. IOAN. MANLIO. summo studio atꝗ diligentia collecta, ac comportata: qui suas partes esse duxit, ea in libello hoc, de abditis nonnullis ac mirandis morborũ sanationibus quædam, tumultuaria quasi (vt videbantur) festinatione, ex tẽpore potius effusa, quàm à cura diligentius exarata, iterum relegere, vtcunꝗ in ordinẽ redigere, & in publicũ dare: ne si qua in his esset utilitas, cùm præsentis tum futuri seculi hominibus inuideretur. Porrò

Porrò quantũ ſit illius viri aduerſus
poſteritatem oẽm officium, vel ex hiſce
quæ noſtro ſeculo faciũt homines, licet
intelligere, quorũ ſi quis vel exiguã ha-
bet artis portiunculã, καὶ μικρόν τι τῶν ἐμ-
πειρίᾳ δοκιμασθέντων φαρμάκων, quantum
gloriatur, quantumq; id celare ſtudet:
vt ne amiciſsimis quidẽ cõmunicari ve-
lit. Veluti qui experimentũ habent ad-
uerſus morbũ aliquem, id.n. alij non ex
pediũt, niſi magno ꝓpoſito præmio: aut
ſi ꝓmant, minime tamẽ cæteris id pate-
fieri volunt. At noſter Manlius ille, quę
multis vigilijs, longo tẽporis interuallo
didicit, poſteris vniuerſa effundit, et fi-
deliter depromit: quę ꝓfectò eſt animi
quędã magnitudo illius hominis. Siqui-
dẽ occultatio rerũ non aliunde, quã ex
animi deiectione proficiſcitur. Quapro
pter primũ ab omnib. bonis, qui aliquid
vtilitatis ex labore huius Mãlij, vel ipſi
vel poſteri eorũ percipient, meritò lau-
dari et tueri debet: deinde etiã ab ijs, qui
hortatores & incitatores ipſi extiterũt,
vt hęc et priora poſteritati cõmitteret,
qui à Zoilorũ calũnijs huic poſtremo

ſeculo vſitatis eum defendere, & patronos ſe oſtendere velint. Facilè.n.labor alterius poteſt vituperari, præſertim à talibus qui non ſubierunt. Quiſq; ergò gratitudinem ſuam erga hunc bonum virum, qui in honorem Dei, & vtilitatem poſteritatis laborauit, declarare ſtudeat. Nam tales certé ſunt promouendi ſummoq; amore amplectendi, colendi, obſeruandi, ac omnibus officijs afficiendi: qui non ſolùm ſibi viuũt, ſed etiam alijs quàm plurimis prodeſſe cupiunt: Inſuper huius boni viri diligentia & ſedulitas omnibus prodeſſe poterit, dextrè aliorum labores iudicantibus, quibus haud dubiè rem gratiſsimam fecit. Si qui verò ſunt ſcioli, quibus argumentum calumniandi nunquã de futurum nouimus, ac veluti innatũ eſt optima in peiorem partem interpretari, nulliſq; honeſtis & vtilibus laboribus delectari atq; ſuam cantilenam (ſicut coccyx conſueuit) ſolùm admirari: illis dictum eſto, quod in vſitato & communi Græco prouerbio dicitur: μωμήσεταί τὶς θᾶσσον ἢ μιμήσεται. Ha-

bemus

bemus etiã alia quæ alio tẽpore his ipsis & auaris ceu fucis aliorum laborẽ ad se arripientibus, abundè declarabimus, sicubi huic bono viro sua maleuolẽtia vel auaritia obesse studebunt. Hæc erãt, Lector, de quib. nunc tẽporis te cõmonefaciẽdũ esse duximus. Vale: ac bonorũ doctorũq; labore, sicut apis sedula, fruere.

IN LIBELLVM NVNC MEDICVM SAMVELIS HOLZACHII ad lectorem, carmen.

Artes ad medicas referenda sequentia scripta,
Summo ridiculis margine plena iocis,
Non uni uoluit, sed multis, optime Manli,
Ingenium studijs inuigilare tuum.
Cunctorumq; capax, quæ continet igneus æther,
Arctis limitibus se cohibere negat.

Aliud ad eundem, à quodam docto viro, deq; studijs benè merito, compositum.

Quæris opem medicam si quis, curamq; leuandi
Lethales morbos, hic medicamen habes.
Reperies lepidos hîc, dulciloquosq; lepores,
Quos tibi collectos MANLIA *cura dedit.*
Sæpius ingentes morbi sermone leuantur,
Atq; remittenti sæpè dolore cadunt.

OBSERVATIONES VTILES pro suorum corporum homicidis.

ANcipiti si uis præceps occurrere morti,
Sæpè tibi uenas incidito, sæpè lauato,
Sit cibus immodicus, numerosaq; pharmaca sume:
Sollicitus uiuas, grauibusq; obstringere curis.
At uacans studijs, fœtensq; habitato cubile,
Inuidiaq; frequens consumere, nullis
Viuito cum socijs: uitam sic perdis & horas.

Ein nützlich Regiment / für die / so vor der zeit zum todt eilen.

Wer vor der zeit wil sterben/
Der sol sich vleissig bewerben/
Offt baden vnd Aderlassen/
Fressen vnd sauffen one massen/
Viel wachen/ bekümmern das leben/
Sich in schwere Sorg begeben/
In stinckenden Gemachen wonen/
Mit zorn sich nicht verschonen/
Alle geselschafft vormeiden/
Pillulen vnd Artzney offt leiden/
Das sind zehen güter stück/
Dem gesunden Leben zu vnterdruck.

LIBELLVS MEDIVS.

SYRACH de arte medica dicit: Dedit Deus scientiam, ut conglorificetur in mirabilibus suis; Quibus uerbis significare uult, quòd illa substantialis efficacia in singulis remedijs sit testimonium de prouidentia diuina, & quòd singulæ res ad usus hominum sint conditæ. Deinde sunt etiam quædam res ad animantium conseruationem destinatæ. Illud enim uerißimum est, multos

multos periculosissimos morbos leui cura, si in principio mediocria, & ferè nullius momenti remedia applicata sint, curatos esse. Quod uerò interdum curationes sint infeliciores, id plerunq; fit malicia hominũ, nolentium fidelibus & doctis medicis obedire, iisdemq; temperantiã mediocrem, quam curatio requirit, praestare. Cuiusmodi exempla sunt hæc sequentia

Contemptus medicorum pœnæ.

Quidam ex colloquutoribus in conuentu Ratisponensi laborabat febri, iubebatq; sibi adferri aquam: & uno impetu tres cantharos aquæ exhauriebat. Medicis eum obiurgantibus respondit: Vos medici nostis meam naturam, ego sum robustus Sueuus. Ac paulò pòst ex illa intemperantia moritur, quia, epar antea ualdè calebat: infusaq; nimia aqua, uehementior pugna per antiperistasin facta, debilitatum epar, & eiusdem epatis uirtus calore febrili, accedente illa infusione aquæ, uincebatur: unde statim epatis putrefactio est sequuta.

Bonus et honestus uir Bononiæ incidit in febrim, & fide medicorum ualetudini est restitutus. Cùm uerò minus diligenter custodiretur à sociis, uidit in mensa poculum uini stare, quo arrepto et exhausto rursum in morbum incidit, & febri extinguitur.

Impostores, qui prætextu medicinæ homines fallunt.

Quidam Princeps pulcerrimus, robusto etiam corpore, tantum mortuus est scelere (non dicam inscitia) chirurgi: cùm alii docti medici eum monerent, ne uteretur illa medicatione, Ille optimus Princeps cœperat

laborare pleuritide, quæ initio quidẽ est curabilis, præsertim antequam ad eam febris accedit, si tantu mmodo philosophica ratio adhibeatur: quando uidelicet ægrotus (ut postea indicabimus) bibit succum chamæleontis, & bonam diætam adhibet. Medicus uerò Principis illius, uir excellenti doctrina præditus, & medicinæ non uulgariter expertus, in illo morbo ritè physico more procedebat. Sed Princeps habebat chirurgum, qui obtemperabat eius affectui: reprimebat enim calorem frigida terra, ad plantam pedis explicata: sed ita repreßit calorem, ut rediret ad cor: ubi ita auctus est, ut sic inflammatus Princeps illa medicatione deniq; moreretur. Hæc sunt nobis à fide dignis, qui huic medicationi præsentes interfuere, uiris recitata.

Erat hîc nobilis Pomeranus de Masson, qui curabatur uino Maluatico in pleuritide: erat enim ab indocto medico sic persuasus. Tandem bonus ille adolescens sic inflammatus est, ut spacio tridui moreretur.

Quidam impostor non procul à Torga, curabat luscos oculos, scribendo characteres, & appendendo illis de collo, addens uidelicet hæc uerba Germanicè: Der Teuffel kratz dir die Augen aus vnd scheis dir in die lücken/ id est, Diabolus tibi oculos eruat, & cacet in cauitates. Sic illis fãtasijs multos homines decepit.

Pleuritidis curatio.

Non est magis præsens & subitaneum remedium contra pleurisin, quàm succus ex chamæleonte uulgari herba, Germanicè Marien disteln/ expressus: quem

quem si initio morbi patiens bibat, tunc statim remissionem & leuamen illius morbi sentit. Hoc remedio multos adhuc uiuentes curauimus.

Alia eiusdem morbi curatio.

Memini optimum quendam uirum nobiscum iter in æstu facientem, in conuiuio incalescere (eramus enim apud homines locupletes, lautè cibo & potu pleniore nos excipientes) & laborare pleuritide: cui meus frater dabat pharmacum: quo etiam est usa uxor Doctoris Martini Lutheri. Descendebat frater meus in stabulum equorum, & exprimebat ex stercore equino succum: cui ad fallendum, saccharum inspersit, & ægrotanti hauriendum præbuit, iubens eum simul in lecto dormire. Hac unica curatione ille postridie fuit curatus.

Ego sum curatus in pleuritide, tantum contusa maxilla piscis lupi, cocta & pota. Nunc hanc ipsam ob causam tales maxillas, præsertim in grandioribus lupis, diligentius reseruo.

Colici doloris curatio.

Curaui sæpißimè nostros scholasticos colico dolore laborantes, hoc leuißimo remedio: ut tantùm in locum affectum, saccum auena impletum calefactumq; imponerent: & ita sunt citò curati.

Alexipharmaca, siue Alexiteria.

Est mirabilis naturæ terra Lemnia nam Dioscorides scripsit, hircinum sanguinem misceri Lemniæ terræ, Cuius remedij magnus usus est. Quare Galenus ipse ea loca adijt, ut exploraret certò, quomodo ap-

raretur: comperitq́; naturam esse metallicam, sine mixtura sanguinis hircini. Est *autem hodie in tanto usu, tantaq; admiratione apud* Thraces & Graecos, *ut* Turcicus Imperator *peregrinis legatis terram* Lemniam *inter peculiaria dona dare soleat.* Est *enim terra* Lemnia *optimum & praestantißimum remedium in peste ac dysenteria.* Turcicus Imperator *donauit* Schoppero Legato *Imperatoris aliquot massulas, pro singulari munere.*

Contra scorpij ictus.

Quando scorpius necatur in oleo, illudq́; sauciato à scorpio illinitur, tunc sauciatus curatur.

Contra serpentes in ventriculo natos.

Quidam eques apud nos uenit ad medicum Vlmensem, *Doctorem* Stocker *(qui erat medicus omnium Principum in nostra uicinia, hebebatq́; suam singularem fortunam curandi morbos) dicens:* Domine Doctor, *nescio quem morbum habeam: manè ieiunus uentriculum meum cum magno dolore arrodi sentio.* Tu *nebulo, inquit* Doctor *(erat enim medico familiaris) fortè aliquid mali comedisti, & retinuit eum quatriduum, ac pauit eum ordine, simulq́; à nimio cibo & potu abstinere iußit.* Postea *uerò post longam deliberationem (erat enim ualdè industrius, & artis suae peritißimus) inquit:* Tu *nequam, uorasti semina serpentum, ex quibus serpentes in tuo uentriculo procreatae sunt.* Instituit *uerò curationem hoc modo: collocans eum in lecto, ac admouens eius ori lac ualdè calefactum.* Serpentes *postquam hoc olfecerunt,*

fecerunt, serpere cœperunt ex uentriculo in collum, quarum colla statim chirurgus, iampridem aduocatus, paratusq; cum suis instrumentis, apprehendebat, ac extrahebat aliquot serpentes per interualla. Extractis iam omnibus serpentibus, Doctor indicauit, unde illud malum ipsi accidisset: Tu ualdè sitiens, inquit, hausisti strenuè aquam ex aliqua lacuna, ubi fuerunt semina serpentum. Ille fassus est, se bibisse in Vere: & ita curatus est.

Dominus Hieronymus à Lasco, uirtute & sapientia præstans uir, captus cum rege Galliæ, etiam mortuus est, serpentibus in eius uentriculo innatis, cui nemo opitulari potuit.

Contra serpentum ictus.

Scribit Athenæus, se audiuisse ex quodam ciue, præfecto AEgypti, mirabilem historiam: Cùm essent puniendi quidam sontes, & ij adducerentur ad aspides: mulier quædam dedit eis, recreandi causa, de pomo Citrio. Cum autem obijcerentur aspidibus, uenenum non fuit efficax, & morsus aspidum non nocuerunt eis. Præfectus & iudex attoniti, putauerunt eos insontes esse, & iterum quæsiuerunt, num aliquid comedissent? responderunt, sibi datum esse pauxillum de pomo Citrio. Hoc audientes, postridiè rursus produxerunt eos ad supplicium, & alteri dederunt de pomo Citrio, alteri uero non. Quare cùm iterum obijcerentur aspidibus, ille qui comederat de Citrio, euasit incolumis, alter uerò extinctus est. Tanta est uis huius pomi aduersus uenenum.

Aliud.

Scribitur de quodam tyranno Pontico, qui solitus est ad se inuitare suos ciues, atq; ita uocatis præbere uenenum. Hoc postquam senserunt ciues, quos inuitabant, nec tamen auderent detrectare autoritatem tyranni, sumpserunt prius pauxillum de Citrio condito: sicq; uenenum non fuit efficax.

Matricis doloris curatio.

Scio honestißimam matronam, adhuc uiuentem, laborare morbo periculosißimo matricis, de cuius salute omnes medici desperarunt. Doctor Augustinus, remotis omnibus alijs remedijs, nihil aliud parauit, nisi potionem ex libanotide: quæ herba cordi ualdè prodest. Est .n. mirabilis uis illius herbæ, iuuandi cerebrum, matricem et cor. Hac curatione magnam sibi laudem & autoritatem in medicina comparauit.

καχεξίασ curatio.

Doctor Pontanus & ego ueniebamus in itinere ad quendam senem uirum, qui nos hospitio excipiebat, qui habebat initia hydropis, seu quandam καχεξίαν: & conquerebatur se laborare insomnio. De illo accidente quærebamus, quod nam esset symptoma? Consuluerat uero medicum, qui ipsi dabat potiones frigidas, ad conciliandum somnum. Ille autem querebatur, quantò magis uteretur, tantò se peius dormire. Cogitauimus igitur, quæ esset causa morbi. Ac sic tandem ipsi dicebam. Domine hospes, da nobis bonum uinum, & cœna nobiscum, & utere illo bono potu, nec facias excessum, sed bibe pro siti re-

stim-

stinguenda: & confer te citò cubitum, ac cras dic mihi, utrum melius dormieris: tunc enim de alia causa cogitandum est. Ille obtemperat mihi, et statim post cœnā se confert cubitum. Mane cùm interrogarem, quo modo dormiuisset? Respondit, Se multis mensibus non ita commodè dormiuisse. Inde ratiocinabatur, dicens: Tu habes frigidum uentriculum, iam uerò medicus suffundit frigida, augentia cruditatem. Obtempera igitur mihi, bibe semper bonum uinum, & uesperi maturè te confer cubitum. Ille obtemperauit mihi, ac rectè conualuit, leuationemq; morbi sensit: ita, ut postea multos annos uiueret. Iussi uerò etiam illum interdum uti zingibere.

Καρδιακή: quo morbo Martinus Luterus est extinctus.

Doctor Martinus Lutherus, annum ante mortem suam, uocauit me manè circa horam secundam. Casu tunc surrexeram. Venio ad eum, interrogans, quid esset? O, inquit, habeo magnos & periculosos cruciatus. Interrogaui num esset calculus, Respondit: Non, est adhuc aliquid maius supra calculum. Considerabam arteriam, quæ erat bona. Dicebam: Cor est incolume, non est apoplecticum. At ipse: Magnam habeo constrictionem circa cor, tamen non sentio cor constringi, & neq; aliquid incommodi ex pulsu animaduerto. Ergò argumentabar nihil potest esse nisi humor, in orificio uentriculi ascendens, unde est tanta compreßio, & ille morbus uocatur καρδιακή.

Quæsiui

Quæsiui igitur morbi initium. Ascenderat (sicut erat admodum uerecundus) cloacam, cùm esset magnum frigus: simulq; sensit se frigore affici, & statim illo morbo corripi: nam istud frigus mouerat humores, ut ascenderent. Ibi ego iubebam statim admoueri pannos calefactos, tergi pectus & dorsum, ac mox parari iusculum seu offulam. Prohibui etiam ne biberet mustum, mustum enim tunc biberat. Iußi etiam, ut minister de meo uino afferret: bonum enim tunc habebam Rhenanum. Cumq; gustasset iusculum, mox subsedit humor: & iubebam ut quiesceret, & illis calefactis panniculis uteretur. Postea, quando mortuus est dicunt eum mortuum esset apoplecticum. At non fuit apoplexia, sed mortuus est, nunc nominato morbo: quia paulò ante mortem mihi scripsit, se eo morbo rursum tentatum esse.

Catarrhorum facilis curatio.

Dominus Philippus temperanter uiuens, nullo alio remedio usus est, nisi quòd ex pelui singulis diebus, quibus laborabat catarrhis, sæpenumero ex aqua lauabat manus.

Ophthalmiæ curatio

Contra dolores oculorum D. Philippus propria manu cuidam Polono hæc sequentia scripsit:

R. Aquarum Euphragiæ }
Rosarum } an ℥. I.
Rutæ }

Misce inuicem.

Vtilita-

Vtilitates tres insignes Electri, quod vulgo vocant Augstein.

1. Difficilis partus curatio.

Habet miram efficaciam in mulieribus parturientibus, quæ sunt in summo periculo propter fœtus editionem, quando pauxillum electri in uino contunditur, idq; uino imbibunt, uel quando de decocto pulegij datur: tunc statim ediderunt fœtus. In illis rebus est arcana efficacia, quæ non conspicitur: Estq; res mirabilis, quando matrix adiuuatur electro uel pulegio.

2. Calculi & stranguriæ curatio.

Deinde electrum, inprimis album, contusum, ac uino coctum, uel cereuisia, detur laborantibus calculo uel stranguria, Tunc statim meatus aperit, & materiam calculosam disrumpit, ac expellit.

3. Vtilitas contra apoplexiam.

Dux Ioannes Saxoniæ, pater ducis Ioannis Friderici, optimus Princeps, habebat semper secum in itinere optimum succinum. Accidit forte in arce Altenburg, quod quidam senex consiliarius in proxima mensa Principis, laboraret apoplexia. Idq; animaduertens Princeps, ex lapsu ipsius, mox iussit adferri suum succinum, & accendi, quo fumo ægrotans recreatus est adeo, ut post hoc tempus adhuc multos annos uixerit. Si non fuisset recreatus, statim in eodem momento fuisset extinctus.

Stranguriæ & calculi alia curatio.

Sentiens urinæ difficultates uel stranguriam, aut si quis omnino non potest reddere urinam, is comedat aliquot grana iuniperi. Sic statim dolorum leuationem sentiet.

Simile.

Dux Vuirtenbergensis, in conuentu Schmalkaldensi docuit doctorem Lutherum præsens remedium contra calculum, uidelicet, ut sumeret recentem ollam, usq; ad dimidium recentibus iuniperis impletam, quam postea compleret uino & aqua, in qua iuniperos decoqueret, ad tertiæ partis consumptionem, & de hac potione sumeret haustum unum atq; alterum. Tunc enim secuturam doloris mitigationem & calculi processionem certò sensurum.

Aliud.

Cygneæ quidam habens maximos calculi cruciatus, nullo alio remedio utebatur, nisi lacte caprino, in quo poma cynosbati (Germanicè Heinbutten uel butten) coquebat & in locum affectum imponebat. Sicq; statim processit calculus.

Comitialis morbus an curabilis, nec ne, quomodo inquirendum.

Vsitatissimum est in morbo comitiali, imponere smaragdum laborantibus eo morbo: aut enim frangitur smaragdus in aliquot frusta, & tunc morbus est lethalis: aut manet integra gemma, & ægrotus conualescit.

Pectoris doloris curatio.

Sensi aliquando dolores pectoris maximos, quibus nihil aliud adhibui loco dolorum, nisi coralia. Sic breui temporis spacio dolor pectoris desijt.

Pectus quare tegendum.

Pectus non tantùm propter honestatem, sed multò magis propter ualetudinis conseruationem tegimus. Nam quando pectus nudum ita afflatur corrupto aëre, accidit ut sæpè magnorum morborum caussa sit.

Dentium doloris curatio.

Cornu ceruinum ustum, & uino calido mixtum, saluat dolorem dentium. Et Doctor *Casparus* Lin*deman, de utilitate huius cornu ceruini hæc dixit:* Cornu *ceruinum fore æquandum unicorni & rhinoceroti.* Dubitatur *enim, utrum rhinoceros adhuc sit in rerum natura.*

Melancholiæ curatio.

Lipsiæ quidam (quem credo multis adhuc uiuentibus esse notum) tanta melancholia laborauit, ut crederet se esse mortuum. Is *descendit in cellam, in qua dies noctesq; ambulauit, dicens submissa uoce:* Sum *mortuus, sum mortuus easq; uoces subinde repetiuit.* Amici *uerò cognatiq; eius descendentes ad eum, uolebant eum ex cella educere: ibi ille, Quid (inquit) petitis? aut quid uultis? ego sum mortuus, nolens cum ipsis egredi.* Tandem *excogitatum est à medicis eruditis consilium prudens, ut conduceretur robustus & uorax monachus, quo adducto, apparataq; in*

cella lautißima cœna, monachus cellam ingreditur, aßidensq; mensæ, ructus edit plurimos, simulq; strenuè uorare incipit. Ibi melancholicus prodiens, accedit mensam, interrogat monachum, quis sit? Respondit ille submissa uoce: Ego sum mortuus, Ego sum mortuus. Subiungit melancholicus, audita hac responsione, Quis tu es? Respondit iterum monachus: Ego sum mortuus. Ad hæc melancholicus quærit, Comedunt ne etiam mortui? Respondit, Ita, ueni, aßide mensæ, & mecum comede. Ita assedit melancholicus mensæ, & strenuè comedit, eaq; facetia curatus est, pristinæq; ualetudini restitutus.

Alia Melancholiæ curatio.

Alius quidam eodem morbo melancholico laborans, dixit se habere ranas in uentriculo. Ab hac sententia cùm nemo eum abducere posset, uenit ad eum medicus, petens, ut urinam redderet, qua uisa, medicus promittit se liberaturum eum, si modò ipsi morem gerere uellet. Iußit itaq; medicus sibi adferri ranas uiuas, quas uasculo imposuit, quod collocauit postea sub sellam, in qua neceßitatem naturæ reddebat, simulq; potionem, aliquo modo uentriculum curantem, dabat. Qua sumpta, & naturæ opere peracto, Quærit Doctor, Vidisti ne aliquas materias ex uisceribus tuis elapsas: Respondit, Non. Ibi medicus in medium protulit ollam, ex qua ranæ prosilierunt. Ad hæc ægrotus adiecit, Hactenus non potui ipsis persuadere, me ranis uexatum fuisse, iam reipsa

expe-

experiuntur, rem sic se habuisse, & ita æger sanatus est.

Hydropis curatio

Audiui Pirckeimerum historiam talem dicentem. Paduæ est consuetudo, ut singulis diebus Doctores *medicinæ conueniant in myropolio, & inuicem colloquantur. Ibi accedunt homines, & consulunt medicos. Venit quodam die rusticus hydropicus, & rogauit ut curarent ac sanarent ipsum.* Medici *aspicientes eum, responderunt, non posse curari, nec esse spem aliquam sanitatis. Abijt rusticus plorans: & cùm egrederetur ex myropolio, obuiam uenit ei alius* Doctor *medicus, ac interrogat eum, cur ploret?* Respondet *rusticus: Se quidem fuisse apud* Doctores, *eosq; consuluisse: uerum eos omnem sibi salutis recuperandæ spem denegasse. At statim* Doctor: *Scis cur tibi denegauerint? illi nouerunt tuam intemperantiam, & te non obseruare si quid mandent. Si mihi certò promittis, te obedientem fore meis mandatis, ego te sanabo. Rusticus promittit. Medicus respondet: Abstineas decem dies saltem à potu, & melius habebis.* Non *enim siti morieris. Rusticus discedit, & obedit, & elapso octiduo, reuertitur sanus in myropolium, indicatq; Medico quis sit: ac interrogat quid ulteriùs ipsi sit faciendum, an adhuc diutius à potu abstinere debeat: quia iam se esse assuefactum, ut facile sitim ferre posit. Medicus iubet, ut non multum bibat, sed singulis diebus cantharum. Tantum consuetudo ualet.*

Simile.

Ioachimus Kirsser, medicinæ doctor & Physicus principis Ernesti Marchionis Badensis, simili ratione rusticum Hydropicum ignoranter curauit. Rusticus conueniens medicum, petijt sibi dari consilium, quod in hydropysi sequi possit. Cui Medicus iocosè his uerbis respondit: Si in semestri spacio à potu abstineres, facile curareris. Rusticus existimans hæc à Doctore seriò dicta esse, abstinet per plurimas septimanas à potu, ac indies meliorem sanitatem recuperat. Elapso quadrante anni spacio, rursus alloquitur medicum rusticus, ac totum ipsi negocium exponit. Medicus facti illius iterum recordari incipit: & ulterius rustico nihil aliud consuluit, nisi ut liquidioribus cibis, ueluti iusculis & alijs eiusmodi utatur. Sic ille quoq; rusticus omnino pristinæ sanitati restitutus est.

Apostematis curatio.

Rex Galliæ habuit apostema in loco egestionis, quod fuit curatu difficile: tandem uerò curatus est chirurgi adustione. In quo morbo tantum fuit periculi, ut rex post curationem mille coronatos primùm chirurgo donauerit, & quotannis ducentos sit largitus.

Febris curatio.

Noui quendam Cancellarium episcopi Saltzburgensis, qui fuit meus conterraneus. Ille Romæ incidit in febrim: & cùm non posset ferre sitim (ut homo Germanus) dixit ad Doctores: Date mihi ad bibendum, ego malo mori, quàm ita sitire. Illi re deliberata,

expres-

expresserunt succum de malis Granatis, qui est subacidus: & remedium est in febri, quia suauiter refrigerat. Et sic porrexerunt illi calicem illo succo plenum. Ille statim auide exhausit, dicens: Bene fecistis, quòd me ita recreastis hoc potu. Ibi unus ex eis explorans pulsum arteriæ, sensit pulsum melius se habere. Deinde ipse petit adhuc unum calicem. Illi porrexerunt ei, & simul explorant arteriam, sentientes iam mitigari morbum. Porrigunt igitur & tertium calicem, dicuntq; se sperare meliora. Ita in uita hic seruatus, multos annos in posterum uixit.

Tristicia & mœrore animi extincti.

Doctor Aurbachius Lipsiæ quadraginta annos practicam exercuit. Is sæpe dicebat: Ego quadraginta annos ægrotos uisitaui: reipsa autem comperi plures homines mœsticia & dolore animi mori, quàm uiolenta morte.

Audiui de quodam magni nominis principe, cui mortuo cor est exectum, & inuentum in modum tosti pyri, wie ein dürre bieren. Ita emarcuit uis eiusdem cordis, præ nimia mœsticia, & magno animi dolore, qualescunq; illi fuerunt.

Est narratio de alio præstanti principe, qui magnas res adhuc nostro tempore gessit: Ille etiam in senecta mortuus esse dicitur, præ nimia tristicia, propterea quod putauerat, fratrem suum minorem, in quem multiplicia beneficia contulerat, ipsum è regno expulsurum esse.

Boni vini notæ.

Bonum uinum est, quod primò bene ſapit, ſecundò melius, tertiò adhuc melius, das einem am erſten wol ſchmeckt / vnd zum andern mal beſſer / zum dritten mal noch beſſer. Ratio est, quia ſitis primum impedit iudicium: poſtquam uerò deferbuit ſitis, lingua acutius iudicat: quod ſi quis nimium biberit, tunc omne perit iudicium.

Vina optima vnde cognoſcenda.

Vinum quo est pinguis, eo est halituoſius, & Rhenana uina omnium maximè ſunt tolerabilia, & magis aëria quàm Auſtriaca. Ideo noſter Cæſar Carolus V. plerunq; bibit Rhenana uina: quia minus offendunt caput, & alia membra. Ad Rhenum non ſunt tam multi podagrici homines, ſicut in Franconia, ubi multum bibunt uini, ex quo terreſtri uino homines plerunq; podagrici fiunt.

Varij ſales.

Semimortuus exhilaratus conualeſcit.

Quum Callimachus, præceptor Sigiſmundi Regis Poloniæ, & ſcriptor hiſtoriæ de clade Varnenſi, ægrotaret morbo periculoſo, ita ut nulla ſpes uitæ ſupereſſet, omnes ſerui & ancillæ, ſecum quæcunq; potuerunt, clàm aſportarunt. Id cùm uidiſſet ſimia, puluinar domini ſub capite ſtratum arripuit, illudq; ſub pedibus occultauit, & ad domunculam properare cœpit, inq; eam introducere ui puluinar conata est. Hoc ſpecta-

ſpectaculo Callimachus ita exhilaratus eſt, ut rurſus conualeſceret.

Multi magni morbi quiete & abſtinentia curantur.

Anno 1548. cùm Imperator Carolus V. laboraret ſuo uſitato morbo articulari, creſcentibus doloribus, acceßit ad eum Elector Marchio Ioachimus, & adhortatur ut ipſe adhibeat remedia, & medicos, qui ſuæ Ceſareæ Maieſtati optimè conſulerent, cùm tales habere poſſet. Ibi Imperator reſpondit: O patientia eſt optimum remedium, & in magnis doloribus aliquantulum uociferari: gedult / vnd ein wenig ſchreien.

Signa mortem præcedentia.

Quidam bellator fortis & ſtrenuus, tempore ducis Friderici, Vuitenbergæ ægrotabat, & mei præceptoris doctoris Medicinæ opera utebatur. Ad quem cùm uenißemus, ſurrexit, & induit thoracem cum lorica & gladio. Quæſiuimus ex eo, quid his ſibi uellet? Reſpondit, ſe iter ſuſcepiſſe in ueterem Marchiam: at reuocatum eſſe ex itinere, eo quòd audiuiſſet Turcas aduentare, quibus ſe obuiam iturum affirmabat, ſed paulo pòſt moriebatur. Hæc à quodam Doctore recitari audiuimus.

Ex peſte conualeſcens.

Ante 35. annos fuit Vuitenbergæ operarius peſte laborans, qui ſic erat conſopitus, ut mortuus eſſe existimaretur. Venit uerò pollinctor, afferens pheretrum, itaque tumultuatur (ſicut eſt illud genus homi-

num clamosum, moræq; etiam impatiens) iacens in deliquio animæ excitatur : ibiq; uidet ac audit clamorem eorum qui circa pheretrum erant, ac territus aufugit. Pollinctor insequens illum, reuocat : sed quo magis clamat, eo celerius ipse currit : donec in suburbio exceptus, ac stragula tectus, multum sudaret, sicq; euasit.

De somno & quiete.

Noui iuuenem Magistrum, pulchro corpore, Tubingæ, egressum ex balneis, ac post cœnam mecum & alijs quibusdam bonis adolescentibus extra portam expaciatum : & hastam alijs duobus tenentibus transilijsse adeò, ut uena pulmonis ipsi rumperetur. Ex qua ruptura & fluxione sanguinis intra triduum est mortuus. Idq; ideò dico, ut adolescentes suis iuuenilibus & tenerrimis corporibus parcant, & corporum fragilitatem agnoscant, debitamq; quietem eis tribuant.

Veteres versiculi indicantes quæ tempora negocijs, & quæ quieti tribuenda sunt.

Sex horæ tantum rebus tribuantur agendis :
Viuere post illas litera Zeta monet.

Matutinum tempus est ualde idoneum ad res agendas illis, qui ordine uiuunt. Quando in priore uersiculo dicitur. Sex horæ tantum rebus tribuantur agendis : loquitur de horis inæqualibus, quæ in æstate sunt longiores quàm in hyeme. Primam uerò horam ab aurora seu oriente sole incboauerunt. Quemlibet enim di-

em.

em, siue æstiuum siue hyemalem, in duodecim horas distribuerunt. Inde euenit, quòd æstiuo tempore, siue circa horam secundam aut tertiã, comederint. Sumpto cibo, reliquum tempus, quod superfuerat, tribuerunt deambulationibus, ac alijs iucundis colloquijs. Postea cubitum se contulerunt. Literæ apud Græcos denotant numeros, & Z septenarium designat. Quare ueteres his uersiculis significarunt, peractis uocationis laboribus, liberius uiuendum esse, & aliquid temporis corpori & ualetudini reficiendæ tribuendum.

Quælibet locubratio perniciosa.

Est res omnium perniciosissima, omnis lucubratio etiam sobria: eoq; magis ingurgitantium sese, & potiones infundentium. Quare fugite omnes lucubrationes uespertinas, etiam studiorum, sunt enim (ut sæpe dixi, & dico) lucubrationes corporibus perniciosissimæ. Natura est composita principio noctis ad quietem, eamq; appetit, quæ ipsi est concedenda. Non concedens naturæ debitam quietem, fit homicida sui corporis. Mane autem, sole oriente, cum reliquis diurnis sideribus nostra corpora rursus concipiunt spiritus & calorem uiuificum: quo etiam tempore omnia membra sunt magis idonea ad omnes labores sustinendos. Ego multos periculosos morbos & miserias huius corpusculi mei uito, hac unica ratione, quod semper utor illa diligentia citò eundi cubitum. Experiemini hanc rationem, & fatebimini, uobis esse saluberrimam.

Tempus eundi cubitum & surgendi.

Quando mundus claudit suum oculum (quod fit

ſole occidente) tunc etiam nos debemus noſtros oculos claudere, ſeu dormire: rurſus aperiente ſe mundi oculo, noſtros etiam oculos aperiamus: id eſt, mane ſurgamus. Illud uerò eſt naturæ conuenientiſſimum.

DE SOMNIIS.

DVAE QVAESTIONES DE ſomnijs D. Martini Lutheri, ad quas adiectæ ſunt reſponſiones D. Philippi Melanchthonis.

Prima quæſtio.

LEuitici 15. capite, Deus prohibet obſeruare ſomnia, & iubet ſomniorum interpretes occidi. Quomodo igitur ſomnia obſeruari poſſunt.

Reſponſio D. Philippi.

DVplicia ſunt ſomnia. Primum eſt naturale, quod non tantum hominibus, ſed etiam pleriſq; animantibus conuenit. Somniant & reliqua animantia, ut bos, equus: & hoc ſomnium eſt imperfectum, nec habet ullam certam demonſtrationem: ſed ſunt confuſiſſimæ apparitiones: quas etſi conijcere poſſumus, tamen pro ueritate aſſeuerare non debemus: nec talia ſomnia curanda ſunt. Quoniam ſi qui ſomnijs decipiantur, & credant uera eſſe quæ ſomniant, id eis plerunq; permittente Deo propter incredulitatem euenit, quod timuerunt. Somnia igitur naturalia poſſunt aliquo modo obſeruari, ſi non addatur

tur opinio aut euentus neceßitatis, uel superstitionis. Secundum genus est diuinum, in quo nulla est confusio: imò in tali somnio est certißima demonstratio ac reuelatio Dei, consentiens cum ipsius uerbo, ex qua reuelatione homo dicere potest quid futurum sit. Sed quia diabolus aliquando se transformat in angelum lucis, ideo probandi sunt spiritus. Angelus enim bonus ex iussu Dei reuelat bona, quæ citra controuersiam sunt uera, ut de ijs dubitare non poßit: Sathan uerò sub prætextu boni parat malum. Igitur reuelationes factæ per angelos malos sunt fictæ, diuagantes sine certis demonstrationibus: quæ Christiano refutandæ sunt, tantum absit ut eis credat.

SECVNDA QVAESTIO.

Quare Ioseph & Daniel iuxta mandatum Dei propter somnia non sunt occisi?

Responsio D. Philippi.

Somniorum interpretes, scioli & exquisitores somniorum, occidebantur ex mandato Dei: quia contempto Deo, somnia tantum curabant, & illis plus fidei attribuebant quàm ipsi Deo: ad quos sciolos in omni angustia populus confugiebat. Propter illam impietatem maximam iußit Deus eos è medio tolli. Cæterum Iosepho & Danieli non per incantationes somnia apparuerunt: sed certa demonstratione, & diuina ordinatione. Habuerunt enim spiritum, reuelantem ipsis somnia.

Somnia quæ fiunt circa auroram, uera eſſe creduntur. Cuius rei ſanè Philoſophicæ cauſæ reddi poſſunt. Alia ingenia ſunt magis præſaga alijs: item quidam homines publica, quidam priuata facta præſagiunt.

Somnians belli apparatum.

Nouimus quendam miniſtrum Eccleſiæ, Paulum Knot, *qui fortè in lectione* Doctoris Martini Lutheri *obdormiuit, ibiq; ſomniauit bellum inter duos principes eſſe ortum, ac in ipſo aggreſſu unum ex illis duobus de equo tractum & interfectum eſſe.* Accidit uerò *ut poſt biennium duo præſtantes principes bellum ſibi inuicem indicerent, ubi alter in ipſo belli apparatu moriebatur.* Etſi *uerò ille, cùm ea ſomniaret, quidq; ſecuturum eſſet ignoraret: tamen euentus poſtea ſomnio illius reſpondit.*

Mortem noſtrorum in ſomno præuidere poſſumus.

Anno 1542. pridie *eius diei quo filia* Doctoris Martini *Magdalena moreretur, uidit mater, doctoris* Martini *coniunx, in ſomnis duos adoleſcentes pulcherrimè ornatos, ducturos filiam ſuam ad conuiuium nuptiale.* Mane *cùm accederem matrem, interrogaturus de filiæ ſuæ ualetudine, narrauit mihi ſomnium quod habuerat præcedente nocte.* Ego *expaueſcens, nihil dicebam: ſed hoc ipſum ſuſpicabar, quod* Angeli *cœleſtes ducturi eſſent filiam ipſius ad cœleſte conuiuium, ſicut eo die accidit.*

De

De mortuis pauca somnia habentur.

Interrogaui honestum uirum, Capitaneum in ualle Ioachimica, cuius duo filij erant abducti à Turcis in bello, an etiam in somnis eos uideret? Respondit, se minorem sæpè uidisse, maiorem nunquam. Dixi ei: Videbis illum adhuc uiuere, & paulò pòst ille est reuersus.

Oppidi Vuitebergensis protectionem in somno præuidit.

Coniunx ualde boni uiri, Domini magistri Andreæ pastoris Ibenensis, habuit somnium eo tempore, quo Imperator Carolus V. in suam potestatem Vuitenbergam redigebat. Vidit enim Iridem supra hoc oppidum Vuitenbergam, & Christum astantem & manu iridem tenentem. Hoc significauit proculdubio, quòd Deus uoluerit nos castigare, qui tamen sua manu eam castigationem rexit. Quia magnum miraculum & Dei beneficium fuit, Imperatore usq; adeo irritato, & irritatis suorum animis, ipsum, cùm iam esset uictor, ita ex his regionibus discedere. Ita Deus in medijs periculis pro sua clementia adest, ac euentus nobis tolerabiles largitur.

Cùm mortuus esset Cancellarius ducis Saxoniæ Electoris, pater Christiani Beirs, delatum est illud munus Cancellarij ad uirum clarißimum doctorem Pleicard. Is, ut erat prudens, cùm diu secum deliberaret, recipere ne an recusare tantum onus uellet, tandem somniauit, se sedere in quodam aulæ conclaui, & plurimos serpentes dextrum suum pedem inuadere. Excitatus igitur à somno, denegauit aulicis suam operam, in isto munere obeundo.

Mor-

Morborum remedia in somnis iudicantur.

Laboraui ante annos aliquot fluxu satis periculoso in dextro oculo, ac usus sum multiplicibus medicamentis: & tamen nihil me proficere sensi. Somniabam uerò, me consulere Doctorem Philonem Medicum, qui iubebat me uti Euphrasia: qua usus, statim intra biduum sum curatus.

De nostris defunctis nulla aut rara somnia habemus.

Cùm essemus in conuentu quodam, & nobiscū unà reuerendus uir doctor Ionas, ibi accepi literas, quibus mihi significabatur, Doctoris Ionæ filiam grandiorem natu esse mortuam, simulq; uetebatur ne citò illi hoc indicarem, ne territus in morbum aliquem incideret. Ego itaq;, cùm post prandium ad mensam sederemus læti, interrogaui: Domine Doctor, quale hodie habuisti somnium? Ille respondit: Dicam tibi libere. Visus sum mihi domum redire ad meos liberos, ibiq; ab omnibus porrecta manu salutari, præterquam à filia maxima natu, quam deinde circumspiciens nusquam comperi. Ad hæc ego respondi: Verum est, D. Doctor, somnium tuum: maior filia tua non nisi in futura uita te excipiet, quia mortua est. Quo audito, intrauit cubiculum, & satis lachrymarum effundebat. Postea rediens dixit: Domine Philippe, habeo tibi gratias pro consolatione, ac deinceps animo hilariori erat præditus.

Dormienti cuidam, duo nobiles in somno apparuerunt.

ruerunt, quos uiuos agnouit, cùm iampridem essent mortui. Illi eum excitabant, ac promittebant nullum periculum ipsi fore si surgeret. Quo facto, iussus est scribere literas, ex eorum ore dictatas. Deinde mandauerunt ut potenti cuidam offerret, & ita euanuerunt: quas postea potenti illi obtulit.

Scabiei curatio in somnio significatur.

Narratur historia de Aspasia, quòd laborauerit scabie in facie, cùm tamen fuerit eo tempore omnium uirginum pulcherrima: quam scabiem in facie nullus medicorum curare potuit. Tandem ipsa somniat, se debere sumere rosas ex Veneris capite: easq; aqua conspersas suæ maculæ imponere. Id cùm fecisset, rursus conualuit.

Præstantes gubernatores magnis apparitionibus ornantur.

Alexandro in somnis apparuit species pontificis Iudaici, hortantis eum, ut susciperet expeditionem contra Asiam. Fuit angelus quispiam, qui fuit ei excitator ut id faceret. Cùm uenit Hierosolymam, desiliit de equo & præstitit reuerentiam summo sacerdoti eunti sibi obuiam. Omnes duces mirabantur, quare hoc faceret: Ista species, inquit, quam nunc uideo, apparuit mihi in somnis, & me adhuc in patria morantem ad has expeditiones uocauit, dicens, se mihi fore uictorem.

Commemorat Iohannes Keisersberg, Theologus quondã Argentinensis, de quadã uenefica, quæ concionatorem, tales ludos Diaboli reprehendere, & somnia dicere solitum, domum suam duxerat, probatura ei non

esse

esse somnia. Eam igitur, cùm lintre pistorio se collocasset, obdormiuisse: ac deinceps gesticulatam manibus, capite & toto corpore, tanquam uolaret & saltaret: quoad tandem lintre euerso, caderet in pauimentum, ac non sine uulnere excitatam, narrasse mirabilia quæ uidisset, & gessisset interea: sed conuictam esse tandem uulnere, quod semper fuisset præsens.

Eiusdem farinæ sunt, qui in locis septentrionalibus sunt frequentes, qui uidentur sibi in lupos mutari, ac dilaniare paßim pecora, duci à suo quodam principe ad horrea, ablatum inde frumentum: sed illusi, nihil reportant. Confeßus cuidam fide digno uiro, Rigæ in Liuonia, Lycanthropus est, se clauso carcere, in quo coercebatur, ipso die Paschatis esse profectum ad suos, uxorem & liberos uisendi causa, per multa milliaria. Quærenti, Quomodo euasisti è carcere? respondebat: Facile. Sed magna flumina erant tibi traijcienda. At ille: Transuolaui flumina. Quid dicebas tuis? Quid dicerem? circumibam protento rostro, ut lupus, olfactu uisuq; explorans quid rerũ gererent: Quare reuersus es in carcerem, semel elapsus? Tum ille: Redire necesse erat. Quis non intelligit hæc esse ludibria & somnia diabolica, quibus Satan illum uirum excæcauit?

Alexander obsedit Tyrum sex mensibus, & magnis adhibitis machinis, tandẽ expugnauit eam. Semel sopitus interdiu, habuit somnium, in quo uidit Satyrũ ante se ludentẽ: quem cùm uellet præhendere, diu non potuit: sed tandem tamen præhendit. Aristander uerò eius uates, ab ipso interrogatus quid esset? dixit ridens. Sa Tyrus: id est tua est Tyrus. DE

DE SOBRIETATE.

Augustinus in libro Confeßionum scribit de sua matre, hanc in prima ætate mira diligentia ad sobrietatem à nutrice assuefactam esse. Neq; enim licuit ei uinum aut aquam, nisi in iusta cœna aut prandio, bibere. Nutrix interrogata, quo consilio etiam puellis aquæ potu interdiceret? respondit: Nisi ea ætate sitim perferre discant, postea matronas factas, cùm copia uini datur, simili intemperantia uino se ingurgitare, quæ nunc aquam bibunt. ταμεῖον γὰρ ἐστ' ἀρετῆς σωφροσύνη βροτοῖς: id est, Virtutis enim est humanæ sobrietas penus.

Xenophon scribit, Socratem intemperantes in cibo & potu monuisse, ut cauerent ne uescerentur ijs dapibus, neue potu eo uterentur, unde lenocinijs dulcedinis prouocatis, appetentia edendi bibendiq; crescere posset: ὡς ἡδὺ πᾶν τὸ μέτριον, οὐδὲ ὑπερβάλλον: id est, quàm suaue est omne moderatum, & non superfluum seu superabundans.

Attendite inquit Christus, ne grauentur corda uestra crapula & ebrietate, & curis huius uitæ. Significat hoc postremo tempore futuram barbariem multo maiorem, quàm antea fuit, etiam nostra memoria. Sæpe cogito, quomodo uixerit illa familia Heydelbergæ, ubi etiam comites & nobiles unà cibum capiebant. Putabatur tunc esse lautißima mensa, in qua ego etiam eram: sed tamen erat maior frugalitas, quàm nunc est. Memini Capnionē, diuitem uirum, non pluribus quàm duobus ferculis in prandio uti: uesperi uerò, unico

erat

erat contentus. Solebam illi adducere Scholasticos, meos commilitones: quia delectabatur iuuenum consuetudine. Doctiores mecum ibant propter bibliothecam: habebamus enim pulcherrimam bibliothecam, ubi uidebamus ueterum monumenta. Visa ad libitum bibliotheca, postea hortum accedentes, lusu aliquo nos recreabamus. Sic igitur semper ipse erat contentus duobus ferculis, aut ad summum tribus in prandio: & uesperi unico. Ipse bibebat loram: nobis non permittebat bibere eam, sed dabat nobis uinum.

Nos adolescentuli omnes eramus contenti tota septimana duobus cantharis uini, ita ut quisq; in prandio haberet octauam partem mensuræ, tantundem in cœna. Sic ego uixi, & multi alij & tamen fortaßis non minus pulchri sumus, quàm illi qui totum cantharum uno haustu ingurgitant. Si essem in illis locis, adhuc ita uiuerem.

Post pugnam Ducis Saxoniæ Electoris Ioannis Friderici, factam ad Mulberg, in qua multi nobiles sunt capti, dixit mihi quidam, qui tres dies ieiunauerat, quibus nihil comederat neq; biberat, se tunc tam bene dispositum fuisse, quàm nunquam antea fuerat in tota sua uita: quia nunquam fuerat sobrius per multos annos. Corpus uerò alioqui non ægrotum, multo melius facit omnia officia, & multo rectius etiam dormit, quando non adest cruditas: ut nobis omnibus satis bene constat.

Spartæ fuit consuetudo, ut fungentes officio magistratus, per id tempus à uino abstinerent. Existimo etiam

etiam inde uenire illud, quod Turcici Imperatores non bibunt uinum.

DE INTEMPERANtia & Ebrietate.

Plato in Epiſtola quadam ad Dionis propinquos, de ſua in Siciliam peregrinatione ſic ſcribit: Vita illa beata, quæ ferebatur plena Italicarum Syracuſanarumq; menſarum, nullo modo mihi placuit, bis in die ſaturum fieri, neque unquam pernoctare ſolum: cæteraq; quæ comitantur hanc uitam, in qua ſapiens nemo efficitur unquam, moderatus uerò multo minus.

Pittacus Mitylenæus tulit legem, ut ſi quis per temulentiam aliquid ſceleris commiſiſſet, duplo grauiore pœna plecteretur: quòd cauſa ipſa, quæ eum ad peccatum impuliſſet, grauius etiam peccatum eſſet.

In conuentu Ratisbonenſi, cùm uinum ualde bonum creſceret, & multi Germani ex longioribus compotationibus eo anno morerentur, ueniebant quidam ad Imperatorem Carolum V. petentes ut legem ſanciret contra compatatores, Reſpondit ijs Cæſar: Quid faciam? Tantum efficiam apud Germanos, prohibendo ebrietatem, quantum ſi Hiſpanis prohiberem furta.

Venerant huc ex Torga duo principes laudatiſſimi, Dux Erneſtus Luneburgenſis, & Henricus Megalopolenſis. Erneſtus dicebat: Domine Doctor, uolumus omnes eſſe Chriſtiani, ſed non poſſumus deponere illud uitium helluationis. Doctor Martinus reſpondit: Darzu ſolten die Herren thun. Voluit dicere: Principes deberent curare, ut tolletur iſtud uitium. Aſſidens ei dux

Henricus, inquit: Hoc facimus domine Doctor, Denn wenn wir Herren nicht darzu theten / so wer es lengst abgangen.

Gregorij Nazianzeni contra ebrietatem versus, quem omnes iuuenes scire debent.

Οἶνος ἐρεθινικόσι χόλου πλεὸν ἐστὶν ὄνειδος, non rectè exponitur sic: Ebrietas est magis dedecus quàm ira, non enim est comparatio ebrietatis & iræ. Sed dicitur de ira alterius, ut sententia sit: Maius dedecus est, quam cui alij satis irasci poßint. Iuuenalis inquit: *Quid enim Venus ebria curat?*

Species ebrietatis.

Bis sex, credatis, sunt species ebrietatis:
In multis primus sapiens est, alter opimus.
Ternus grande vorat, quartus sua crimina plorat.
Quintus luxuriat, sextus per numina iurat.
Septimus contendit, octauus singula vendit.
Nonus nil celat, quod habet sub corde reuelat.
Somnum denus amat, vomitumq́; facit duodenus.

In Salinis Doctor quidam medicinæ minime curabat temperantiam, quæ præcipua est medica uirtus: ipse (inquam) & alius quidam Iuris prudentiæ Doctor, unà fortè ad compotandum sedebant. Cùm autem diu potassent, sicut Doctor Iuris prudentiæ plurimum potare assueuerat (bona laus scilicet Doctoris) medicus procidit in mensam. Cùm autem Iurisconsultus putaret eum dormire, ideoq́; excitare uellet; ibi primum animad-

animaduertit ipsum esse extinctum. Hæc sanè egregia sunt & doctoralia certamina: Ist schad/das nicht Theologi sein gewesen. Fuit uerò unus Iurisconsultus, alter Medicus.

Concessi sunt bibentibus tres haustus: quorum primus est restituendæ sitis caussa: secundus, somni & salubritatis, tertius hilaritatis causa (hic per hilaritatem non intelligo ebrietatem, quia non debes bibere ut fias ebrius) postea quartus est furoris & ebrietatis, ab hoc planè abstinendum est. De hac enim re multa ueterum dicta extant, sicut & hoc est:

Sint tempestiuæ cœnæ, lætæq́, breuesq́.

Vos autem econtrà hanc sententiam inuertentes, totas noctes potatis. Insuper etiam nihil boni bibitis: læditis uestra corpora: potus debet uitæ, somno & salubritati prodesse. Debet etiam exhilarare, præsertim nos seniores: oportet & somni caussa, etiã cum non sitimus, aliquando pitissare, ut facilius obrepat somnus, aut retineri somnus posit. Hoc uerò est bibere salubritatis causa. Postea additur haustus hilaritatis causa, si quis bono adsit amico: tunc demũ enim conceditur. Sicut nuper dicebam ad Stigelium Lipsiæ: Poëticũ haustum esse, de bono corde bonum uinum mediocriter bibere. In loco igitur paulò hilarius bibere, dummodo mediocritatem non excedat, non est turpe, aut illicitum. Quia Deus uult haberi honorem corpori. Sic omnia procedunt ex hoc principio, HABETE honorem corpori: id est, non perdite corpora uel nimium abstinendo, uel ingurgitando immodico cibo aut po-

tu utrumq; membrum curandum est: bonos est habendus corpori, ut sit organum Dei, uitandum utrumq; extremum, ne uel superfluitate uel immani abstinentia lædatur. Ex hoc principio procedunt hæ uirtutes: temperantia, sobrietas, & id genus reliquæ.

Bibitur aliquando plus cereuisiæ quàm uini, quia est tenuis. Quanquam credo nostros Germanos ueteres fuisse robustissimos homines, & habuisse ualde bonam ceruisiam, quæ fuit saluberrima, auxit sanguinem, eumq; optimum generauit. Bonus & salubris potus est cereuisia rectè cocta, sicut olim habuimus ante 30. annos. Iam corpora corrumpuntur, quia potus est deterior, res profectò deploratione digna. Magistratus exugunt non tantùm marsupia, sed etiam robur & sanguinem subditorum, nam hæ subditorum exactiones efficiunt, ut non poßit amplius bona cereuisia coqui. Non dico maledicendi causa, sed deploro tantum illas communes & publicas calamitates. Mihi non minus quàm alijs æquo animo ferendum est, publica cùm sit calamitas. Ruunt enim regimina in deterius: quod deploremus.

Optimus quidam princeps in conuentu quodam manè uenit ad Doctorem Pontanum, & dixit: Domine Doctor Pontane, præbe mihi manum tuam. Pontanus respondit: Quid? Vis ne me capere? Non uolo, inquit, sed uolo tibi aliquid promittere. Ibi cùm porrexisset ei manum, dixit: Promitto tibi, quòd non uelim ita posthac potare uesperi. Nam inter potandum multa liberius dicimus, quorum nos postea pœnitet.

Parisijs

Parisijs, quando purpura præparatur, tunc artifices inuitant Germanicos milites & studiosos: qui libenter bibunt: & eis præbent largiter optimum uinum, ea conditione, ut postea urinam reddant in illam lanam. Sic enim audiui à studioso Parisiensi.

Comes de Schwartzenburg propinans alicui Domino bonum haustum, dixit: Es gilt ein Lutherischen trunck: Ille non satis dictum assequens, quærit de illo hausto, ibi comes dixit: Die Lutherischen sehen auff den grundt, sic ego totum poculum exhauriam, biß ich den grundt leer sehen kan.

Ante annos aliquot crescebat ualde bonum uinum, anno uidelicet 40. quia erant magni æstus. Computabantur ea anno in ducatu Virtenbergensi à consiliarijs Ducis 400. homines, & amplius, qui erant interfecti in conuiuijs ab autumno usq; ad primam Dominicam quadragesimæ.

Hispanus quidam, cum Imperator Carolus V. bellum inferret Germaniæ, dixit: Nihil aget uobiscum de religione, quia scit uos esse ebrios. Vult igitur prius uos sobrios facere, id est castigare: & postea aget de religione.

Pardi & pardales non capiuntur nisi inebriati uino, quod olfacientes ueniunt (in illis enim locis ponuntur cymbæ plenæ uino) & auidè hauriunt, posteaq; concunbunt: & ita sopiti uino & Venere, capiuntur. Sobrij uerò non capiuntur: quia tanta sunt celeritate, ut omnia tela possint excutere. In prophetia Danielis, Macedonici reges comparantur pardali. Talis

enim fuit Alexander Magnus, & pater eius Philippus, & alij acerrimi uiri, qui se tandem uoluptatibus dediderunt.

MEDICAMENTORVM OMNIVM, QVAE *NOSTRO TEMPORE AD* PVBLICA MVNIA, ET IN COMmuni practicantiũ sunt vsu, atq; in officinis extant, Tabulæ breuissimæ: ex antiquorum Medicorum præscripto, vt Syluio, &c. cum ijs qui medicum opus factitant, tum Pharmacopæis vel maximè vtiles ac necessariæ.

DE

DE SYRVPIS VNVMQVEM- libet humorem concoquentibus.

Tab. I.

Præparant

- Pituitã.
  - Clementiora.
    - Mel. ros.
    - Oxymel S.
    - Oxymel comp.
    - Sy. acetosus.
  - Valentiora.
    - De duab. radicib.
    - De quinq; rad.
    - Oxymel scyllit.
    - Sy. de stœchad.
  - Aquæ
    - Fœniculi
    - Apij
    - Absynthij
    - Saluiæ
    - Nepetæ
    - Asparagi
    - Menthæ
    - Petroselini
    - Dec. rubeæ
- Bilẽ flauã,
  - Clementiora,
    - Syrup. uiolaceus
    - ros. ex infusione
    - de succo ros.
    - de endiuia
    - de cichorio S.
    - de cicho. cum rhab.
    - de succo acetos.
    - de agresta
    - de Nymphæa.
  - Aquæ
    - Violarum
    - Endiuiæ
    - Acetosæ
    - Cuscutæ
    - Lactucæ
    - Portulacæ
    - Nymphææ
    - Cichorij
    - Plantagi.
    - Solani.
  - Valentiora
    - Oxysaccharum
    - Syr. de granatis
    - de limonibus
    - de acetositate citri.
    - Rob. de ribes

Bilē atrā

- **Clementiora**
  - Mel. rosſ.
  - Sy. de lupulis
  - Sy. de fumaria
  - Sy. de byſantijs
  - Oxymel S.
  - Oxymel cōpoſ.
  - Sy. de bugloſſa.
- **Valentiora**
  - Sy. de thymo
  - Sy. de epithymo
  - Sy. de pomis
  - Sy. de calamento
  - Sy. de ſcolopendria.

Aquæ

- Meliſſæ
- Baſiliconis
- Lupulorum
- Fumariæ
- Abſynthij
- Boraginis
- Bugloſſæ
- Scolopendriæ
- Maioranæ
- Florum ſambuci
- Florum geniſtæ.

SYrupos hodie practici aquis diſtillatis commiſcere ſolent, & ita potandos præbent, obſeruantq; ut ſit dupla aquarum menſura ad unam ſyruporum. Syruporum autem & aquarum mixtionis quantitas non tranſcendere debet unc. iiij. Exhibentur uero omnes Syrupi magna ex parte ſummo mane: interdum etiam ueſperi circa ingreſſum lecti, illi potiſsimum, qui ſomni conciliandi gratia ſumuntur.

DE SYRVPIS ET AQVIS *cuilibet membro appropriatis.*

Tab. II.

Syrupi concoquentes pituitam in	Capite,	Mel rof. Sy. de ſtœchad. Aquæ	Saluiæ Betonicæ Maioranæ Roriſmarini.
	Thorace,	Mel uiol. Sy. de hyſſopo Sy. de praßio Sy. de calamento. Aquæ	Scabioſæ Capilli Ven. Hyſſopi Saluiæ Enulæ campa.
	Ventriculo,	Mel roſ. Sy. de mentha Sy. de abſynthio. Aquæ	Menthæ Abſynthij Meliſſæ Fœniculi.
	Iecore,	Sy. de abſynthio Sy. de eupaterio Oxymel S. Oxymel compoſ. Aquæ	Cuſcutæ Cichorij Abſinthij Apij Eupatorij
	Liene,	Sy. de eupatorio Sy. de thymo Sy. de calamento Oxy. S. et cõpoſ. Aquæ	Cuſcutæ Geniſtæ Scolopend. Calamenti Bugloſſæ.

- Concoquētes bilē flauam in
  - Renibus,
    - Sy. de duabus radic.
    - Oxymel cōpos.
    - Oxymel S.
    - Aquæ
      - Asparagi
      - Saxifragiæ
      - Fœniculi.
  - Vtero
    - Sy. de arthemisia.
    - Sy. de rub. tinctorū
    - Oxymel S. et cōpos.
    - Aquæ
      - Arthemisie
      - Matricaria
      - Melissæ
      - Nepetæ
      - Fœniculi.
  - Capite
    - De Nymphæa
    - De Papauere
    - Aquæ
      - Lactucæ
      - Plantag.
      - Nenuphar.
  - Thorace.
    - Sy. uiol.
    - De iuiubis
    - De liquiritia,
    - Iulep. uiol.
    - De Papau.
    - Aquæ
      - Hordei
      - Viol.
      - Capill. Ven.
  - Vētriculo.
    - Acetosæ
    - Sy. myrtillorum
    - De cidonijs
    - De agresta
    - De succo acetosæ.
    - Aquæ
      - Lactucæ
      - Cichorij
      - Acetosæ
      - Plantag.
      - Ros.

Iecore,

- Atrã bilem in
  - Iecore,
    - Sy. de succo endiuiæ
    - De cichorio cum rhab.
    - Acetos. S.
    - De bysantijs
    - Aquæ
      - Endiuiæ
      - Acetosæ
      - Cichorij
      - Portulacæ.
  - Liene
    - Viol.
    - Acetos. S.
    - Sy. de duabus rad.
    - Aquæ
      - Endiuiæ
      - Buglossæ
      - Boragin.
      - Scolopend.
  - Renibus,
    - Sy. acetos. S.
    - Acetos. compos.
    - Endi.
    - Violarum
    - Aquæ
      - Endiuiæ
      - Maluæ
      - Sem. com. frig.
      - Solani.
  - Capite,
    - D. Lupulis
    - D. fumo terræ
    - De pomis
    - Oxymel.
  - Ventriculo, Hepate & Liene.
    - Mel. ros.
    - De thymo
    - De epithymo
    - Oxymel.
    - Aquæ
      - Melissæ
      - Basilicon.
      - Fumariæ
      - Boragin.
      - Buglossæ
      - Scolopend.
      - Maioranæ

DE ME-

DE MEDICAMENTIS

purgantibus in forma liquida, vnumquemlibet humorem.

Tab. III.

- Purgant
  - Pituitam
    - Clementiora.
      - Hiera picra Gal.
      - Agaricus
      - Turbith
      - Diaphœnicon.
    - Valentiora,
      - Electuarium elescboch
      - Electua. Indum
      - Diacy'oniten
      - Diacarthamus
      - Benedicta.
  - Bilem flauã
    - Clementiora,
      - Caßia fistularis
      - Manna
      - Diaprunis sim.
      - Catholicon
      - Rhabarbarum.
    - Valentiora,
      - De succo rosarum
      - Diarhabarba. N.
      - Diaprunis soluti.
      - Stomachum laxati.
      - De psyllio
      - Catharticum imperiale

Atram

- Atram bilem,
  - Clementiora,
    - Caßia fiſtularis
    - Diacaßia
    - Diaſena leni
    - Catholicon.
  - Valentiora.
    - Confectio hamech
    - Electuarium de epithymo
    - Diacitoniten.

A mitioribus ſemper inchoandum erit, quæ aluum leuiter mouent, atq; ſine tumultu exonerant: quorum doſis erit ad unc. 1. Si de paulò autem ualidioribus, drachmas ſex hodie, aut paulò plus minuſue, pro ætatis, ſexus, anniq; temporum ratione, & pro ſumentis uiribus practici exhibere ſolent. Sumuntur autem omnia medicamenta purgantia ſummo manè, cùm uentriculus ciborum copia non grauatur.

DE MEDICAMENTIS PVRgantibus solidis, siue in forma pilulari.

Tab. IIII.

- **Educentia**
  - Pituitam,
    - Clementiora
      - Azaireth
      - De hiera S. à capite.
      - Elephangine, à stomacho.
      - Imperiales.
      - De agarico, à pectore.
      - Stomachicæ, à stomacho.
    - Valẽtiora.
      - De hiera cum agarico
      - Cochiæ à capite.
      - Indæ
      - Arthetricæ, à iuncturis.
      - Fœtidæ, à capite.
      - Lucis, ab oculis.
      - De hermod. à iuncturis.
      - De euphorbio.
  - Flauam bilẽ.
    - Clemẽtiora.
      - De rhabarbaro, ab hepate.
      - Sine quib. à ca. etiam pituitã educũt
      - Communes, siue pestilentiales.
    - Valẽtiora.
      - Aggregatiuæ, à toto.
      - Aureæ, à cap. ut etiam Arabicæ et Azaireth.
      - De aloe.

Atram

Atram bilem.	Clementiora.	Indæ	ab Hepate & splene.
		De fumo terræ.	
	Valentiora.	De lapide lazuli	
		De lapide armeno.	

Pilulæ quæ ad caput expurgandum hodie exhibentur, cæteris maiores esse debent: quo diutius uentriculo immoratæ, potentius ad se noxios humores trahant: & hæ uesperi duabus aut tribus horis à cœna sumuntur. Quædam minori forma parantur, ut sunt elephanginæ & communes dictæ, ut statim in uentriculo dissoluantur. Parum purgant, sed uentriculum magis confortant, & illæ solent exhiberi duabus horis ante cœnam. Quæ uerò ad aluum deijciendam, mediocri forma debent esse, & diluculo summo exhibentur. Dosis autem pilularum, rarò drachmam unam excedere debet, nisi in corporibus expertis. Voluntantur in puluere uel cinnamomi, uel liquiriciæ: nonnunquam etiam auro obducuntur, ut minori molestia accipi poßint.

DE BO-

DE BOLO PVRgatorio.

Bolus purgatorius, id est bucella, quantum bucca una uice capere potest, diuersis formatur modis. Aliquando ex simplicibus medicamentis, interdum ex antidotis purgantibus liquidis, quæ excipiuntur sacchаro. Nonnunquam etiam ex solidis antidotis, adiectis pulueribus & speciebus, ad uehementiam quorundam corrigendam, atq; syrupo, uel alio liquore excipiuntur, & in formam boli reducuntur. Quantitas autem boli nunquam transire debet uncias duas, nam una uice deuoranda erit.

DE INFVSIONIBVS, DEcoctis, clysteribus, & suppositorijs.

Tabula V.

Infusio hodie dicitur liquor, in quo medicamenta parum trita, uel puluerisata, uel solida, etiam integra macerantur, absque ulla decoctione, per horas plures, noctem totam, biduum, uel triduum, pro natura medicamenti, ut uirtus eius tota in liquorem trahatur & transeat. Diuitibus & delicatis exhibentur, eo quod gratiores sunt huiusmodi potiones purgatrices, quàm ipsa solidorum substantia, citius etiam distribuuntur liquida, quàm crassa. Obseruandum est quoq; diligenter, ut semper medicamentis purgantibus adijciantur, quæ uehementiam eorum corrigere poßint: & quanto tempore maceranda sint. Hodie duodecim horas. non-

nonnunquam integram noctem & diem macerantur, quæ macerata ualentius colando exprimuntur, aut per colum rarius, ut per manicam Hippocratis transmittuntur, nonnunquam à nonnullis medicamenta purgantia liquida & syrupi, ut gratior fiat potio, ijs commiscentur: alij alterant Sacc haro aut Zinnamomo, ut patiens se medicamentum sumpsisse nesciat. Aliquando uice infusionis, iusculo aliquo supradicta medicamenta nodulo ligata incoquimus. Quidam hadie iuxta humorum redundantiam, decoctum pro medicamentis purgantibus parant: ut si pituita redundat, è seminibus atq; radicibus, quæ lentos & crassos humores incidunt, & obstructiones liberant: si bilis flaua, è uiolis, lactuca, cichorio, & eiusmodi quæ bilis acrimoniam refrænant: decocta faciunt. Primus modus est hodie magis in usu.

Medicamenta quæ infunduntur seu macerantur liquore aliquo, sunt:

Agaricum, Dosis est ad ʒ v. Senna, Dosis ad ʒ. vi. Rhabarbarum, Dosis ad ʒ. iiij. v. aut sex. Turbith ad ʒ. i. Scammonium ℈ s. uel grana iij. Hermodactilus Myrobalani ad ʒ. iij. Tamar Indi ad ʒ. ij. Psyllium ad unc. 1. sicut fumus terræ. Aloë, ad ʒ. ij.	Et alia permulta super cineres calidos temperantur aliquandiu humore siue liquore idoneo, ut uis uehemens corrigatur.

Agaricum eſt familiaris medicina, ubi correcta fuerit, corrigitur autem cum Oxymelite ſcyllitico, aut ſale gemmæ, uel zingibere, ſemper admiſcendo tertiam partem: & quia uentriculo aduerſatur ſua leuitate, debet admiſceri aliqua medicina ſtomachica: ſicut Cinnamomum, Garyophy. Maſtix, aut calamus aromati. Dantur binæ drachmæ cum oxymelite uel melle roſ. macerati. doſis ad ʒ. 5. Poteſt dari in forma liquida, aut pilulari, uel pulueris.

Senna corrigitur cum zingibere, uel datur cum iure gallinæ, pulli, uel carnium, abſq; trituratione.

Rhabarbarum corrigitur cum tertia parte ſpicænardi, aut cinnamomi, uel iunci odorati, aut maſtichis. Datur cum ſero lactis, aut ſucco cichorij, uel cum decoctione purgante bilem flauam. Maceratur in ijſdem decoctis, aut in aquis diſtillatis, idq; in æſtate: hyeme uerò in uino albo optimo. In ſubſtantia datur ad ʒ. iiij. uſq;.

Turbith corrigitur cum ſubdupla, aut tertia parte zingiberis. Datur cum melle roſ. aut Conſ uiol uel paſſularum decocto, pondere drachmæ unius, aut paulò plus pro ſumentis uiribus. Pituitam glutinoſam purgat, longis morbis medetur.

Scammonium, id eſt diagrydium, corrigitur decoquendo in citonio. Admiſcentur ex ijs quæ iucundum ſpirant odorem, & ſtomachum confortant: ut Aniſum, maſtix, thymus aut pulegiū etc, Datur per ſe cū melle, aut ptiſſanæ cremore, uel cum aqua myrobal. citrinorum, cum ſaccharo uiol uel roſ. ſyrupo. Alij macerant in oleo uiolato: tunc abſq; noxa deorſum uergit. Doſis eſt ad ſcrup. 1. 5.

Myro-

Myrobalani, quorum genera sunt quatuor: citrina, chebula, inda siue nigra, & emblica, Citrina, bilem flauam: nigra atram: chebula, pituitam detrahunt: uentriculum & intestina sua adstrictione roborant, trita, usta, aut elota, corriguntur cum saccharo, amygdalis dulcibus, passulis, semine anisi, in forma potabili dantur cum decoctione communi, uel sero caprino. Citrini dantur cum decoctione purgante bilem flauam: nigri, cum ijs quæ atram bilem: alij, cum ijs quæ pituitam, quorum dosis ad drach iij aut iiij. trita.

Tamarindus, noxas omnes à calore natas mitigat. Datur ad febres ardentes cum rhabarba & caßia. Dosis est unc. 1. Contunditur, contusus in aliquo liquore miscetur, ut in hepatis paß. aqua endiuiæ: uentriculi, menthæ, deinde colando exprimitur, ut aliquid substantiæ eius extrahatur.

Aloe datur ijs, qui capitis doloribus à uentriculo afficiuntur: nec non laborantibus oculorum suffusionibus. Dosis est ad ʒ. ij. ex aqua mulsa.

Polypodium, eius radicis purgatæ, dantur ʒ. ij. ex aqua mulsa. Alij cum odoratis corrigunt eius uim, ut cum zingibere: sem. anisi, gariophillis, cinnamomo, et similibus. Aluum deijcit contra molestiam in gallinaceo iure, in ptissanæ cremore radix cocta.

Epithymum datur adultis tusum, & cribro excussum, ℈v. aut ʒ. ij. cum passo, uel aceto mulso: adiecto pauxillo piperis, uel salis gemmæ, parum decoquitur.

Elleborus niger corrigitur cum ſeminibus odoratis: datur ex paſſo, aut aceto mulſo, ad ℈ iij.

Hiera picra, multùm de ſe debilis: per ſe enim data non operatur, niſi in debilibus. Poteſt dari in potione: ſed propter eius amaritudinem præſtabit potius dare in forma pilulari, quamuis in potione potentius operetur: datur in potione ſecurè ad unc. 5.

Mezereon, Eſula, & huiuſmodi, macerantur in aceto, ut deponant acrimoniam.

Armenius lapis, quo pictores utuntur, datur ad ℈ iiij.

DE DECOCTIS.

Decocta parantur ex ſeminibus, folijs, radicibus, & plantarum floribus. Folia & flores manipulis: fructus numero: radices & ſemina, pondere æſtimentur. Radicum quantitas unc. iij. ad ſummũ quinq;: foliorum, faſciculorũ manualium quinq;: ſeminum ʒ. iiij. aut ſex: florum, manipulorum quatuor non excedat. aquæ menſura, in qua decoquuntur ſupradicta, libras tres nõ debet tranſire. Cæterũ cuilibet libræ aquæ, libras ſemis ſacchari & mellis admiſceatur. Si uerò decoctionem odoramentis, ut iucundior fiat, parari opus fuerit, cuilibet libræ decocti ʒ ij. odoramentorum commiſcendæ erunt.

DE CLYSTERIBVS.

Clyſterium uaria ſunt genera: ad quorum compoſitionem, quatuor rebus opus eſt. Primùm aliquo liquore, ut piſorũ, cicerum, pulli, gallinæ, capi, caſtratorũ, uel aliarum carnium aut decocti, iuxta morbi naturam uariari

uariari solet, aliquando enim abstergendum, adstringendum, glutinandũ, &c. Secundò medicamenta purgantia requiruntur, quæ duplo pondere dantur ad ea quæ deuorantur. Tertiò, sunt olea & pinguedines, quæ etiam pro morbi diuersitate uariantur. Quartò salis genera, ut facultatem excretoriam excitent, præterea aliquando mel, aut saccharum, aut butyrum, aut uitelli ouorũ, prout morbus postulat adijciuntur. Estq; communis regula, quod ad iuris decocti, uel alterius libram unam, oleorũ unc. iiij. uel iij. pinguedinũ, mellis, butyri, sacchari unc. i. aut s. uitelli ouorũ duo, aut tres: salis uero ℨ. i. plus minusue. Clysterium quidam sunt debiles, quibus utimur in febribus, & in ijs qui longo morbo debilitati, senibus & intestinorum torminibus: uehementioribus & acribus in morbis frigid. longis, & qui exitiale uenenum sumpserunt.

Herbæ s. communes,	Malua Althæa Mater uiol. Atriplex Mercurialis	*Singulorũ quantitas potest esse M 1. decoquantur ad tertias & colo diffundãtur, accipiaturq; iuris decocti lib. 1. medullæ caßiæ unc. 1. adijcitur interdũ Hieræ picræ unc. s. cum mellis rosa. ℨ. iij. olei unc. iij. & salis ℨ. 1.*

Clysteres inijci possunt omni tempore, modò duabus aut tribus horis, uel longius à cibo adhibeantur.

DE SVPPOSITORIIS.

Suppositoriorum tria sunt genera. Quædam læuia, & ista in nobis sunt familiaria, fiunt enim ex radice

betæ, caulis, uel mercurialis, lardo, caseo, stercore humano exiccato, melle perunctis: suillo adipe sale conspersо, ficu inuersa, & butyro, adiecto sale. Quædam uerò mediocria, & fiunt è uitello oui, croco, additis melle & sale, uel quæ è sale & melle componuntur. Quædam sunt uehementiora, ut quæ recipiunt scamoonium, euphorbium, elleborum, & huiusmodi pulueres, quibus magna necessitate utimur in morbis magnis. Danda est opera, ut drach. uni specierum & salis unc. i. mellis addatur. Pulueres triti & cribrati, cum melle cocto aut cera & oleo, donec in unum coeant, miscentur. Dum subijciuntur, prius oleo, butyro aut alia pinguedine illita esse oportet. Si uoluerit medicus fortificare uirtutem expulsiuam, subijciat suppositorium Luna in signis existente frigidis: sicut in Cancro, scorpio, & piscibus.

DE SPE-

DE SPECIEBVS AROMAticis siue confectionibus, vnamquamlibet partem roborantibus.

Tab. VI.

Respiciunt				
Caput.	Frigi.	Diarhodon abbatis Diacoralli Manus Christi		Ad cerebri, paßiones calidas.
	Calid.	Diambræ Mithridatum Diamarg. calid. Electu pliris arcoticō		Apoplexiæ, epilepsiæ & affectibus melancholicis medentur.
Thoracē	Frigi.	Tragacanthum frigid. Diapapauer		Distillationib. ad pectoralia calidis exhibentur.
	Calid.	Diapenidion Tragacanthum. balid. Diacalamentum Diaprassyum Diairis Salomonis		Ad thoracis et pulmonū uitia ut sputa lenta, crassa, in pectoralibus cōtenta.

- **Respiciunt**
  - **Ventriculum.**
    - **Calid.**
      - Rosata nouella
      - Aromaticum rosͤ.d. G.
      - Aromatici garioph.
      - Diatrion pipereon
      - Diagalanga
      - Dianisium
      - Diacyminum
      - Diacinnamomum
      - Diazingyber
      - Confectio de xilaloen.
      - → Ad prauam uētriculi coctionem, flatus, acidosq; ructus.
    - **Frigi.**
      - Triasantali
      - Diarhodon abbatis
      - Diacitoniten
      - → Aduersus uētriculi et iecinoris calorem.
  - **Cor.**
    - **Frigi.**
      - Manus Christi
      - Diamarg. frigid.
      - Diacoralli
      - Triasantali.
      - → Deiectis uirib. et febribus ardētib. medentur.
    - **Calid.**
      - Diamarg. Calidum
      - Cōfectio de musco dul.
      - Diambra
      - Diacameron
      - Elect. læticiæ Gale.
      - Rosata nouella
      - Mithridatum
      - Theriaca
      - → Aduersus cordis palpitationem.

Hepar

Hepar,	Frigida	Diarhodon abbatis Triasantali	Aduersus iecinoris calores.
	Calida,	Dialacca Diacurcuma	Ad iecinoris & lienis obstructiones, ac aquã intercutem.

Componuntur magna ex parte confectiones è speciebus multorum antidotorum, adiectis quibusdam nouis & recentibus. Vocantur hodie à nostris practicis rotulæ seu tabulæ: quoniam formam orbicularem accipiunt. Quæ uero forma sunt longa, morselli & lozengiæ dicuntur. Modus exhibitionis ʒ.i.ß. aut ʒ.ij. pro sumentis habitu & affectu. Dantur diluculo & uesperi, tribus aut quatuor horis à cœna elapsis.

DE CONSERVIS SIVE HOdie conditis vocatis, nec non & trochiscis atq; eclegmatis.

Tab. VII.

Respiciunt.	Caput.	Anthos Rosmarini Acori Lauandulæ E bethonica E pœonia.	Aduersus comitialẽ morbum, apoplexiã, & alia capitis & neruorum frigida mala.
	Frigid.	Denuphare Rosarũ è prunella Violarum.	Ad uapores in cerebrum irrepentes reprimendos.

Respiciunt	Thoracē	Enulæ campanæ Capilli Veneris.	Ad uiscida & lenta sputa è pectoralibus educenda.
	Cor	Boragin Buglossæ Acetosæ Absynthij	Palpitationi, melancholicis, & tristibus auxiliantur.
	Ventriculum.	Gingiber conditũ Acorus conditus Saluiæ Citria condita.	Ventriculum firmant, concoctionem iuuant, orisq; suauitatem efficiunt.
		Rosarum Cichorij Acetosæ Cotonea condita De nenuphare.	Acrimoniã bilis obtũdunt, uehementiorib. febribus subueniũt, dolorib. quos bilis creat: & capitis dolores sedant.

Nullus in ijs sumendis præscriptus est modus: usus hodie seruat, ut mane & uesperi nucis iuglandis quantitate exhibeantur, nonnunquam his admiscentur pulueres aromatici, & cum saccharo uel Syrupo appropriato, mixtura quam uocant, conficitur.

DE TROCHISCIS.

Trochisci.

Trochisci	Aperitiui,	De rhabarbaro De eupatorio De myrrha De spodio	Ad hepatis obstructiones & febriū horrores, quos pituita creat nec non aquam intercutem.
	Alkeken.	De uesicaria De terra Lem.	Ad febres ardentes, iecinoris calefactionē, atq; uentris profluuium.
	Cōstrictiui,	De camphora De berberis.	

Trochisci, cum usus postulat, triti ex aqua aut uino, aut alio quouis liquore ebibendi exhibentur. Nonnunquam antidotis, sacchar0, pilulis, clysteribus, unguentis, aliisq; huiusmodi commiscentur. Trochiscorum, qui sine aliorum medicamentorū mixtione sumuntur, dosis non debet transire ʒ.1. uel ʒ.1.5. & 2. quorum compositionem opium ingreditur. ℈.1. aut ʒ.5. dantur.

DE LOCH, SIVE ECLEGMATIS.

Loch	Mitiora,	De pino Me. De pulmone uulpis Me. De caulibus Gordonij	Tußi diuturnæ et asthmati medentur.
	Valētiora,	Sanū et expertū De squilla.	Asthmati antiquæ à craßis & uiscidis humorib. auxiliantur.
	Frigidum.	De papauere	Tußi à caliditate et ßiccitate subuenit.

Possunt sumi omni hora, præter Loch de papauere, qui datur hora post cœnam.

DE

DE STVPEFACIENTIBVS, *somnum prouocantibus, & de ijs quæ vomitum prouocant.*

Tab. VIII.

Stupefacientia & somnũ prouocantia, interius sumenda.

- **Mitiora,**
  - Sy. uiolaceus
  - Syrupus de papauere
  - Succi
    - Lactucæ
    - Semperuiui
    - Solani
    - Portulacæ
    - Cicutæ
  - Conserua Violarum
  - Conserua Nymphææ
- **Valentiora,**
  - Philonis antidotum
  - Athanasia
  - Dialibanum
  - Diacodiõ Micleta.

  Vehementiorib. nõ nisi maxima necessitate utendum est: neq; continuis dieb. sed ex interuallis talia sunt danda. Dosis est à ℈ ij. usq; ad ℥. i. cum Syr. ros.

Exterius admouẽda

- Oleum uiolaceum
- Oleum mandrago.
- Vnguentum populeonis
- Decoctũ corticis mãdrag.
- Semen hyoscyami
- Lac muliebre
- Semen papaueris
- Decoctum salicis
- Opium
- Anethum uiride in oleo coctum.

Consultius est primò his quæ extrinsecus admouentur, uti (scil. ut tẽporib. illinantur) quã quæ intra corpus sumuntur.

Cauendum autem ne unquam membris principalibus, ut cerebro, cordi, iecori adhibeantur: neq; pueris, senioribus, grauidis, ac alijs imbecillioribus applicentur.

Mitiora simplicia uomitũ elicientia	Aqua calida Hordei decoctum Ficuũ recẽtiũ lõgo comestio Oleum crudum digitis aut penna in os dimissum.	Sumuntur cum unctuosis, uel sine.
Mediocria	Atriplicis semen & radix Semen: Raparum, Nasturtij, Erucæ, Melonum Cucumer asininus Nasturtium Radix Bethonicæ.	Ista in aqua decoquũtur, et cũ oleo uel unctuosis assumuntur.
Composita	Sy. acetos. S. & compos. Oxymel. Hydromel.	A cibo sumuntur ad unc. iij.
Valentiora.	Radix rhaphani, et semẽ eius Cæpæ, & semen eius Baurach Vterq; Helleborus Radix cucumeris syluestris Flores sparti Nux uomica	Sumpturis ista uehementiora, confert præsumere paucũ cibum: neq; hæc imperari debẽt nisi ubi strãgulatus suspicio imminet.

Aduerten-

Aduertendum, potiones quæ uomitus ciendi gratia biBuntur, tepidas affatimq; ſumendas eſſe.

DE ERRHINIS, MASTICATOrys odoramentis, & ſuffumigationibus.

Tab. IX.

Errhina	Mitiora,	Aquæ diſtillatæ capitales Anagallidis utriuſq; ſuc. Succus cæparum Succus cyclaminis Succus braßicæ Succus foliorum enulæ campanæ.	Liquida naribus illinuntur aut inijciuntur interdum oleis & ſpeciebus aromaticis commiſcentur.
	Valentiora,	Succus ſtruthij Succus rad. nigellæ Succus marrubij Caſtoriorum Piper Elleborum album.	Quæ ſicca ſunt, calamo induntur naribus: uel aliquo liquore, aut cera componuntur, & filo naribus induntur.

Liquorum unc. 5. una uice infudiſſe ſufficit. Vnicè tamen obſeruandum, ut qui ſumunt, prius os aqua impleant, ne è naribus per uias ſiue meatus defluant ſucci, ac caput in poſteriora reclinandum: neq; bis utendum, niſi corpus prius uacuatum fuerit medicamento deiectorio, aut phlebotomia. Horum uſus eſt in longis capitis morbis, præſertim morbo comitiali, narium obſtructionibus, odoratus difficultate, & oculorum affectuũ antiquis.

DE

De masticatorijs, siue apophlegmatismis.

Masticatoria,	*Mitiora,*	*Hyssopus*	*Retinentur in ore, & commanducantur, dentibusq́; constringuntur, aut cõtusa & liquore aliquo uel melle excipiuntur, & mansiles pastilli formantur.*
		Origanum	
		Thymum	
		Pulegium	
		Cappares	
	Valentiora,	*Sinapi*	
		Mastix	
		Radix acori	
		Zingiber	
		Piper	
		Pyrethrum.	

Vtendum masticatorijs maximè matutino tempore, quum corpus expurgatum est à reliquis excrementis: atq; post illorum usum, os abluendum est aqua, uel melicrato, aut ptissana.

De odoramentis.

Calida odoramenta.	*Styrax*	*Ladanum*	*Citra ignis accessionem fiunt, suo odore cerebrũ alterant, oleo uel aliquo liquore orbiculi ad usum formantur, aut unguenta uel poma trita excipiuntur liquore.*
	Lignũ aloes	*Maiorana*	
	Cinnamomũ,	*Cariophylli,*	
	Maceris	*Ladanum*	
	Mastix	*Lauandula*	
	Muscus		
	Nigella		
	Iuniperus		
	Genista		
	Maioran.	*Thus*	
	Garyophylli.	*Ocymum*	

Frigi-

Frigida	Nenuphar ex nyphæa Oleum uiolarum De papaue.	Rosæ Viola Santali	Camphora Vnguentum populeonis Mandrag.

Vsus horum est ad iucundum odorem faciendum, ad pestilentiæ contagia arcenda, ad distillationes à capite ad pectoralia: tuncq; naribus admouentur.

De suffumigationibus.

Saluia Rosmarin Maceris Cinnamomum Thus, Myrrha	Maioranæ Basilicon Gariophil Lignum aloes Mastix.	Trita ista excipiuntur liquore, incenduntur, aut ignitis carbonibus mijciuntur.

Vsus est ad odorem gratum comparandum, ad distillationes à capite ad pectoralia, ad pestilentiæ contagia arcenda: tunc naribus admouentur, conueniunt Asthmaticis, ubi uapor per os recipiendus.

DE OLEIS, VNGVENTIS, *linimentis, Emplastris & Cataplasmis.*

Tab. X.

Repellentia frigida, & adstringentia.	Oleũ rosa, omphac. Oleum Myrtinum Violarum Nymphéæ Papaueris Citoniorum	Refrigerãt, adstringũt, incandescentib. inflammationũ feruoribus medentur.

Dige-

Digerentia, siue rarefacientia	Mitiora	Oleũ chamæmeli Anethinum Rosatũ completũ De nucibus Amygd. dul.	Ista temperato calore rarefaciunt, ad longas maximè febres discutiendas accommodantur.
	Valentiora.	De iunipero Laurinum Constinum Rutaceum Mastichinum Absynthij Nardinum Vulpinum Amygd. amararum Scorpionum.	Calefaciunt, resiccant, membra refrigerata & imbecilla roborant, neruorum morbis medentur.

De vnguentis.

Vnguenta repellentia frigid.	Populeon Infrigi. Gale. Santalinum De bolo	Ad partes refrigerandas accõmodantur: erysipelæ alijsque calidis inflammationibus medentur.
Calida ualenter rarefacientia siue digerentia	Aregon Martiatum Agrippa Dialthæ De meliloto Alabastrum	Aduersus frigida corporis mala, resolutionem, coxendicem, nephritem, febrium pituitosarũ horrores maximè faciunt, emolliunt duricies, &c.

Ee Vnguen-

Vnguenta componuntur ex speciebus, iuxta morbi naturam, oleis & cera: interdum adhibentur adipes, medullæ, butyrum, & similia, aliquando gummi commiscentur, nonnunquam succi, ingredientia quædam seorsum debent puluerisari. De cera non datur præscriptus modus: nisi ad consistentiam unguenti adijcitur. Hodie in componendis unguentis practici obseruant, ut unciæ uni oleorum uel alterius liquoris, drachmam unam pulueris, & uncias 2. ceræ adhibeamus. Sed præstat arbitrio medici ceræ quantitatem relinquere.

De Linimentis.

Linimenta ex eisdem ferè rebus fiunt, quibus unguenta, dempta sola cera: consistentiam paulò molliorem & liquidiorem accipere debent. Hora applicandi ungueuta & linimenta laudabiliora, est post uniuersas euacuationes.

De Emplastris.

Emplastra ex herbis, floribus, radicibus, speciebus grossa arte contusis, cum oleis, uel alijs liquoribus simul mixtis, uel bullitis. Herbæ & flores per M. numerantur: radices per unc, aut drach. similiter pulueres & farinæ. Obseruant hodie in componendis emplastris, ut cuilibet manipulo oleorum aut alterius liquoris unc. 1. aut unc. 1. 5. commisceatur. Præterea, Emplastrum ex herbis uiridibus & radicibus, si quando medicus componere intendat, tantum bulliri ista oportet, donec ad spißitudimem ueniant: deinde adduntur liquores, ut uel oleum, adipes, butyrum, & huiusmodi

iuxta

iuxta Medici arbitrium, uolentis uel digerere, uel suppurare. Si uerò cum melle emplastrum sit componendum, pro lib. 1. mel. specierum unc. 4. admiscentur: compositum emplastrum, linteolo affectæ parti adhuc calidum illitum admoueatur.

De Cataplasmatis.

Cataplasmata ab emplastris differunt, quæ fiunt tantùm è plantis uiridibus contusis, uel iisdem ad mollitudinem usq; in aqua decoctis. Ea absq; aliquo liquore pingui, hypochondrijs adhiberi solent, alijsq; partibus. Quæ suspecta semper sunt, nisi prius corpore euacuato.

θεοῦ δόντος τέλος.

INDEX PERSONARUM RErum, & verborum locupletissimus.

Albis

Colici

Decij

Eccle-

Galeni

G

Hiero-

Indul-

Iulij

Mansfel-

Maxi-

Mola

Nicolai

Ordo

Polipo-

Rufi-

18

Suppli-

V.

Vuirtem

FINIS.



GORLICII

Excudebat Ambrosius Fritsch.

ANNO

M. D. LXXIII.

Summa 8 ß [illegible]

[illegible]


4
XVI,8°-84